UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciæ


Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

urn:nbn:de:hbz:466:1-70708

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S III
12

Th. 6071.

R

Q.

f III
12

Herborn?

VARIORUM IN EUROPA
ITINERUM

DELICIÆ;

SEU, EX VARIIS MANU-SCRIPTIS SELECTIORA TANTUM INSCRIPTIONUM MAXIME recentium

MONUMENTA.

Soc. Jesu Jesu Quibus passim in Paderborna.

ITALIA ET GERMANIA,
HELVETIA ET BOHEMIA,
DANIA ET CIMBRIA,
BELGIO ET GALLIA,
ANGLIA ET POLONIA, &c.

TEMPLA, ARÆ, SCHOLÆ, BIBLIOTHECÆ, musea, arces, palatia, tribunalia, portæ, arcus triumphales, obelisci, pyramides, nosodochia, armamentaria, propugnacula, portus, asyla, ædes, cœnacula, horologia, pontes, limites, horti, villæ, apiaria, thermæ, fontes, monetæ, statuæ, tabulæ, emblemata, cippi, sacella, sepulchra, &c. conspicua sunt.

Præmissis in clariores urbes Epigrammatibus Julii Cæs. Scaligeri.

Omnia nuper collecta & hoc modo digesta á

NATHANE CHYTRÆO.

EDITIO SECUNDA.

Apud Christophorum Corvinum. 1599.

Liber parg F

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ΣΥΝΘΕΩ.

CHRISTIANI III. ET FRIDERICI II. DANIÆ, NORWEGIÆ, GENTIUMQ. SEPTENTRIONIS REMOTISSIMARUM AMPLISSIMARUMQ. REGG. OPT. POTENTISSIMORUMQ.

NON MINORIS EXPECTATIONIS
FILIUM ET NEPOTEM

CHRISTIANUM IV. EORUNDEM REGNORUM ET GENTIUM REGEM ELECTUM,

Paternæq; & avitæ virtutis ac gloriæ heredem & æmulum acerrimum:

THEORIÆ HUJUS TOPICÆ
DEDICATIONE

Ad honestam animi relaxationem invitat,

SEQUE REGIÆ IPSIUS MAJESTATI CUM DEVOTA OBSERVANTIA humiliter commendat

NATHAN CHYTRÆUS,

IN SPEI

Quam de divino illius ingenio, & felici regimine omnes boni concepere,

MONUMENTUM.

LECTORI BENEVOLO S. D.

NATHAN CHYTRÆUS.

ANNus jam agitur pené vigesimusquintus, cúm qualiacunq; hodœporica mea, uno volumine comprehensa, uná cum monumentis quibusdam, & inscriptionibus nobilioribus, passim á me in variis itineribus observatis & collectis, publicavi: usq; mox distractis, alteram ejusdem opusculi editionem, priore aliquanto correctiorē & locupletiorem, cœpi adornare. cujus etiam exemplum in officinam heredum Egenolphi imprimendum á meFrancofurdiam tum missum est. Cúm autem ibidem moræ aliquæ, quod hodie optimis quibusq; libris feré contingit, editioni illi intervenirent: placuit tandem typographo, ex cōsilio virorum quorundam eruditorum, sola itinera carminibus descripta, seorsim prelo subjicere: Epigraphas autem illas, peculiari editioni reservare. Communicaveram autē tum farraginem illam inscriptionum viro nobili, optimo & doctissimo, D. Jacobo Monavio, patritio Bratislaviensi, amico meo plané singulari, cúm is eo ipso tempore suas in Italiam & Galliā peregrinationes adornaret. Verúm paulo póst, sané non sine incommodo & dolore nostro, evenit, ut peste ad Mœnum sæviente, vitam cum morte commutaret vir humanissimus, & officii plenus Conradus Albinus, reipub. illius patritius; qui opusculorum illorum in lucem emittēdorum, quidam quasi ἐργοδιώκτης, ita enim ipse volebat, Francofurti á me erat constitutus. quo extincto, & operis hac in parte cessantibus, reposcere tandem collectanea illa mea volui. quæ quamvis interea ἀνέκδοτα, sed tamen multis sui partibus auctiora, inter alias

alias ejus generis chartas apud me jacuerint: accidit tamen peropportuné, ut mora ista plané ἀμεταμέλητος & mihi & opusculo illi censenda esse videretur. Paulò enim póst itineribus suis ex animi sententia confectis, sospes ad suos rediit Monavius: & ut pro communicatione illa mea priori gratum se mihi (ea enim est viri integerrimi humanitas) ostenderet; meque munere quám simillimo remuneraretur; & jam tum, & deinceps quoq; complures subinde ejus generis Epigraphas, & tandem etiam anno superiori magnam earum farraginem, partim á se ipso collectam, partim ab amicis hinc inde sibi communicatam, ad me misit. qua quidem ego non mediocriter sum delectatus: &, sicuti opus erat, & ipse Monavius petierat, statim earum ἐκλογὴν, cum labore & temporis impendio non exiguo, institui: in qua hoc egi, ut ea præcipué seligerem, quæ vel aliquam singularem doctrinam, vel salutarem in vita admonitionem continerent: vel quæ memorabili alicui historiæ servirent: aut quæ rari alicujus & observatione digni eventus aut exempli mentionem facerent: aut quæ aliâs aliquid peculiaris ingenii, elegantiæ, salis vel acuminis præ se ferre viderentur. Cætera vel obscura, vel etiam nimis vulgaria, vel insipida, vel obsoleta, & nudis notis, aut tantúm fere nominibus propriis constantia, & criticis occasionem rixandi præbitura, ut plurimúm, dedita opera, prætermisi. Ad Epigraphas autem á meipso collectas quantum spectat; earum nonnullas, præsertim Parisienses, Anglicanas, & Italicas, cúm anno 1565. & duobus sequentibus αὐτοψίας earum mihi contigisset opportunitas, ipse descripsi: nonnullas jam anté ab aliis descriptas & mecum communicatas, in vindemiolas meas retuli. Qua in parte non possum non celebrare honestissimi & prudentissimi Joannis Baptistæ Haincelii, Patritii & Consulis tum Augustani p.m. singularem erga me benignitatem & humanitatem, quam ille mihi anno 1566. Augustæ in primis Imperatoris Maximiliani II. Comitiis abundé declaravit: cúm non solúm in præsentia virorum clarissimorum Joan. Cratonis, Casp. Peuceri, Hier. Wolfii, & aliorum, eleganter apparato, & sermoni-

bus optimis condîto convivio ſubinde me exciperet: verúm etiam (cúm me itineri Italico accinctum tum videret) omnia quæ ipſe quondam in eodem itinere memorabilia obſervaſſet, é chartis & ſcriniis ſuis deprompta, candidé admodum & liberaliter mecum communicaret. Cujus certé beneficii commoda & fructus in toto deinceps itinere ſenſi uberrimos, cúm illius indicio, & quid quovis in loco potiſſimúm inquirendum eſſet, perſpicerem: laboreq; & moleſtia omnia inveſtigandi, & hinc inde conquirendi ac deſcribēdi me ſentirem ſublevari. Poſtea, cúm itineribus, Pariſienſi, Anglico, Veneto, Romano, & Neapolitano feliciter confectis per Helvetiam in Germaniam rediiſſem; & magnam partem æſtatis anni 1567. Miſenæ apud optimum doctiſſimeq; eruditum, & horum ſtudiorum amantiſſimum virum, D. Georgium Fabricium conſumerem; & is quoque pené omnium, quæ eo in genere haberet, ſine invidia participem me faceret; opus illud inſcriptionum variarum non mediocriter auctum eſt. Sicut interea quoq; in Ducum Venetorum Epitaphiis colligendis uſui mihi fuit D. Henrici Kelneri liber de vita, moribus & rebus geſtis principum Venetorum. Sanctodionyſiaca recentiora deſcribenda mihi conceſſit vir doctiſſ. & humaniſſ. D. Petrus Pavo Medicinæ D. & in Academia Leidenſi Profeſſor. Palatina ad Rhenum monimēta præcipua, pleraq; elegantiſſimé deſcripta, ad me miſit nobiliſſ. D. Paulus Meliſſus. Wirtebergica veró M. Matthæus Chytræus, frater meus germanus, & Eccleſię Grumbachienſis paſtor mihi curavit. Boruſſica, operâ amicorum mihi conquiſivit, vir opt. & doctiſſimus, & hoſpitii quoq; neceſſitudine mihi conjunctus, D. Valentinus Schreckius, ſcholæ Marianæ apud Dantiſcanos Rector: qui & ipſe in Regiomontanis conquirendis opera doctiſſimi & humaniſſimi viri M. Martini Winteri, Profeſſoris Academiæ Boruſſicæ fideliſſimi uſus eſt. Viennenſibus libenter plura addidiſſem, ſed præter aras ſepulcrales inclytæ familiæ Salmenſis á V. C L. Nicolao Reuſnero editas, nihil eorum hactenus videre mihi licuit. Ad Alpina quantum ſpectat; pleraque eorum habeo ex Itinerario honeſti & eruditi juvenis Alberti Heinii, C L. J. U. Doctoris, & conſulis Reipub.

pub. Rostochiēsis D.Friderici Heinii filii, disciplinæ olim meæ alumni. Danica magna ex parte refero accepta viro & Mathematico nobilissimo Tychoni Brahæo. Cimbrica,& quidem ut plurimúm in arcibus,palatiis, structuris, & monimentis viri illustris & magnifici D. Henrici Ranzovii vicarii regii obvia, & per Georgium Crusium, Petrumque Lindebergium collecta, ipse herus ad me misit. Megapolitana nonnulla habeo ab amico perveteri D.Jacobo Bordingo, Cancellario Megap. integerrimo. Reliqua hinc inde mihi descripsit júvenis probus & eruditus Simon Paulus affinis meus. cujus operâ & industriâ in manus quoque meas pervenerunt hujus generis collectanea docti & accurati viri Samuelis Fabricii, non ita pridem Secretarii Megap. qui in suis per Germaniam in Italiam,& aliis quoque, quæ ill. Joan. Alberti jussu confecit, itineribus,studiosus admodum omnis generis Inscriptionum collector fuit. Sed morte præventus publici eas juris facere non potuit. Qui quidem ipse Fabricii hujus labor, levamento non exiguo futurus esset ei, qui talium collectionem meditatur copiosiorem. Polonica,quotquot feré sunt, nactus sum ab honesto & docto juvene Bartoldo Weccio, meo olim convictore. Epigrammata Julii Cæsaris Scaligeri, nonnullarum clararum urbium Epigraphis præmissa, unde petita sint, omnibus liberaliter eruditis, etiam tacente me, constat. Reliqua feré omnia accepta, ut dixi, refero liberalitati D.Georgii Fabricii, & Jacobi Monavii, V.C L L. quorũ hic quoq; D.Joannis Henrici I.B.F. Haincelii, patricii Augustani, Johannis Posthii archiatri Palatini,& Abrahami Ortelii,Cosmographi Antvverpiēsis, virorum præstantissimorum doctissimorumq; hac in parte liberalitatem erga se singularem non obscuré apud me prædicat. Quæ omnia eam quoque ob causam prolixiús hîc censui commemoranda, ne quis putaret, me in morem corniculæ Æsopicæ, ornamentis, aut ad Thrasonis Terentiani imitationem, laboribus delectari alienis, partamq; ex iis gloriã ridiculé mihi ascribere, á qua vanitate semper alieniissimus esse studui. Deinde, ut alios quoque bonos viros, penes quos eleganter hunc thesaurum deinceps quoq; augendi & complendi facultas est, allice-

rem, ut ipsi quoq; mantissas hac in parte suas nequaquam mihi inviderent: sed potiús liberaliter eas mecum communicarent: idem officii hujus sui præmium, hoc est, nominis sui ex grato animo profectam celebrationē publicam, Deo volente, suo tempore á me accepturi.

Non autem opus esse existimo, ut harum Inscriptionum collectanea tibi, benevole lector, multis verbis commendem; cúm earum evidentissimé conspicua sit & jucunditas & utilitas. Nam ut de honestate & dignitate hujuscemodi observationū jam taceam; quid quæso jucundius est, quám in uno, non nimis magno, libro comprehensa habere, tot vel virtutum, vel etiam vitiorum causâ celebratissimorum virorum, mulierum, juvenum, virginum, puerorum nomina, elogia, res gestas, mortes? cúm ut aliis, ita his quoq; in rebus dulcedo multa cognoscendi & sciendi, cæteras omnes suavitates longissimé superet: affirmante hoc etiam veteri sententia, alicubi á Cicerone citata, ἡδὲν γλυκύτερον ἢ παντ' εἰδέναι: præsertim si illud τ' ἀγαθὰ, quod Themistius addit, nō prætermittatur. Quid etiam suavius multiplici illa rerum & eventuum diversissimorū varietate & vicissitudine? in qua ancipites sæpé casus excitant admirationem, lætitiam, spem, timorem, molestiam, luctum. cui tamen ipsi luctui aliqua, licet cum dolore permixta, voluptas inest: lectore hunc vel similem in modum, rerum, quæ narrantur vel describuntur, ideam animo suo conceptam efferente:

Hæc dicens, faciens, tolerans, vivusq; jacénsve,
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat:
Hinc lacrymarum acri simul ipse accendor amore.

Quám item varia variorum in his monumentis studiorum, & institutorum, vanitatisq; adeó ingenii humani exempla sunt? quibus iste hoc, ille alio modo, humo, ut Maro canit, se tollere, & nominis celebritatem, vel, ut ipsi putabant, immortalitatem consequi sunt conati. Quám variæ ipsis, mortuorum jam, epitaphiis adhuc insunt, sæpe etiam de rebus vitiosis & frivolis gloriationes? quando alius corporis sui formam, aut robur; alius ingenii sui acumen, alius varias peregrinationes, alius eloquētiæ aut fortitu-

fortitudinis ſuæ vim, alius divitias & honores ſuos, alius ſuam in hoſtibus etiam ſepeliendis humanitatem & pietatem, alius prælia & victorias ſuas, alius deniq; hujus, alius alterius artis vel virtutis jactat præſtantiam: quæ tamē á morte immunem eorum pręſtare potuerunt neminem. Quám varia quoq; mortis genera repræſentantur? quando alius pié alius impié, alius domi alius peregré, alius ab hoſte, alius ab amico, alius per inſidias, alius per apertam vim, alius præcipitio, alius ſubmerſione, alius ſuſpendio, alius veneno, alius laboribus & vigiliis, alius ſegnitie & ignavia, alius morſu felis aut canis, vel calce equi, alius juvenis, alius ſenex, alius ſponſus, alius viduus, alius remedium quærendo, alius reſpuendo, alius cum ſpe vitæ melioris, alius deſperabundus, alius cur moriatur neſcius, alius denique αὐτόχειρ, aut alio caſu inaudito & admirando perit. Quos quidem attentè conſiderando, quis non in occaſionibus hujuscemodi caſuum vitandis evadat circumſpectior? in imploratione divini regiminis, & pręſidii ſanctorum angelorum petitione ardentior? in pia deniq; & ſeria ad fatalem illam migrationem præparatione accuratior? ſic quoque aut ſimilem in modum ſubinde una mecum exclamans,

Guttula cúm vita mihi ſit tantúm unica; cur me
Mille necis ſpecies, funera mille premunt?

Qua in parte jucundum quoq; eſt videre, quám diverſo affectu ſuperſtites mortem ſuorum ferāt. alii enim iraſcuntur, alii indignantur, alii Deo ipſi maledicere non verentur, alii lamentantur, alii queruntur, alii mortuis blandiuntur, alii æquo animo ſpe reſurrectionis ſe conſolantur, alii mortuis commori, alii ſua morte illorum vitam redimere, ut videtur, cupiunt, atq; ita deinceps. Præterea, cúm totam vitam hominis pii meditationem mortis eſſe debere in confeſſo ſit; quám utile erit polyhiſtori, præſertim adoleſcenti, ſi hujus generis delicias conſectans, ſubinde in tot funerum, cadaverum, ſepulcrorum, & monumentorum, non ſolúm hominibus, verúm canibus quoq; & equis, imó muſcis quoq; ſubinde exſtructorum, mentionem incidat? quibus ipſe quoq; mortalitatis ſuę admonitus, vitam & mores in tempore incipiat emendare; &

cristas suas paulatim magis magisq; demittere. Jam verò, cùm teste Horatio, non cuivis homini contingat adire Corinthum; quando alius hac, alius alia de causa á peregrinationibus longinquis cogitur abstinere: quid tibi, humanissime lector, in hujuscemodi vita, quam ita vocare liceat, sedentaria, jucundius esse possit, quám in libro, eoque non nimis ponderoso, una quasi σωόφῃ ea omnia aspicere; quorum aliqua saltem ex parte (vix enim uni, ut hæc omnia corám videat, contigerit) videndorum gratia alii tantos itineris labores suscipiunt, tantos sumptus faciunt, tot, vitæ quoque nonnunquam, periculis se exponunt. Quod si in regionibus longinquis adeundis & contemplandis, forte ipse quoque olim operam aliquam posuisti; non est quód hanc quoq; ob causam σωώταξμα hoc nostrum, quantumvis aliquando, quod lubens fateor, cùm aliter fieri non posset, ἄτακτον asperneris. Cùm enim plerorumque, præsertim senescentium jam, memoria vacillet; hujus & similium librorum indicio, ea, quæ ante multos annos corám vidisti, in memoriam subinde tibi revocare, eiq; altiús poteris infigere. Sicuti ego ipse, in hac congerie dum versor, haud injucunda tot rerum, locorum, gentium & urbium recordatione perfruor. Quinimó etiamsi adolescens adhuc, & quidem satis fortunatus, ac peregrinationum cupidus sis; teq; ipsum hæc & similia suis in locis aliquando contemplaturum esse speres; non tamen idcirco hæc nostra plané tibi despicienda esse putabis. Multa enim cadunt inter calicem supremaq; labra. Et etiamsi omnino peregrinationi illi tuæ nulla se objiciant impedimenta: tamen moras aliquas (cùm non omnia ad diuturnas peregrinationes necessaria statim omnibus obvia sint) intervenire solere notum est, quarum tædium, deliciæ hæ nostræ aliquantulum tibi lenire, teque adeó præparare & instruere poterunt, ut mox majori cum fructu & emolumento, minoriq; cum molestia tua peregrineris: habens scilicet jam pleraque omnia, in quibus describendis, aliás tibi non absq; tædio fuisset laborandum. In his igitur ipsis, quod commodo tuo fiat, evolvendis & perlustrandis cùm versaberis; cogitabis te in hor-

in hortulo, non plané inculto, violas aut rosas jam decerpere: donec pauló póst in ipso peregrinationis tuæ liberiore campo, florescentium tibi jam arborum fructibus maturis, te oblectare, animumq; adeó φιλοθέωρον totum explere possis. Quod ut cum salute animæ & corporis tui fiat, ex animo tibi opto.

Interea de aliis quoque nonnullis amicé te censeo monendum, ne præter meritum forte in reprehensionem tuam incurram. Qua in parte fieri potest, ut titulus libri hujus, delicias lectori pollicens, aliquem nimis fortasse in hoc genere delicatum offendat, præsertim si alicubi in veteris barbariei incidat reliquias, quales sunt quas in inscriptione monumenti Philippi Decii, Pisis in campo, quem vocant, sancto sepulti, in Elogiis doctorum virorum his verbis exagitat Paulus Jovius: *Octogenario*, inquiens, *major interiit, delatusq; est Pisas, ad sepulcrum marmoreũ, magno sumptu á se in maximi templi fronte constitutum, inscriptione adeó inepta, ut si eam supponamus elegantibus ingeniis, non sine pudore boni mortui, ridenda videatur.* Quod quidẽ ipsum tanti viri & historici judicium, etiamsi verum esse non negemus: tamẽ nos alias ob causas eam ipsam Inscriptionem, quantumvis ineptam, non censuimus prætermittendam. inter quas causas hæc vel prima est, quód exemplum insigne cõtineat vanitatis, positæ in gloriatione de amplis stipendiis, & variis ac splendidis officiis hîc illic non sine maximo fructu administratis; maximé si gloriatio illa ne quidem post mortem cesset, quæ hujuscemodi umbris plané nihil movetur. Quando igitur in hæc & similia inter legendum incides, cogitabis, si verbis nihil elegantiæ aut leporis insit, forté res ipsas & sententias tales esse, ut probé examinatæ non plané repudiandæ videantur. Et quidẽ hæc ipsa barbaries, si cum nostri hujus seculi elegantia prorsus exquisita conferatur; aliquid secum afferet voluptatis. Forte etiam nõ deerunt, qui antiquas Epigraphas malint, quám recentes. Quos ego ad complura, & quidem satis ampla, in hoc genere publicé edita relego volumina; interim tamen confirmare minimé dubius, multas in recentibus his Inscriptiones contineri, quæ veteribus, nec bonitate, nec utilitate, addo etiã acumine &

elegantia, cedere debere, id quod res loquetur ipsa, videantur. Fieri etiam potest, ut quædam Epigraphæ minús emendaté descriptę in manus nostras pervenerint. In quo quám facilé sit labi, præsertim scribis, quales pleriq; sunt, non solidé eruditis, qui intelligunt, facilé nobis veniam dabunt. Ordinem quoque Inscriptionum alicubi concinniorem esse potuisse ipse ultró fateor. Verúm cúm illæ diversissimis temporibus & occasionibus hinc indead me missæ sint; neq; ego semper locorum ubi visuntur, αὐτόπτης esse, in tanta distantia, potuerim; ἀπαξίαν quoq; hîc omnem averruncare non potui. Quód etiam non omnibus Epitaphiis nomina sepultorum præfixi, consultó id factùm est, ut nimirum illa nominis omissione in ipsum epitaphii sensum eo accuratiús lector intenderet, quod aliás nomine lecto forté fuisset prætervolaturus. Quod ipsum in epitaphiis suis video feciſſe D. Georgium Fabricium. Reprehendent quoq; forsitan aliqui, quód in hac Inscriptionum nostrarum editione typographus nō usus sit litteris majusculis; quas plusculum elegantiæ & dignitatis hujuscemodi monumentis afferre solere, ego quoq; non nego. Sed ratio hac in parte habenda fuit peregrinantium, quibus potissimúm laborem hunc nostrum servire voluimus. Qui sané ipse labor fine hoc suo excideret; si libri hujus chartæ in eam molem excrescerent, quæ iter facientes primo aspectu offenderet & á se repelleret. Hæc feré ea sunt, de quibus te in hujus operis vestibulo potissimúm censui præmonendum. Tu ea in bonam partem accipe, & laboribus hisce nostris utere fruere feliciter. Vale. Brema, Idib. Octobris, anno

CIↃ IↃ XCIII.

EIDEM

EIDEM

CANDIDO LECTORI.

CUm hanc Inscriptionum variarum collectionem absolvissem, eamque jamjam typographo missurus essem: in manus meas pervenerunt Monumẽtorum Italiæ libri IV á viro CL. & multarum rerum peritia & experientia claro Laurentio Schradero recens divulgati. é quibus ipsis quoque pauca quædam, instituto huic meo accommodata, describi, & huic farragini addi curavi. Sicuti etiam interea temporis Itinerarium mihi suum animo promptissimo communicavit, vir genere & doctrina nobilis & præstans, D. Joachimus Bassevitius Consiliarius Megapol. & regius, dux olim meus, cúm florentibus integer annis in pulcherrima & nobilissima urbe Florentina hujuscemodi monumentorũ φιλοθέωρ esset: & nunc quoque Musarum nostrarum fautor & patronus integerrimus. Ex quo sané ipso Itinerario Bassevitiano non contemnenda ad hanc ἀνθολογὴν nostram maximé Italicarum, Gallicarum & Anglicarum inscriptionum facta est accessio. Quod ideo quoq; hîc censui indicandum, ne laboris & industriæ alienę fructum mihi vindicare velle, videri alicui parum mihi æquo possem. Vale iterum. B. Cal. Septemb. anno 1593.

EIDEM.

TE moneant Lector tot in uno funera libro,
Tempore quód certo tu quoq; funus eris.

EIDEM LECTORI S.

Delicias tibi polliceor. res ardua dicis?
Non nego. nec cunctis una eademq; gula est.
Quod sapit huic, alius mox nauseat. & mihi miré
Quod placet, hoc poterit displicuisse tibi.
Convivas igitur frugi hic imitabere, qui non
Perdices tantúm, aut Bacchara vina petunt:
Sed panem, & ptisanam, & Nicri quoq; pocula gustant,
Quæ sitis, & faciunt delicioſa fames.
Hæc duo condimenta dapum sunt optima, gratos
Sive animis spectes corporibúsve cibos.
Quin his ex vicibus major quoq; gratia ferclis
Accedit, sine quîs gaudia cuncta jacent.

Nathan Chytræus.

CONTEMPTORI INSCRIPTIONUM novarum.

Cur admirator veterum solummodo, temnis
Hæc nova? quondam etiam prisca fuere nova.
Ætatem his concede suam, fientq; vetusta
Hæc etiam, novitas quæ modó spreta facit.

Nathan Chytræus.

Vita viatoris quasi transitus, omnia finem
Mundus hic immundus quæ veneratur habent.
Transit honos, transit fortuna, pecunia transit,
Mente Deo similis corpore transit homo.
Transivere patres, simul hinc transibimus omnes;
In cælo patriam, qui bene transit, habet.

Frid. Widebramus.

AD CLARISS. ET DOCTISS. VIRUM Dn. Nathanem Chytræum EPIGRAMMA.

Non opus est, Chytræe, tuas post funera laudes
Sculpier in saxo, quod tua membra tegat.

Scriba-

Scribatur nudum post fata in marmore nomen,
Ut tumuli quondam sit nota certa tui.
Qua post te vivent vigilis monumenta laboris,
In laudes sat erunt officiosa tuas.

Johannes Pincier Medicinæ D.
& Professor Herbornæ.

ADMONITIONES ITER FACturis in universum necessariæ.

SIs animo vultuq; humilis, prodesse cuivis,
Si licet, & nulli sit nocuisse labor.
Sedulus in propriis, aliis aliena relinque;
Prudenterq; fides cui sit habenda, vide.
Multa audi, dic pauca, tace abdita, disce minori
Parcere, majori cedere, ferre parem.
Sobrius, & vigil & verax simul esse memento;
Promtus amare bonos, & tolerare malos.
Inprimis reverere Deum, qui cernit & audit
Omnia, quem prorsus fallere nemo potest.
Hoc faciens, poteris peregrinos inter ubiq;
Salvus & in media vivere barbarie.

Nathan Chytræus.

MENANDER.

Ξένῳ μάλισα συμφέρει τὸ σωφρονεῖν.
Ξένῳ ὧν ἀναγκαῖμον ἴδι, καὶ προφέξεις καλῶς.
Ξένον δὲ σιγᾶν κρεῖττον, ἢ κεκραγέναι.
Ξένῳ πεφυκὼς, τὰς ξενοδόχους σέβου.

ALIUD.

VIrtutes gens quaq; suas, sua crimina in orbe
Cúm terrarum habeat; nilq; omni ex parte beatum
Sit; peregrinantes ne fœdam imitemur arachnen,
Cui rosa materies lethalis pura veneni est.
Quin imitemur apes potius, quæ é flore aconiti
Dulcia mella legunt, é crudo nectar acantho.

Nathan Chytræus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IN ITINERIB. OBSERVANDORUM ΣΥΝΟΨΙΣ,

INCERTO AUCTORE.

In peregrinationibus observanda

- I. Regio; in qua considerandanda nomina
  - vetera.
  - recentia.
  - sæpe mutata.
- II. Ditio hominum
  - superiorum.
  - nostrorum.
- III. Nomen urbis, & ratio nominis, si extet. Item, conditor, amplificator, aut instaurator alicujus loci.
- IIII.
  - 1. Flumina, eaq; aut
    - allabentia.
    - propé distantia.
    - deducta.
  - 2. Mare alluens, aut portus.
  - 3. Montes.
  - 4. Sylvæ, nemora, vel si quid aliud insigne.
- V. Opera, & hæc vel
  - publica
    - sacra:
      - Basilicæ.
      - Monasteria.
      - Templa.
    - profana:
      - palatia, arces, fora, armamentaria, propugnacula, turres, & ratio munitionis.
  - privata, ut quæ in civium ædibus sunt insignia, veluti horti, picturæ, fontes, statuæ.
- VI. Ratio gubernationis; ad quã pertinent
  - 1. Curia, in qua senatores, & familiæ civium honestæ.
  - 2. Scholæ, ut ratio educationis & institutionis pueritiæ. Item, viri docti & bibliothecæ.
  - 3. Vulgi mores; quó pertinent, ratio victus & vestitus. Item opificia.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ITALICA,

ET QUIDEM PRIMO

MONUMENTA ROMANA.

IN URBEM ROMAM florentem

Jul. Cæs. Scaligeri Epigramma.

Vos septem gemini cælestia pignora montes,
Vosq; triumphali mœnia structa manu,
Testor, adeste, audite sacri commercia cantus,
Et Latios animos in mea vota date.
Vobis, dicturus meritis illustribus urbes,
Has ego primitias primaq; sacra fero.
Quin te unam laudans, omnes comprenderit, orbem
Non urbem, qui te noverit, ille canet.

ROMA NOVA DE SEIPSA.

INCERTO AUCTORE.

Montibus é septem totum diffusa per orbem
Sideribus quondam proxima Roma fui.
Sub pedibus terras utroq; á littore pressi:
Atlantem tenuit dextra, sinistra Scytham.
Juppiter hos etiam disjecit fulmine montes,
Et tumulos jussit corporis esse mei.
Incubuit capiti rupes Tarpeïa nostro;
Pressa Quirinali pectora nostra jacent.
Crura Palatinus, geminos hinc inde lacertos
Collis Aventinus Vimineusq; tenent.

Exquilia hinc ſurgunt, & ſurgit Cœlius illinc,
Hæc quoq; ſunt pedibus facta ſepulcra meis.
Sic quæ viva ſibi ſeptem circumdedit arces,
Mortua nunc ſeptem contegitur tumulis.

IN EANDEM, QUALIS EST HODIE.

Jani Vitalis Panormitani.

Qui Romam in media quæris novus advena Roma,
Et Romæ, in Roma nil reperis media,
Aſpice murorum moles, præruptaq; ſaxa,
Obrutaq; horrenti vaſta theatra ſitu:
Hæc ſunt Roma, viden' vel ut ipſa cadavera tantæ
Urbis adhuc ſpirent imperioſa minas?
Vicit ut hæc mundum, victa eſt ſe vincere: victæ,
A ſe non victum ne quid in orbe foret.
Nunc victa in Roma victrix, Roma illa ſepulta eſt,
Atq; eadem victrix victaq; Roma fuit.
Albula Romani reſtat nunc nominis index,
Quæq; etiam rapidis fertur in æquor aquis.
Diſce hinc, quid poſſit fortuna: immota labaſcunt,
Et quæ perpetuo ſunt agitata, manent.

INSCRIPTIONES ROMANÆ.

In Capitolio.

S. P. Q. R. Capitolium præcipué Jovi olim commendatum, nunc Deo vero, cunctorum bonorum auctori Jeſu Chriſto, cum ſalute communi ſupplex commendat, atq; tuendum tradit; anno poſt ſalutis initium 1568.

Ibidem.

S. P. Q. R. Majorum ſuorum præſtantiam uti animo, ſic re quantum licuit imitatus, deformatum injuriâ temporum Capitolium reſtituit, Proſpero Buccapadutio, Thoma Cavalerio curatorib. Anno poſt U. C. CXD XDD CCCXXX.

Ibidem putei.

Nos vas condidimus, pluvia tu Juppiter imple.
Præſidibuſq; tua rupis adeſſe velis.

In

In ara cœli.

Unum erat imperium mundi, dominator & unus.
Falleris. at non tu Roma, sed ipse DEUS.
Quem tulit Augusto Cumana puella videndum,
Rector erat primus, ipse secundus erat.
Hic locus est, ubi vidit, ubi rex credidit. Ara
Cœli facta domus regis, & aula DEI.

IN AULA CUR. SENAT. AD SIGNUM PAULI III.

PAULO III. P.M. Quód ejus jussu, auspiciis, atq; ære conlato, urbem situ ac diverticulis viarum deformem atque imperviam, disjectis malé positis ædificiis in meliorem formam redegerint, viis, areisque cum veteribus directis & ampliatis, tum novis constitutis auxerint, ornaverintq;, Latinus Juvenalis Mamæctus, Hieronymus Mavæus Cur. viar. Urbe instaurata, officii & memoriæ ergo statuã in Capitolio optumo Põtifici P. P. An. Christi 1543.

ITIDEM IN CAPITOLIO.

S. P. Q. R. monumenta, marmorea magistratuum triumphorumq; ab urbe condita ad tempora Divi Augusti: ruderibus in foro egestis eruta, impensa Alexãdri Farnesii Cardinalis, Pauli III. Pontif. Max. nep. in Capitolio P.

Marmora præclaros testantia fronte triumphos
Atq; magistratus inclyta Roma tuos,
In medio mansere foro, cùm Roma manebas,
Postq; deos orbi jura secunda dabas.
Ast ubi te indignis fregit fortuna ruinis,
Obruerat tutulos alta ruina tuos.
Tamq; diu in tenebris tantis jacuisse videntur
His veluti fato debita temporibus.
Qua modó Alexander, patria te dignus avoq;
Paulo, inventa tibi marmora restituit.
Tu Capitolina meliori in sede reponis,
Et legeris magni munere Farnesii.

ALIBI.

Perino Organo Florentino, qui singulari morum sua-

vitate, ac testudinis non imitabili concentu dubium reliquit, amabiliórne esset suâ ingenii suavitate, an admirabili artis excellentia clarior: Jacobus Mormita Parmen. amico M. P. Vixit annos XXIX.

D. O. M.

Camillo Ursino, Pardi F. Manupell. Comiti, Guardiæ Gull. Marchioni Larinatiumque & Vallesiticianorum regulo invict. & Parthenopæi regni protonot. integerr. ob singularem item rei bellicæ virtutem, & eximiam promissorum constantiam & fidem Ursina gente dignissimam, á Francisco & Henrico Gallorum regibus navium præfectura, summisq; beneficiis honestato, Victoria Tolfia F. C. conjug. karis. o. d. s. m. ponend. cur. Vixit an. LXV. M. X D. VIII. obiit VI. Kal. April. ∞ D. LII.

IN IPSO FANO S. PETRI.

Huc mulieribus ingredi non licet, nisi unico die Lunæ post Pentecosten, quo vicissim viri ingredi prohibentur. Qui secus faxint, anathema sunto.

IN VATICANO.

Hostes perpetui Christianæ religionis Turcæ diuturno victoriarum successu exsultantes, sibique temeré presidentes, militibus, ducibus, tormentis, omni deniq; bellico apparatu ad terrorem instructi, ad Echinadas insulas, á cõmuni classe, prælio post hominum memoriam maximo, perspicua divini spiritus ope profligantur. M. D. LXXI.

ITEM.

Classes oppositæ, Turcarum una, Christianæ societatis altera, inter Pium V. Pontif. Max. Philippum Hispaniarum regem, Venetam Remp. inito jam fœdere, ingentibus utrinq; animis concurrunt.

Ibidem depicta est cædes Amiralii Gallici, facta in nuptiis regis Navarræ, cum his inscriptionibus:

Caspar Colignus olim Amiralius accepto vulnere domum defertur Gregorio XIII. Pontif. Max. M. D. LXXII.

In quodam Farnesiorum palatio extant picturæ præstantium ducum Romanorum, cum talibus inscriptionibus:

TRA-

TRAJANUS

Invictæ virtutis Imperator, Optimi cognomen promeruit.

CN. POMP. MAGN.

Magno fortunæ ludibrio, ubiq; victor, indigno vitæ exitu, sepultura caruit.

FAB. MAXIMUS

Inveteratæ prudentiæ Dux, cunctando restituit rem.

ROMULUS

Æternæ urbis fundamenta jecit, militarem disciplinam domi restituit, qua imperium feliciter creſceret.

NUMA

Martium populum religioni addixit, ut pace & bello invictus evaderet.

M. MARCELLUS

Bellator acerrimus opima spolia Jovi Feretrio posuit.

CAESAR DICTATOR

Universum orbem terrarum hostili cruore replevit: suo demum sanguine curiam inundavit.

AUGUSTUS

Jano clauso, finem civilibus & externis bellis imposuit.

IN TEMPLO GERMANORUM S. MARIAE de Anima.

Gewalt / gelt vnd gunſt
Bricht recht / trew vnd kunſt.

Ibidem.

EN QUO TANDEM?

Bartholomæo Saliceto Bononienſi, quem ob ejus præstantem in omni genere virtutis animum mirari magis quám laudare licet, in quo Fides & Religio cum doctrina certabant. Vixit annos LXXVIII. d. X. Alexander Farneſ. & Andreas de Valle, S. R. E. Cardd. ac Vianeſius Albergatus Bonon. amico incomparabili posuerunt. M. D. XXV.

IBIDEM.

D. O. M. S.

Georgio Sauromanno, equiti Germano. Vratisl. Præpoſito, Internuncii procuratoris, qui munere primúm apud Leonem X. mox apud Adrianum VI. ac demum Clementem VIII. Pontiff. Maxx. Divi Caroli V. Auguſt. nomine, magna fidei, integritatis, ac ſapientiæ laude functo, cúm amicorum incuria pluribus annis ſine monumento fuiſſet, Valentinus Saurmannus ex fratre nepos patrui memoriæ, virtuti, pietatique dicavit. An. Dom. M. D. L.

AD TEMPLUM S. MARIÆ de populo.

DE EXUNDATIONE TIBERINA.

Septimus auratum Clemens geſtabat Hetruſcus
Sorte pedum, huc ſaliit quom vagus atq; Tiber.
Quippe memor campi, quem non coluere priores,
Amnibus epotis in nova tecta ruit.
Utq; foret ſpatii implacabilis ultor ademti,
Et Cererem & Bacchum ſuſtulit atq; lares.

Reſtaur. VIII. Id. Octobr. anno M. D. XXX.

FRANCISCO BERRETTÆ

Mediolanenſi, ſpectatæ fidei ſingularisque induſtriæ viro, qui dum honeſté mercaturis faciendis rem quæreret, vitæ jacturam fecit, Anno LI. menſ. IV. dies II.

TUMULUS BESSARIONIS CARD.

Beſſario epiſcopus Tuſculanus S. R. E. Cardinalis, Patriarcha Conſtantinopolitanus, nobili Græcia ortus oriundusque ſibi vivus poſ. Anno ſalut. M. CCCC. LXVI. ætatis LXXVII.

Τὸν τ' ἐπὶ Βησσαρίων ζῶν ἄνυσα σώματι σῆμα,
Πνεῦμα δὲ φευξεῖται πρὸς θεὸν ἀθάνατον.

Quod diſtichon Majoranus Salentinus ita vertit:

Beſſarion feci hunc tumulum, qui conderet oſſa,
Venerat unde olim ſpiritus aſtra petet.

M. AN-

M. ANTON. COLUMNÆ PAREN. P.

Si ſpectas annos; bimum luxere parentes;
Si mentem, iſte ſenex naſcitur & moritur.

IBIDEM.

Si daret annoſam numeroſa pecunia vitam,
Quisq; ſibi dives tempora longa daret.

HONORÆ QUINTERIÆ.

Hæc quicunq; modó ſpirantia molliús ora
Proſpicit, & cæli nobile laudat opus;
Quám gemeret, mentis ſi conſpexiſſet Honoræ
Tot bona, naturæ vix revocanda manu;
Diceret &, vitæ comites, probitaſq;, fideſq;,
Et pudor, & formæ gratia rara perit.
At tibi Quinteri longum manſurus in ævum,
Stet decor hic ſaxi, nec fluiturus honos.

ALEXANDRI PAVONII.

Fidus Alexander jacet hic Pavonius, is qui
Ipſe amor, ipſa fides, ipſa erat & bonitas.
Fratri ergo invictæ fidei, bonitatis, amoris,
Hunc Paulus tumulum præbuit, aſtra Deus.

ALIUD.

Demetrio Cabacio Rhallo, Equiti Spartano, qui nullum corporis incommodum expertus, nonageſimum ætatis annum menſ. II. diem XXII. ſuperavit, Manilius ex Thomaide Theodori Bocchali filia ſusceptus parenti ſanctiſſimo ac b.m. ſibiq; poſ.

Si genitor deflende pius tibi debita natus
Juſta, ſepulturæ munera ſi apta darem:
Conderer hic tecum, diſcat ne ſera ſenectus,
Cum genere amiſſam rem patriamq; mihi.

IBIDEM.

Concordes animos, piasq; mentes,
Ut dicas licet unicam fuiſſe.

Commisti cineres sequentur, & se
Credi corporis unius juvabit.

NICOLAI SUDORII

Musici, qui Arragoniis Regibus quatuor & XXX. annos servivit. Obiit M. D. V.

Cur te Musice Musicus peremit
Sagitta Nicolaë pestilenti?
Invidit modulis meis Apollo.

RINALDI SIARAMPÆ.

Siarampa de gente rapit te Roma Rinalde,
Heu facinus! juvenem tempore, mente senem.

Vixit annos XX. mens. X. dies XII. Obiit Nonis Febr. M. D. VI.

JACOBI MENTEBONÆ.

Luca ortus, Sena lege fuit mihi patria, nomen,
Dum vixi, Jacobus, mens bona pro genere.
Papa Pius sedem Papiensem detulit, idem
Cardineo ornavit munere, gente, domo.
Vivite qui legitis, aterna & quarite, non hac:
In cineres tandem gloria tota redit.

CAMILLI PUERI.

Præcipiti dum currit equo dans frena Camillus,
Vix annos natus decidit octo puer.
Si casurus erat, molli cecidisset in herba,
Heu tenerum scelus est rumpere saxa caput?

HIER. ALEANDRI CARDINALIS BRUNDUSINI.

Hieronymo Aleandro Mottensi, é Comitibus Landri in Carnia, Petrę Pilosę in Histria oriūdo T. T. S. CHRYSOGONI S. R. E. Presbyt. Card. Brundusino, Philosophiæ & Theologiæ Doctori, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, aliquotq; aliarum linguarum exoticarum ita exactè docto, ut eas rectè & aptè loqueretur & scriberet, mox diversis legationibus pro summis Pontt. ad omnes ferè Christianos Principes fideliter & diligenter perfuncto, & ideo in tabem delapso, quanti humanam miseriam fecerit, sequenti di-

ti disticho, de se edito, testatum posteris reliquit:

Κάτθανον οὐκ ἀέκων ὅπ πάυσομαι ὢν ὁπμάξ|υς
Πολλῶν, ὧν περ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν θανάτοῦ.

Quod est:

Excessi é vita ærumnis facilisq; lubensq;,
Ne pejora ipsa morte dehinc videam.

Natus est Mottæ in Carnia Anno M. CCCC. LXXIX. Moritur Romæ, Anno Christ. salut. M. D. XLII. ætatis suæ LXII. minus diebus XIII. Hæredes patruo amplissimo & opt. mœstissimi P.C.

GUIDONIS PISANI.

Sedis Apostolicæ Guido Cancellarius, in se
Quám nihil est mundi gloria, morte probat.
Pisa virum peperit, quem donat Roma sepulcro,
Vix paritura parem, vix fruitura pari.
Huic sine nocte diem, vitam sine morte, quietem
Det sine fine, dies, vita, quiesq; Deus.

EDUARDO CARNO

Britanno, equiti aurato, Jurisconsulto, oratori, summis de rebus Britanniæ Regum ad Imperatores, ad Reges, bisq; ad Romanam & Apostolicam sedem, quarum in altera legatione á Philippo Mariaq; piis regibus missus, oborto deinde post mortem Mariæ in Britannia schismate, sponte patria carens, ob Catholicam fidem cum magna integritatis, veræq; pietatis existimatione decessit. Hoc monumentum Galfridus Vachanus, & Thomas Fremannus amici ex test. pos. Obiit M. D. LXI. 14. Cal. Febr.

JOAN. FRANC. POGGIO

Florent. cum virtute ac constantia, morum gravitate, vita integerrimé acta, paterna suaq; laude eloquentiæ ac literarum, Juris quoq; Civilis & Pontificii, divinæq; scripturæ cumulata doctrina, religiosé viventi, religiosius supremo die functo: Vincent. Lucæ Martinus fratris ejus gener paren. apud se locum semper adsecuto, opt. merent. pos. Obiit anno Domini M. CCCC. XXII. die XXV. Junii. Vix. an. LXXIX. menses III.

ALIUD.

Post obitum vivo meliùs, doleoq; medendi
Artibus extremum sæpe fugasse diem.

IBIDEM

ANDREÆ DE CASTRO.

Sis forti atq; animo potens, eundum est.
Nec qua scire licet via, venit mors
Clam per mille modos; en ipse florens
Equi calce feri peremtus hic sum.
Quare vivito jam bene ac paratus.

ROBERTO PECHAMO

Anglo, equiti aurato, Philippo & Mariæ Angliæ & Hisp. Regibus olim á consiliis, genere, religione, virtute præclaro; qui cúm patriam suam á fide Catholica deficientem aspicere sine summo dolore non posset; relictis omnibus, quæ in vita carissima esse solent, in voluntarium profectus exilium, post sex annos pauperibus (res rari exempli) hæredibus ex testamento institutis, sanctissimé é vita migravit. Id. Septemb. M. D. LXIX. ætatis suæ LIV. Thomas Goldoveldus Episcop. Asavens. & Thomas Kirtonus Angli testamenti procuratores pos.

STATII TUMULUS.

Statius hîc situs est, juvenem quem Cypris ademit,
Præconem Æneæ carmine quód premeret.

Statio Statii fil. dulciss. Christophora M. pientiss. P. Vix. ann. XXXIII.

CATHARINÆ LANGERIN.

Invalidos ager dum vult curare parentes,
Fata recidivis implicuere malis.
Tam magno enixam Lucina dolore coëgit
Atram Persephones dira subire domum.
O pietas! ô dii! crudeli sorte licebat
Vivere, sed præstat cum pietate mori.

Catharinæ Langerin, conjugi suaviss imæ, elegantia formæ perpaucis, moribus veró atq; vivendi consuetudinæ nulli fœminarum comparandæ, quam concordiâ mariti.

riti, fortunæ bonis, liberisq; fortunatam dixisses. Sed ea omnia, ne quid humani non fluxum caducumq; existimes, mors importuna inopinanti ante tempus eripuit. Moritur anno ætatis suæ XXVII. á salut. Christiana M. CCCC. XCV. pridie Calend. Januar. Joan. Langer maritus, & Joan. Engel genitor ejus, hoc monumentum contra vota statuerunt.

BERNARDINO CORDUBENSI

Pontif. Max. disciplinarum omnium cognitione inclyto, cujus ingenium ac disserendi acumen cunctarum gentiũ gymnasia stupuêre: viro omni virtutum genere ornatissimo, qui vita sacrarum literarum studiis innocentissimé acta, multaq; doctrinæ monimentis posteritati relictis, hominem exuit, anno ætatis LXV. Anno M. CCCC. LXXXV. Gregorius Card. Portuensis bene mer. pos.

PETRO CIACONI

Presbytero Toletano, in quo multiplicis doctrinæ copia, cum vitæ ac morum integritate certabat, qui á Gregor. XIII. Pontif. Max. sanctorum Patrum libris, sacrisq; canonibus, & sacrosanctis Bibliis perpurgandis præpositus, in eo munere obeundo, eruditione, judicio, fide ac diligentia præstitit: Ecclesia S. Jacobi Hispanorum, qui urbem colunt, hæres ab eo instituta, monument. hoc P. Vix. ann. LVI. Obiit anno M. D. LXXXI. VII. Calend. Novemb.

FRANCISCO N.

Juris Pontificii Doctori; qui cúm in Rom. Curia suis, inter quos magnas fortunas distribuerat, apprimé charus vixisset, á stolido quodam adolescente, quem domi aluerat, præsentaneo veneno sublatus.

Heu fovi in gremio qui me póst perdidit anguem,
Sed tibi quám morior, tam bené vivo mihi.

DIDACI DE VALDEZ.

Certa dies nulli est, mors certa, incerta sequentum
Cura, locet tumulum, qui sapit, anté sibi.

CAROLO CELSO

Jo. f. optimæ spei, summæq; festivitatis ac suavitatis puero, Atalanta Corvaria filio dulcissimo, multis cum lacrymis posuit. Vixit ann. VII. dies XV. Obiit August. M. D. LXV.

Care puer, festive puer, tibi munera mater
Ultima dat, matri qua dare debueras.

JOAN. BAPTISTÆ FLORENTIOLO PUERORUM FLOSCULO.

Ne dulces ferres fructus mellite Joannes,
Decussit flores mors inimica tuos.

Vixit annos VI. Obiit X. Calend. Julii M D. LXXIII. Simon & Lud. Florētini cives, & ejus parentes mœstissimi, amoribus & deliciis suis p.p.

LAURENTIO VALLÆ

harum ædium sacrarum Canonico, Alphonsi Regis, & Pontificis Max. Secretario, Apostolicoq; scriptori, qui sua ætate omnes eloquentiâ superavit, Catharina mater filio pientissimo pos. Vixit annos L. Obiit Anno M. CCCC. LXV. Augusti Calend.

Laurens Valla jacet Romanæ gloria linguæ:
Primus enim docuit qua decet arte loqui.

Aliud ejusdem ex Trithemio.

Nunc postquam manes defunctus Valla petivit,
Non audet Pluto verba Latina loqui.
Juppiter hunc cæli dignatus parte fuisset;
Censorem linguæ sed timet ipse suæ.

JULII SADOLETI.

D. IMM. S. pietati & memoriæ Julii Sadoleti Sacerdotis Laurentiani de Collegio Canonicorum, Græcis & Latinis literis singulariter eruditi, omnibus optimis & disciplinis & moribus ita ornati, ut ejus ingeniū, comitatem, liberalitatem, & ante annos prudentiam nulla satis æquare possit admiratio, Jacobus Sadoletus fratri concordissimo, & spe de eo maxima orbatus, multis cum lacrymis pos. Vixit annos XXVI.

MILITIS.

Transivi intrepidus per mille pericula victor,
Non acies ferri, non fortia mœnia fossis
Conatus tenuere meos; domat omnia virtus.

IN

IN CRYPTA S. LAURENTII; DE SEPULCRIS MARTYRUM.

Hæc est æterno florens & grata juventus,
Sanguine quæ fuso pulcra trophæa tulit.
Ibant ut sererent, quæ semina pulcra ferebant:
At lacrymis flentes immaduêre genæ.
Nunc demessa suis portantes farra maniplis,
Lætitia redeunt se comitante nova.

JOAN. FONTAINÆ

Belgico, nobili genere; qui dum ad vicum Varronis in Latio inter cohortes Gallicas auxiliares, pro Pont. Max. contra Hispanos, fortiter pugnat, & concussum tormentis oppidi murum transcendit, in ipso irruptionis ardore plumbeâ trajectus glande, cum laude occubuit: Arcturus Fontaina fratri animosissimo, signis collacrymantibus, pos. Vixit annos XXV. obiit Calend. Aprilis M. D. LVII.

IBIDEM AD STATUAM DEIPARAE.

Virginitas, partus, discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

DOROTHEA TRANSINNA JOAN. BASCALO F.

Care puer, multis mihi parte laboribus, in quo
Spes erat, hanc matrem destituis miseram?
Te sine quod vitæ superest per tædia ducam,
Sed tu cælicolis associate, vale.

CAROL. FRID. DUCIS CLIVENSIS ET JULIAE.

Carolus-Fridericus, Juliæ, Cliviæ & Montium Dux, Marchiæ & Ravenspergi Comes, Ravensteini Dominus, ingenio, ac supra ætatem rerum & linguarum usu, singulariqúe in Deum pietate clarus, Gregorio XIII. Pontif. Max. ad annum Jubilæum Christiani orbis populos convocante, post acceptos in avunculi sui Maximiliani secundi Cæsaris Augusti aula, aliisq; in locis varios honores, religionis & optimarum disciplinarum studio Romam veniens, magnificentiss. ab eodem Pontif. Max. excipitur,

recluſa porta ſancta, in ſolemnibus ſacris gladio pileoque de more conſecratis ab eodem Pontifice honeſtatur, omnibus Chriſtianæ pietatis officiis perfunctus, ſanctiſſimi Jubilei beneficio expiatus, dum ad ſuos redire cogitat, gravi morbo correptus, in terris, ut cælo frueretur, eſſe deſiit. Ejus funus Pontif. Max. benigna voluntate, qua venientem exceperat, ægrotantem inviſerat, cùm ingens omnium ordinum, collegiorum, ſodalitatum frequentia conveniſſet, ampliſſimis exequiis & pompa magnifica, totius urbis ſummo mœrore, ac incredibili deſiderio celebratum eſt. Conſummatus in brevi explevit tempora multa: Placita enim erat Deo anima illius. Gulielmus Dux filio dulciſſ. majori natu fac. cur. Vix. an. XIX. dies XII. Obiit anno M. D. LXXV. Id. Febr.

IBIDEM.

Si benedicta fui, benedicis & undiq; ſime;
Inter & electos ſum benedicta Deo.
Cur me fles fili? morimur non deniq; cuncti?
Non moribunda fui, non moriturus ades?
Fle, fle te miſerum, fle, fle tua crimina, fle, fle,
Quód procul á patria ſumq; ſepulta mea.
Improba ſed ſi mors nos corpore falce diremit;
Nos animo nunquam diſſociabit amor.

ALEXANDRO JUNIO

Antvverpienſi, quod oppidũ eſt in Belgis nobiliſſimum, honeſtiſſ. parentibus nato, Romæ ob virtutem ad honores evecto, & auditoris ſacri Palatii munere integerrimé functo, hæred. poſ. Vixit annos XXX. menſes XI. Obiit V. Calend. Octobr. Anno M. D. LVIII.

Roma peregrino magnos mandarat honores,
Quos immaturo funere mors rapuit.
Diſce meo exemplo virtuti præmia nunquam
Deeſſe: ſed & quovis tempore diſce mori.

CONRADI LEBENTHERII
VRATISLAVIENSIS.

Primum clara diem tribuit Germania nobis,
Supremum tribuit Roma ſuperba diem.

Ætas

Ætas, ingenium, mores, & forma fuêre,
Singula quæ fatis est violasse pudor.
Cur hæc tam parvi ternæ fecere sorores,
Ut sortis possit quemq; pigere suæ?
Principium vitæ dolor est, dolor exitus ingens,
Et medium labor est; vivere quis cupiat?
At sibi sic facilem Lachesis sinat ire senectam,
Ut nostris requiem manibus ore roges.

De imagine Christi.

Sanguine quæsisti cælum, nos tartara culpis,
Fac meritis cedant crimina nostra tuis.

SERAPHINO ODUCTIO STRANCIONIO

Medico celeberrimo, vati ingeniosissimo, ac omnino omnium disciplinarum doctrina prædito: vitæ autem integritate ac morum probitate omnibus gratissimo: qui vehementi febre correptus, præscita prædictaq; die & hora mortis, constantissimé obiit IX. Calend. Septemb. M. D. XXXVIII. Theophilus filius pientiss. patri opt. pos. Vix. ann. LIIII. mens. VII. dies XXIII.

CONJUGIS A MARITO INTERFECTAE.

Immitis ferro secuit mea colla maritus,
Dum propero nivei solvere vincla pedis.
Non culpâ meruisse necem pia numina testor,
Sed jaceo fati sorte peremta mei.
Discite ab exemplo Christiana, discite patres,
Ne nubat fatuo filia vestra viro.

IN SACELLO PII V. AD DEXTRAM.

Solymum Turcarum Tyrannum multis insolentem victoriis, ingenti parata classe, Cyproq; expugnata, Christianis extrema minitantem, Pius V. fœdere cum Philippo II. Hisp. Rege ac Repub. Veneta inito, M. Ant. Columnam Pontificiæ classi præficiens, ad Echinadas hostibus XXX. mill. cæsis, X. mill. in potestatem redactis, triremibus

CLXXX. captis, XI. demersis, XV. mill. Christianis á servitute liberatis, precibus & armis devicit.

AD SINISTRAM.

Galliam, Carolo IX. Rege, perduellium hęreticorumq; nefariis armis vexatā, ut de Regno deq; religione actum videretur; Pius V. Sfortiæ Comitis S. Floræ ductu, missis equitum peditumq; auxiliaribus copiis, periculo exemit, hostibusque deletis victoriam reportavit: regi regnum cum religione restituit: signa de hostibus capta ad Lateranensem basilicam suspendit.

ALIUD.

Petra Petrum tegit hæc, animamq; fovet Petra Christus,
Sic salvum retinet utraq; petra Petrum.

PHILIPPUS DE LEVIS

Tituli sanctorum Petri & Marcellini, Cardinalis Arelatensis, é Gallia ortus, illustris moribus, virtute illustrior, Romanis Pontificibus & Christianissimis Francorū Regibus magno in pretio habitus, in senatum Apostolicum magna probitate adscitus, obiit suo natali, magno sui desiderio relicto, quippe qui corporis & animi bonis prædi-tus, summaq; autoritate pollens, profuit quibus potuit, obfuit nemini. Vixit annos XL. Obiit Prid. Non. Novemb. Anno M. CCCC. LXXV.

Duo fratres jacent hîc eodem clausi sepulcro, Philippus & Eustachius, primus Cardinalis fuit, sed Archiepiscopus Arelatensis uterque. Sedente Innocentio VIII. Pontif. Max. Eustachius natione Gallus, nobili Levorum gente Arelatensis Archiepiscopus, hîc situs est. O quanta fuit in hoc Antistite fides, pietas, religio, sanctitas, ob quæ eum meritó Pontif. Max. inter sacrosanctos sibi divinarum ceremoniarum Antistites connumerari voluerit! qui cúm fratrem Philippum S.R.E. Cardinalem, qui juxta se cubat, unicé dilexisset in vita, in morte quoque, ut tumulo illi jungeretur, mandavit. Vixit annos XLII. Obiit M. CCCC. LXXXIX. April. XXII.

UBAL-

UBALDINO BANDINELLO

Patricio Florentino, Montis Falisconis Episcopo, viro non minús vita & moribus integerrimo, quám multiplici rerum scientia ornatissimo, Francisca soror mœstissima, optimo fratri pos. Obiit VII. Martii, Anno á Christo nato M. D. LI. ætatis veró suæ LVII.

ALIUD.

PAULI IIII. PONTIF. MAX.

IESU Christo spei & vitæ fidelium.

PAULO IV. CARAFFAE PONT. MAX.

eloquentia, doctrina, sapientia singulari: innocentia, liberalitate, animi magnitudine præstantiss. scelerum vindici integerrimo, Catholicæ fidei acerrimo propugnatori:

PIUS V. Pontif. Max. grati & pii animi monumentum pos. Vixit ann. LXXXIII. mens. I. dies quindecim. Obiit M. D. LIX. Calend. Septemb. Pontificatus sui anno V.

LATINÆ BECCALUNÆ.

Religionem servare, liberos alere, rem tueri domesticam peritissimé. quæ cum Juliano Lotto ad extremã ætatem sine lite concors uxor vixit ann. LXXVII. mens. V. dies III. Nicolaus Lottus matri sanctiss. mœrens pos. M. CCCC.

JULIAE MAFFAEAE.

Quid gemis heu tanto felicia funera luctu?
Turbantur lacrymis gaudia nostra tuis.
Parce precor tristes questus effundere, vixi,
Non erat in fatis longior hora meis.
Immatura peri. sed tu diuturnior annos
Vive meos, conjux optime, vive tuos.

MAFFAEORUM GEMELLORUM.

Una dies animo similes vultuq; gemellos,
Una dies fecit funere dissimiles.
Æmula sed nostra fuerint cúm fata juventa,
Una meos cineres condet & urna tuos.

JULII.

Patria Roma fuit, gens Portia, nomen Iulus,
Mars puerum instituit: Mors juvenem rapuit.

GABRIELIS TRINISANI.

Lustrandi studio veterum decora alta Quiritum
Veni, pro hospitio Roma dedit tumulum.
Forma, anni, mores, patria genus, & pater, & res,
Æqua mihi, mors hæc risit, & abripuit.

ANT. CASTALII.

Grata cum Deo viventi mors.

Quam vivens potui nunquam gustare quietem,
Mortuus in solida jam statione fruor.
Passio, cura, labor, mors tandem & pugna recessit
Corporea, & solum mens quod avebat, habet.

CANIS.

Parve canis, tibi parva domus, & corpore parvus
Et brevis est tumulus, & breve carmen habe.

JULII SATURNI.

Patris erat quondam spes & solamen Iulus,
Nunc desiderium mortuus & lacryma.

MARCI MUSURI CRETENSIS.

Musure ô mansure parum, properata tulisti
Pramia: namq; citó tradita, rapta citó.

BARISELLI.

Hîc jaceo, qui dum Barisellatus almæ urbis fungor officio, á cruenta morte abripior. noli mihi mortuo maledicere, nequeo in tenebris respondere. Vix. annos L. Marsiola de Capriolis viro, Faustina & Virgilia patri opt. multis cum lacrymis pos.

GEORGII CASTANEAE.

I, bené fac, medius: Dum iratis vulnera amicis
Esse veto, adscivi per mea damna necem.

LUDOVICO LUCENÆ

Hispano, qui præter cæteras virtutes, quibus longé aliis

excelluit, hanc maximé coluit, ut omnibus assiduè benefaceret, & neminem ob id sibi devinctum esse vellet.

ALIUD.

HORTENSIAE AGAZARIAE MELINAE uxori unanimi, concordi, dulcissimæ, Petrus Melinus conjux desolatissimus, mœroris sui monumentum pos. Vix. ann. XIX. mens. II.

Méne fugis, nec cara sequor te Hortensia? plus te
Pecco ego. te cogit fatum, ego lege vetor.
Hoc rumpi non posse dei docuere; sed illam,
Si qua via est, frangi posse docebit amor.

PERINO BONACURTIO

Vaceæ Florent. qui ingenio & arte clarissimus egregios permultos pictores, plastas feré omnes superavit; Catharina Penna conjugi, Lavinia Bonacurtia patri, Josephus Cincius Belga socero carissimo & optimo posuerunt. Vix. ann. XLVI. mens. III. dies XXI. Obiit XIII. Calend. Novemb. Anno Christi M. D. XLVII.

Certantem cùm te secum natura videret,
Irata in tenebras misit, & ad tumulum.
At tumulus si te tegit, & Perine tenebræ;
Et tenebræ & tumulus non tua facta tegunt.

LACTANTII FUSCI.

Hic vicit sortem, potuit non vincere mortem,
Dum sortem vicit, mortuus occubuit.

ANTONIO DE CERVATTIS,

Cæsar-Augustano R. Innocentii Cardinalis Cibo elegantissimo Architriclino, ingenio, industria & fide ad honestum gradum evecto, multis jam laboribus fatigato, qui dum quietiorē vitam quærit, immatura morte præventus, quam vivens non invenit, hic requiem ducit. Vix. ann. XL. Obiit M. D. XXI.

LAURENTII FLORENTINI

sculptoris.

Roma mihi tumulum tribuit, Florentia vitam.
Nemo alio vellet nasci & obire loco.

Mortuo non obtrectandum.

Larva meum quæ post fatum maledicere gaudes,
In faciem mitis cur tua lingua fuit?

ALIUD.

Mors voluit mundum sub certa lege teneri,
Nam cinis est hodie, qui fuit ignis heri.

JULII ARSINII.

Quám bene pro patria Juli cadis inclyte, si non
Tecum arma & pietas, & caderet patria.

ALIUD.

Vide quid sim, fui quod estis, eritis quod sum.

PONTIAE.

Pontia Titi Pontii filia hîc sum, quæ duobus natis veneno absumptis, avaritiæ opus, ipsa mihi mortē conscivi. Tu quisquis es, q̄ huc trāsis, si pius es, á me oculos avertē.

ATHEI.

Vixi. & ultra vitam nil credidi. quó vadam nescio. invitus morior. Valete posteri.

SUB TRUNCO MARCIDO ET florido simul.

Aspice quám subitó marcet quod floruit anté!
Aspice quám subitó quod fuit anté cadit!

IN MARIAE S. ANGELI.

Quod fuit Idolum, nunc templum est Virginis, auctor
Est Pius ipse pater: Dæmones aufugite.

Ibidem in Xenodochio.

Hospes disce novum mortis genus, improba felis,
Dum teneo, digitum mordet, & intereo.

ALIBI.

Cadaver.

Priús sperma fœtidum;
Vixi domus stercorum;
Denatus esca vermium.
Speculum peregrinationis humanæ.

IN TEMPLO S. PETRI IN VATICANO.

Antonius Cardinalis S. Praxedis, mortem præ oculis ſemper habens, vivus ſibi poſuit. Anno Domini M. D. I.

IN TEMPLO GERMANORUM.

Scis remeare datum nulli poſt juſta: daretur
Si mihi, ſim nullus, ſi remeare velim.
Ætates omnes defunctum ſera vocavit
Mors: reliquum vitæ quid niſi pœna fuit?
Sancté ſi Muſas colui, fortaſſe ſepultus,
Vita inter vivos nunc meliore fruor.

IN BAPTISTERIO CONSTANTINI MAGNI, quod eſt in templo Lateranenſi.

Inſons eſſe volens iſto mundare lavacro,
Seu patrio premeris crimine, ſeu proprio.

IN BELVEDERE SEU HORTIS PAPAE.

PIUS IV. Medices Mediolanenſis Pontif. Max. quó commodiores honeſtioresq; ſibi ſucceſſoribusq; hortos Vaticanos redderet, complures aulas, cubicula & ſcalas, circum ſupraq; hemicyclum, pleraq; á fundamentis extruxit: quasdam in veterem formam reſtituit, atq; exornavit ann. ſal. M. D. LXII. Pontif. ſui ann. III. Kalend. Jan. abſolvit.

IBIDEM.

PIUS IV. Medices Mediolanenſ. Pontif. Max. hanc in nemore palatii apoſtolici aream, porticum, fontem, ædificiumq; conſtruxit, uſuiq; ſuo & ſuccedentium ſibi Pontificum dedicavit. Ann. ſal. M. D. LXI.

IN DOMO INQUISITIONIS.

PIUS V. Pontif. Max. congregationis ſanctæ Inquiſitionis domum hanc, quó hæreticæ pravitatis ſectatores cautiús coërcerentur, á fundamentis in augmentum Catholicæ religionis erexit. Anno M. D. LXIX.

AD S. CRUCIS IN HIERUSALEM.

Vita prior mortem, ſed mors tibi prima ſecundam
Vitam, quæ nunquam eſt interitura, dedit.

Ibidem.

AD S. SEBASTIANI.

Hic est locus sanctissimus, in quo est summa & vera remissio omnium peccatorum, & splendor & lux perpetua, & sine fine lætitia, quam Christi martyr Sebastianus promeruit: & virtute sacrificii liberatur anima.

IN S. SABINAE.

I nunc, & rebus fidas Romane secundis,
Cuncta brevi cùm sint interitura die.
Orbis delicias & Titum & Vespasianum
Terrarum dominos hæc capit urna duos.

IN FORO TRAJANI.

CLAUDIO CLAUDIANO V.C. Tribuno & Notario. inter cæteras ingentes artes præglorioss. Poëtarum, licet ad memoriam sempiternam carmina ab eodem scripta sufficiant: attamen testimonii gratiâ ob judicii sui fidem D.D.N.N. Arcadius & Honorius feliciss. ac doctissimi Impp. Senatu petente, statuam in foro Divi Trajani erigi collocariq; jusserunt.

AD S. MARIAM DE POPULO.

Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem,
Barbarus heic situs est: utraq; lingua gemit.
Urbs Venetûm vitam, mortem dedit inclyta Roma.
Non potuit nasci clarius, atq; mori.

In Martis æde.

Martyrii virgo gestans Martina coronam,
Ejecto hinc Martis nomine templa tenet.

IN TEMPLO D. PETRI AD VINCULA.

D. O. M. S.

JACOBO SADOLETO Episcopo Carpentoractis S. R.S. Presb. Card. viro morum gravitate, prudentia, & vitæ integritate præstantissimo, doctrina & eloquentia, cum iis quos mirata est antiquitas comparando, Paulus Sadoletus Episc. Carpentoractis, & Camillus Sadoletus fratrũ filii mœstissimi, multis cum lacrymis patruo B. M. pro tempore posuerunt.

Avari

Avari patris & filii.

Qui, dum vita data est, semper vivebat avarus,
Hæredi parcens, invidus ipse sibi,
Hîc accumbentem sculpi genialiter arte
Se jussit docta post sua fata manu:
Ut saltem recubans in morte quiescere posset,
Securaq; jacens ille quiete frui.
Filius á dextra residet, qui castra secutus,
Occidit ante patris funera mœsta sui.
Sed quid defunctis prodest genialis imago?
Hoc potius ritu vivere debuerant.

ALIBI.

M. Canulcius Zosinus vix. ann. XXXVIII. Fecit patronus lib. benemerenti. Hic in vita sua nulli maledixit: sine voluntate patroni nihil fecit: multum ponderis auri arg. penes eum semper fuit: concupivit ex eo nihil unquam. Hic armorum cælatura omnes vicit, &c.

AD JO. LATERAN.

PIUS V. P. M. signa de Caroli IX C. G. R. perduellibus, iisdemque Ecclesiæ hostibus, á Sfortia Comite S. Floræ Pontificii auxiliarii exercitus duce capta, relataq; in principe Ecclesiarum Basilica suspendit: & omnipotenti DEO tantæ victoriæ auctori dicavit, ann. 1570.

ALIBI.

FELIX NIMIUM PRIOR AETAS.

OMNIS AETAS DE SUO TEMPORE CONQUESTA EST.

NULLI PRAECLUSA EST VIRTUS, omnibus patet; non quærit donum, non censum, sed nudo homine contenta est.

AD PORTAM MAJOREM.

Heus viator miraculum! Hîc vir & uxor non litigant.

Quæres, qui ſumus? non dicam. At ehodum ipſa dico. Hic Belbius Ebrius, me Ebriam nuncupat, non dico amplius. Ohe conjux: & jam defuncta garris?

In Laurentii Campo Martio.

Comenſis Caſanova, dum priores
Et duces canit, & canit poëtas
Præcurtis Epigrammatis: perennem
Ac longam ſibi gloriam paravit.

In via Flaminia supra Fontem Lymphæ matri ſacrum.

Si humano ingenio perpetuó viatoribus parari vina potuiſſent, non amœnum, quem cernitis, fontem C. Lepidus magna impenſa adauxiſſet. Pota felix.

In arcu S. Viti.

Gallieno clementiſſimo Principi, cujus invicta virtus ſola pietate ſuperata eſt: Aurelius Victor dedicatiſſimus numini majeſtatiq; ejus.

In arcu triumphali Conſtantini Imp.

Imp. Cæſ. Fl. Conſtantino Max. P. F. Aug. S. P. Q. R. quod inſtinctu divinitatis, mentis magnitudine, cum exercitu ſuo tam de Tyranno, quám de omni ejus factione, uno tempore juſtis Remp. ultus eſt armis, arcum triumphis inſignem dicavit

Liberatori Urbis:
Fundatori Quietis.

Alibi in Tumulo.

Vixi quemadmodũ volui: quare mortuus ſim, neſcio.

Ad S. Petri in Vaticano.

Gregor. XIII. P. M. hanc ſanctam portam á Julio III. anno 1550. apertam & clauſam, aperuit & clauſit Anno Jobelæ 1575.

Portae Coelimontanae.

Gregor. XIII. P. M. publicæ utilitati, & urbis ornamento viam Campanam conſtravit, portam exſtruxit. Anno 1574. Pontif. III.

In

IN MARIAE MAJORIS.

Xysti IV. P.M. An. IIX. Stephano qui vixit an. XXIIX. Platina fr. bene merenti P. sibiq; ac posteris. Quisquis es, si pius, Platinam & suos ne vexes; angustè jacent, & soli volunt esse.

IN BIBLIOTHECA VATICANA MANU HENRICI IIX. *regis Angliæ libro de sept. Sacramen. contra Lutherum hæc verba inscripta leguntur:*

Anglorum rex Henricus, Leoni Decimo mittit hoc opus, & fidei testem, & amicitiæ.

PORTAE POPULI.

Paulus III. P. M. portam in hanc amplitudinem extulit, viam Flaminiam stravit.

IN PANTHEO.

D. O. M. Raphaëli sancto Jo. F. Urbinati pictori eminentiss. veterumq; æmulo. cujus spirantes propè imagines si contemplere, naturæ atq; artis fœdus facilè inspexeris: Julii II. & Leon. X. PP. MM. picturæ & architecturæ operibus gloriam auxit. Vix. ann. 37. integrè integros. Quo die natus est, eo esse desiit. 8. Id. April. 1520.

Ille hic est Raphaël, timuit quo sospite vinci
Rerum magna parens, & moriente mori.

TABULAE IN LATIO REPERTAE.

Pompejus Sicilia recuperata, Africa tota subacta, Magni nomine inde capto, ad solis occasus transgressus, erectis in Pyrenæo trophæis, oppid. DCCC. LXXXVI. ab Alpib. ad fines Hispaniæ * redactis, Sertorium domuit, bello civili exstincto, iterum triumphales currus Eques Romanus indixit. Deinde ad tota maria, & solis ortus missus, non seipsum tantùm, sed patriam coronavit.

IN BIBLIOTHECA VATICANA.

Uti unicum bonum scientia est: ita insciti malum.
Dormiens homo, nullius est precii.

D. O. M.

Raphaëli Macconio Romano corporis venustate, inge-

nii acumine, morum elegantia, bonarum artium ſtudiis exornato, Muſarum amicitiæq; cultori, principibus viris grato, qui civibus carus, deſiderio ſui apud omnes relicto; Obiit d. 17. Octobris, An. Dn. 1563. Vix. an. 38. m. XI. d. 23. Horatius Mutius Romanus amico dulciſſ. ex teſtam. Monum. P.

D. O. M.

Antonio Sabello, qui in omnibus fortunæ eventibus totus ex ſe pendens, aureaq; mediocritate contentus, ſuos non minús virtutum ſuarum exemplo, quám beneficiis honeſtavit: Steph. & Raph. Frs. mœſtiſſ. PP. B. an. 71. m. 5. d. 7. Θ. 2. Julii. 1572.

D. O. M.

Conſtantino Rhallo Veneto, qui majoribus opulentiſſ. ac potentiſſ. editus in ſumma commutatione fortunæ ſummam animi æquitatem: in ſumma integritate vitæ placidiſſ. mores: in ſumma eruditione parem modeſtiam perpetuó retinuit: Polydorus Rhallus F. dolore confectus P. B. an. 68. m 3. d. 9. Θ. Id. Septemb. ann. 1573. ἵνα ζᾷ τὸν βιώσειεν, ἐβίωσεν ὡς θανέμεν Θ.

In Vaticano.

Sixtus v. P. P. M. Bibliothecam Apoſtolicam, Smi prioribus illis Pontificibus, qui B. Petri vocem audierunt, in ipſis adhuc ſurgentis Eccleſiæ primordiis inchoatam, pace Eccleſiæ reddita, Laterani inſtitutam, á poſterioribus deinde in Vaticanum, ut ad uſus Pontificios paratior eſſet, translatam, ibiq; á Nicolao v. auctam, á Sixto IIII. inſigniter excultam, quó fidei noſtræ, & veterum Eccleſiaſticæ diſciplinæ rituũ documenta omnibus linguis expreſſa, & aliorum multiplex ſacrorum copia librorũ conſervaretur; ad puram & incorruptam fidei & doctrinæ veritatem, perpetua ſucceſſione in nos derivandam, toto terrarum orbe celeberrimam, cúm loco depreſſo, obſcuro & inſalubri ſita eſſet, aula perampla veſtibulo, cubiculis circúm & infra, ſcalis, porticibus, totoq; ædificio á fundamentis extructo, ſubſelliis, pluteisq; directis, libris diſpoſitis, in hunc editum, perlucidum, ſalubrem, magis opportu-

portunum locum extulit, picturis illustribus undiq; ornavit, liberalibusq; doctrinis, & publicæ studiorum utilitati dicavit. Anno M.D.LXXXVIII. Pontificatus sui IV.

IBIDEM IN ALIO LAPIDE.

SIXTI V. P. P. M. perpetuo hoc decreto, de libris Vaticanæ Bibliothecæ conservandis, quæ infrá sunt scripta hunc in modum sancita sunto, inviolateq; observantor.

Nemini libros, codices, volumina hujus Vaticanæ Bibliothecæ ex ea auferendi, extrahendi, alióve asportandi, non Bibliothecario, neq; custodibus scribisque, neq; quibusvis aliis cujusvis ordinis & dignitatis, nisi de licentia summi Rom. Pontificis scripta manu, facultas esto. Si quis sceus fecerit, libros partémve aliquam abstulerit, extraxerit, clepserit, rapseritque, concerpserit, corruperit dolo malo; illico á fidelium communione ejectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus esto. á quoquam, præterquam Rom. P. P. ne absolvitor.

IN OBELISCO AREAE S. PETRI.

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, Christus ab omni malo plebem suam defendit.

IN PEDE EJUSDEM OBELISCI.

Si lapis est unus; de qua fiet arte levatus?
Quod si sunt plures; dic ubi congeries?

IN GUTTURNIO APUD S. STEPHANUM.

Priús ablue mentem.

IN CONCLAVI PONTIFICIO.

Alexander Farnesius, Octavii f. Parmæ ac Placentiæ Dux tertius, provinciam nactus Belgicam, Philippi Hispaniarum Regis imperia detrectantem, Mastricchum urbem munitissimam expugnavit: Bironium Gallum, diversarum partiũ Ducem collatis signis prælio vicit: Duncercham, Gandavum, Brugas, Hypras, Teremundam, Bruxellas, aliaq; plurima Belgii oppida aut vi cepit, aut ad deditionem compulit. Antuerpiam nullis humanis viribus expugnabilem, ingenti ad Scaldim fluvium operum magnitudine circummunitam in deditionem acce-

pit: Novesium receptum Colonienſi Archiepiſcopo reddidit: Belgas omnes, qui continentem incolunt, in Philippi Regis poteſtatem, & ad Eccleſiæ Rom. obedientiam reduxit. Hasce ob res, aliasq; fortiter geſtas, á S. P. Q. R. ſummus Imperator, elogio propé majorum triumphos, quorum gloriam aut vicit, aut certé æquavit, ornatus eſt. Achille Cibo, Octaviano Creſcentino Coſſ. Ulixe Lanſerinio Gallo, Lamētio Mancino Cap. Reg. Priore.

EREMITA AD CUPIDINEM, QUEM humeris portat.

In ſylvis habitans ab amoris carcere liber
Credideram demens vivere poſſe diu.
Sed Deus ille potens hominum confundere mentem,
Hunc ut amem nolens vult, humerisq; feram.

SATURNUS.

Cùm ſolus rapiat fugientibus omnia ſeclis,
Cur tamen hunc virtus temnere ſola poteſt?

AQUILA JOVIS.

Tela, ſuosq; Jovi volucris portavit amores:
Nec manus hæc ſemper fulmina ſæva jacit.

MARS.

Mars & Relligio jure hìc ſua regna locarunt:
Quám bené Roma colit, tam bené bella gerit.

APOLLO.

Qui placidus cantu & metuendus arundinis ictu es,
Non calamis, ſed nunc utere Phœbe lyra.

VENUS.

Exere candidulum riſu Venus aurea dentem,
Ut maria & placidi ſint ſine nube dies.

MERCURIUS.

Ut jungor, noceo, aut proſum Thegeaticus ales.
Quid facit hoſpitium, ſitne bonum ánne malum?

IN

IN VILLA ARCHIEPISCOPI Neapolitani.

Villam perpetuæ ſalubritatis
Suburbi modò montis Eſquilini,
Oliverius ille Cardinalis,
Doctæ clara Neapolis propago,
Hanc Caraffa pius ſuis amicis
Dicat omnibus. hoſpites venite.

HADRIANO VI. PONT. MAX.

ex Trajecto inſigni inferioris Germaniæ urbe, qui dum rerum humanarum maximé averſatur ſplendorem; ultró á proceribus ob incomparabilem ſacrarum diſciplinarum ſcientiam, ac propé divinam caſtiſſimi animi moderationem, Carolo v. Cæſ. Auguſto præceptor, Eccleſiæ Dertuſenſis Antiſtes, ſacri ſenatus patribus collega, Hiſpaniarum Regis præſes, Reipub. denique Chriſtianæ divinitus Pontifex adſcitus. Vixit annos LXIV. menſ. VI. dies XIII. Deceſſit XIIX. Calend. Octobr. Anno á partu virginis M. D. XXIII. Pontificatus ſui anno II. Wilhelmus Enkenvoit illius benignitate & auſpiciis tit. S. Joannis & Pauli Presbyter, Cardinalis Dertuſenſ. faciund. curav.

BLONDO FLAVIO

Foroliviensi hiſtorico celebri, multorum Pontif. Rom. Secretario fideliſſimo, Blondi quinq; filii patri benemerenti unanimes poſuêre. Vixit an. LXXI. Obiit prid. Non. Jun. Anno ſalutis Chriſti M. CCC. LXIII. Pio Pontif. Max. ſibi natisque favente.

EPIGRAMMA VETUSTISSIMUM IN CAPITE pontis Judæorum.

Hoſpes quod deico paululum eſt, aſta ac pellege;
Heic eſt ſepulcrum haud pulcrum pulcrai fœmina,
Nomen parentes nominarunt Claudiam,
Suom maritum corde dilexit ſouo.
Gnatos duos creavit, horum alterum
In terra linquit, alium ſub terra locat.
Sermone lepido, tum autem inceſſu commodo,
Domum ſervavit, lanam fecit. dixi, abei.

IN

ALIBI.

Cilnia Campetia, H.F. in qua fuit inimitabilis castitas, probissima verecundia, incomparabilis innocentia, perpetua quiescit in pace. q. vixit an. XVIII. m. XI. dies XXI.

AD PONTEM S. ANGELI.

Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Atyn
Dum vacat, & tacita Dindyma voce silent;
Flete meos cineres, non est alienus in illis
Hector, & hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.
Ille ego qui magni parvus cognominis heres,
Corpore in exiguo res numerosa fui.
Flectere doctus equos, nitida certare palæstra,
Ferre jocos, astu fallere, nosse fidem.
At tibi dent superi quantum Domitilla mereris,
Quæ facis exigua ne jaceamus humo.

IN ACIE FLORAE, IN AREA DOMUS CUJUSDAM, *Matthiæ Hungariæ regi armato & equestri, Turcorumq; turbam calcanti, Scaramella Elogium hoc addidit.*

Matthiæ Corvino Hungariæ & Bohemiæ Regi, pio, felici, semper invicto.

Quód virtute & armis Turcorũ impetus fregerit, atq; alias bellicosiss. vicerit nationes, ac fusis fugatisq; sæpe hostibus, insignibus victoriis triumphos maximos sit consecutus: quód Remp. Christianã felicitate ac sapientia sua vel bello vel pace confirmaverit, & Imperatoriis Regisq; virtutibus Romani generis specimen dederit, ætate nostra clarissimum ad cumulum immortalis gloriæ ejus, & vestri, Quirites, sanguinis ornamentum.

Ch. Scaramella.

EPITAPHIUM CANIS.

Longo ac fido amore probatus domino, senio confectus: servata stirpe: hîc jaceo. Hoc me honore sepulcri herus dignatus est. Rubinio Catulo.

Alibi.

Decipimur votis: & tempore fallimur: & mors
Irridet curas: anxia vita nihil.

In

In fronte palatii Ducis Valentini.

Stet domus hæc, donec fluctus formica marinos
Ebibat, & totum testudo perambulet orbem.

Ad S. Clementem.

In me, qui legis hæc, cognosce quám breve posse
Est hominis: potui dum, quod es, ipse fui.
A modo nil possum: quia tantúm pulvis & os sum.
Sic tu nil poteris, quando sepultus eris.

Vera felicitas.

Jugera non faciunt felicem plurima, frater,
Non Tergestini dulcia musta soli.
Non Tyriæ vestes, auri non pondera flavi,
Non ebur, aut gemmæ, non juvenile decus.
Non dulcis nati soboles, non bellula conjunx,
Non tenuisse sua sceptra superba manu.
Noveris & rerum caussas licet, astra, poliq́,
Et nostro quicquid sub Jove mundus habet.
At mea, si quæris, quæ sit sententia, frater,
Dicam: vis felix vivere, vive DEO.

In Regem Romanorum.

Credula versutos odit Germania Gallos,
Et queritur læsam proditione fidem.
Sed tu si rebus meliús Romane caveres,
Non totiens Gallus vinceret insidiis.
Quod quæso scelus est, si, quæ tu negligis, illæ
Occupet, & vacuis det sua jura bonis?
Tu ludis, potas, saltas ad tympana, dormis:
Hic vigilat, vincit, stat, meditatur, agit.
Ergo tibi studium Veneris, Bacchiq́, teneto;
Hunc magis hastatæ Palladis arma juvant.

Valerii Cordi.

Noscere Paonias herbas, vires q́, medendi,
Jam natura homini facta noverca negat.
Invidiosa Macri rapuit monimenta vetustas,
Nunc etiam Cordum mors violenta tulit.
Hunc exstinctum igitur vitæ florentibus annis
Tam procul á patria, crimen Apollo tuum est.

Lilia sic violæq; cadunt, absynthia florent,
Quanta eheu rebus damna parata bonis!
Italia huic tumulum, tribuit Germania vitam;
Quid poterat nasci clarius atq; mori?

Obiit M.D.XLIV. VII. Kalend. Octobr. hora V. noctis.

Ingenio superest Cordus, mens ipsa recepta est
Cælo; quod terræ est, maxima Roma tenet.

HIERONYMI BRUTII.

Exiguum vitæ curriculum mortalibus natura largita est, gloriam verò sempiternam. optanda ergo mors, quam immortalitas sequatur.

ALIUD.

Vivite mortales, curæ, quod vivitis annis
Non sit, sed vobis quàm benè vita fluat.

Aliud.

SALVATOR loquitur.

Si pro te proprium peccator fundo cruorem,
Te saltem lacrymas fundere ne pigeat.

MARITI ET UXORIS.

Hìc jaceo sanctum dederat cui gratia nomen,
Ossibus est uxor contumulata meis.
Vita duos olim tenuit concorditer una,
Una quoq; exstinctos occulit urna duos.

FRANCISCI PUCCII FLORENTINI.

Inveni portum, spes & fortuna valete,
Nil mihi vobiscum; ludite nunc alios.

ALIUD.

Nil vixisse juvat quenquam post fata, sed illud
Et stabile & gratum est, vivere cum superis.

TUMULUS ROBERTI URSINI.

Robertus jacet hìc Ursina gloria gentis,
Roboris invicti militiæq; decus.
Da lacrymas, legis hæc quicunq;, viriliter illi
Non licuit tanto quòd cecidisse viro.

Nam

Nam non pugnando jugulavit Martius ardor
Heroëm, in mediis millibus, inq; acie:
Degeneri fraude est sed circumventus ab hoste,
Proh facinus, media fossus in urbe perit.
Cui tumulum hunc uxor posuit mœstissima, saltem
Leniat ut casus hac pietate suos.

IN VATICANI PALATII PORTICU TERTIA ET summâ; seu ut ipse auctor P.M. Pius IV. appellat, ambulatione, graphicé descriptis præcipuis Europæ provinciis, addita leguntur hæc Epigrammata.

ISLANDIA, *insula, quam veteres Thulen nominavere.*

Albium insula BRITANNIA, *sive* ANGLIA; *cujus ambitus est 1720. m. p. Latus quod contra Galliam est 320, quod vergit ad occidentem 800, tertiũ ad orientem 600. Temperatior est Galliâ: remissioribus frigoribus caloribusq;. Sedes habet Archiepiscopales duas, Cantuariensem & Eboracensem: Episcopales* XIX.

SCOTIA, *ab Anglia dividitur angusto freto, & Solveo amne, ab occidente: ab oriente flumine Tmeda & monte Cheviota. Archiepiscopatus habet duos, S. Andreæ & Blasouensem: Episcopatus* XIII.

HYBERNIA *sive* IRLANDIA, *dimidio minor quám Britannia est, adeó læto pabulo, ut pecora, nisi æstate interdum á pastibus arceantur, periculum sit ne pinguedine moriantur. Animal noxium neq; gignit, neq; invectum nutrit: apibus caret; quamvis in ea sit mira cœli temperies, & fertilitas terræ insignis. Episcopatus habet 50.*

CELTIBERIA, HESPERIA, *sive* HISPANIA, *omni rerum copia abundat, quæ sunt & ad ornandam vitam, & ad tuendam necessariæ: equis atq; metallis dives: nihil habet otiosum: quidquid fruges non fert, aptum est pecori alendo: quod aridum atq; sterile, rudentum materiem nauticis suministrat: viros alit religionis Christianæ observantissimos: á quibus indies latissimé propagatur. In ea sunt sedes Archiepiscopales* IX. *Episcopales 46. In cœnobium B. Justi Castiliæ veteris. Carolus* V. *Imperat. post tot partas victorias, provinciarum, regnorum, & Imperii ipsius, omniq; rerum humanarum curâ*

relictâ, cælestis meditationis studio, se conferens, ad sempiterni regni possessionem migravit.

CELTOGALATIA, GALLIA, cujus virtus Romanis aliâs terrori: eadem post Evangelium receptum, Ecclesiæ Romanæ periclitanti sæpe auxilio fuit: quamobrem ejus reges continenter á Pontt. Maxx. honoris ergó Christianissimi sunt appellati. Viros genuit, qui gloria rerum gestarum, opum abundantia, & doctrinarum monumentis clarissimi semper exstitere. Solum habet ita fœcundum, ut nulla in re cedat florentissimæ Italiæ. Sedes ejus Archiepiscopales sunt XII. Episcopales XCVII.

ITALIA, provinciarum omnium pulcherrima, saluberrima, fructuosissima, viris, doctrinis, armis, frugibus, metallis, rebus omnibus ad colendam vitam necessariis florentissima: olim regina gentium, nunc religionis Christianæ, Pontificumq; sedes, atq; unicum feré virtutis perfugium. Longitudine ab Augusta Prætoria, ad Rhegium Julium, decies centena viginti m. p. Latitudo ubi plurimum 200. ubi minimum 136. Ambitu á Varo ad Arsiam quadragies centena m. p.

CORSICA, patet ambitu 322. m. p.

SARDINIA, fertilis, sed soli, quám cæli melioris: patet longitudine 140. m. p. latitudine 40. ambitu 562.

SICILIA, olim horreum pop. Rom. patet ambitu 650. m. p.

GRAECIA, quæ nullam olim ex iis rebus desideravit, quæ natura, ingenio, fortuna, mortalibus contingunt: quæ feras gentes, ductis coloniis, moribus, & singulari vitæ mãsuetudine humaniores reddidit: exteras nationes virtute perdomitas, sibi parêre coëgit: nunc ipsa suis dissidiis, pravisq; consiliis afflicta, barbarissimæ Turcarum nationi, non sine totius Ecclesiæ dolore ac damno, ita servire cogitur, ut antiquæ libertatis atq; dignitatis imaginem omnino nullam hodie retineat.

ASIA MINOR, olim opibus, deliciisq; affluens, nunc ANATOLIA, Turcarum imperio subjecta.

JUDAEA sive CANANAEA & PALAESTINA, terra lacte & melle fluens, Christum nobis filium DEI & generis humani redemtorem ex Bethlehem Juda dedit.

GERMANIA, vetustate gentis, hominum numero, rei militaris disciplina, ingeniorum solertia, cæli salubritate, pecoris &

ris & metallorum copia, iis erga sedem Apostolicam meritis excellens, ut creandi Imperatoris jus á summo Pontif. acceperit, opemq; Christianæ Reipub. maxumam afferre posse videatur.

UNGARIA, *olim Pannonia inferior, præstans agri fertilitate, auri copia, virorum fortitudine, á Christianis regibus 30. perpetua successione possessa.*

POLONIA, *olim Sarmatia, religione, humanitate, scientia bonarum artium insignis: pascuis idonea: melle & sale fossili abundans.*

SCANDIA, *á nonnullis ob magnitudinem incompertam, alter orbis terrarum, & officina gentium denominata.*

MOSCOVIA, *regio plana, & nemorosa, paludibus referta, fluminibus irrigua.*

SCYTHAE, *nunc* TARTARI, *equitandi & sagittandi peritia clari: munitas urbes pauci incolunt: plaustra tentoriaq; animalium coriis cooperta pro domibus habent.*

GRONLANDIA, *terra semper virens.*

BIARMIA, *pascuis læta: jugalium cervorum curribus utitur, quorum incredibili celeritate juga rigentia gelu superantur. In ea tanta est piscium & ferarum copia, ut panis usum non magnopere desideret.*

SCRIFINII, *calceis ex ligno longis, per cacumina montium nivosa feras adsequuntur, ex quorum pellibus indumenta sibi parant. Frumenti usum non quærunt: cúm pisces sole & aëre exsiccati, carnesq; ferarum atq; avium cruda, victum præbeant.*

IN PALATIO CONSERVATORUM.

Opt. Principi LEONI X. Med. P. M. ob restitutam instauratamq; Urbem: aucta sacra: bonasque artes: adscitos patres: sublatum vectigal: datumque congiarium.

IBIDEM.

GREGORIO XIII. P. M. opt. Principi, Hugoni Buoncompagno Bononiensi, qui Romanos magistratus, & Ecclesiasticam dignitatem, justitiam & pietatem colens, ad Pontificiam sedem evectus, universam Remp. Christianam summa prudentia & charitate moderatur.

SALÆ REGIÆ.

PETRUS ARRAGONIAE rex ad Urbem profectus Innocentio III. P. M. regnum Arragoniæ defert: constituta annui tributi perpetua pensione: obedientiam simul & defensionem sedi Apostolicæ pollicitus.

CAROLUS MAGNUS in patrimonii possessionem Rom. ecclesiam restituit.

GREGORIUS XI. patria Lemovicensis: admirabili doctrina, humanitate, innocentia, ut Italiæ seditionibus laboranti mederetur: & populos ab Ecclesia crebró descisscentes, ad obedientiam revocaret; sedem Pontificiam, divino numine permotus, Avenione Romam post an. 70. reducit: sui Pontificatus an. 7. hum. salutis 1376.

Γεώργι & ἰυσάει & ἀρετῆν & ἐποίει.

Festina lenté.

ITEM SUB ALIIS TABULIS PICTIS.

ALEXANDER PAPA III. *Friderici* I. *Imperatoris iram & impetum fugiens, abdidit se Venetias. Cognitum & á Senatu perhonorificé susceptum, Ottone Imperatoris filio navali prælio á Venetis victo captoq;, Fridericus pace facta supplex adorat, fidem & obedientiam pollicitus. Ita Pontificis sua dignitas, Venetæ Reipub. beneficio restituta. An. 1177.*

OTHO I. *Imperator, devictis Berengario & Rodulfo filio tyrannis, provincias ab illis occupatas Ecclesiæ restituit.*

CAROLUS V. *Imp. Tunetum á Turcis occupatum, pari virtute & felicitate recipit; Paulo III. P. M. 1535.*

GREGORIUS VII. *Henricum Imp. malé de Ecclesia merentem, postea supplicem & pœnitentem absolvit.*

GREG. II. *Germaniæ magna parte ad veri* DEI *cultum traducta, Aridperdi Longobardor. R. donatione per Luitprandum successorem confirmata, anno summi Pont. 17. decessit.*

GREG. IX. *Friderico Imp. Ecclesiam oppugnanti sacris interdicit.*

IN ALIIS TABULIS PICTIS

Colignii & sociorum cædes.

Rex Colignii necem probat.

Aula hæc Pauli III. jussu ornari cœpta: & Prior. postea IV. & V. studio aucta: Anno Greg. XIII. primó: ad finem perducta est 1573.

CA-

CAMERARUM QUARUNDAM PONTIFICIALIUM *inscriptiones.*

Adlocutio, qua divinitus impulsi Constantiniani victoriam peperêre.

C. Val. Aurel. Constantini victoria adversus Maxentium: qua Christianæ opes firmatæ.

Lavacrum renascentis vitæ C. Val. Constantini.

Hodie salus Urbi & Imperio facta est.

Clem. VII. P. M. á Leone X. cœptum consummavit, 1524.

Jam tandem Christum liberé profiteri licet.

Ecclesiæ dos á Constantino tributa.

Causarum cognitio. Natura rerum. ad imaginem Salomonis.

Studia liberal. artium, ubi Phœbus & Minerva.

Jus suum unicuiq; tribuit Jurisprudentia.

Divinarum rerum notitia, Trinitas, Theologia.

Numine afflatur (Poësis) Physica, Ethica.

Ferdinandus rex Catholicus, Christiani Imperii propagator.

Pipinus Pius, primus amplificandæ Ecclesiæ viam aperuit, Exarchatu Ravennate, & aliis plurimis exstirpato.

Lotharius Imperat. Pontificiæ libertatis assertor.

Nefas est, ubi Rex regum Christus spineam coronam tulit, Christianum hominem auream gestare.

Rodulfus rex sub Leone IV. Pont. Britanniam beato Petro facit vectigalem.

Carolus Magnus Romanæ Ecclesiæ ensis clypeusque.

DEI, non hominum, est Episcopos judicare.

Ibidem Gregorii XIII. *Symbola sunt armis, nomini & officio congruentia.* VIGILAT. Felix præsagium. A quo, & ad quem. Non commovebitur.

ADRIANI VI. PONTIF. EX GUICCIARDINO.

Hadrianus sextus hîc situs est, qui nihil sibi infelicius in vita duxit, quám quód imperaret.

IN PONTE JANICULI, QUI NUNC *Xystus dicitur, ad sinistram.*

Anno 1475. Qui transis Xysti quarti beneficio, Deum

roga, ut P. O. M. nobis salvet ac sospitet. Bene vale, quisquis es, ubi hæc precatus fueris.

Ad dextram.

Ad utilitatem Po. Ro. peregrinæque multitudinis ad Jubilæum venturæ, pontem hunc, quem meritó ruptum vocant, á fundamentis, magna cura & impensa, restituit, Xystumq; suo de nomine appellari voluit.

CHRISTO SERVATORI.

BERNHARDINO CAPELLO Basilicæ Vaticanæ Canonico, doctrina, integritate & morum suavitate insigni, Marius Mafæus Volaterranus, & Jacobus Sadoletus ex testamento curatores, amico M. pos. Vix. an. LXII. mens. VI. Obiit an. sal. M. D. XXXII.

IN CRYPTA S. SEBASTIANI.

Visit & hic pia mens sanctorum busta frequenter,
In Christo quorum gloria perpes erit.

IN PANCRATII AD SUGGESTUM.

Qui legit attendat, ad quid sacra pagina tendat;
Ad culmen cæli trahit omnes voce fideli.

IN S. AUGUSTINI.

Τὸν θάνατον τὴ φοβεῖσθε τὴν ἡσυχίης γενεὴν ἔσεσθε.

In sepulcro Platinæ, ad S. Mariam majorem.

Θάρσει ἄδελφε. καλῶς θνήσκων, πάλιν φύεται.

Urnæ inscriptum in hospital. Salvatoris.

Ἡδὺς βίος, τὸ ζῆν γλυκύ, τὸ θανεῖν εὐσοφία.

EXTRA FLAMINIAM IN VINEA JUL. III.

DEO ET LOCI DOMINIS VOLENTIBUS.

Hoc in suburbano omnium, si non quot in orbis, at quot in Urbis sunt ambitu pulcerrimo, ad honestam potissimé voluptatem facto: honesté voluptuarier cunctis fas honestis esto. Sed ne forte quis gratis ingratus siet: jussa hæcce ante omnia omnes capessunto. Quó vis quisque ambu-

ambulanto, ubi vis quiescunto, verúm hoc citra somnũ; circum septa illud. Passim quidlibet lustranto; ast ne hilum quidem usquam attingunto: qui secus faxint, quidquámve clepserint aut rapserint, non jam ut honesti moribus, sed ut furtis onusti in crucem pessumam arcentor. Ollis veró qui florum, frondium, pomorum, olerum aliquid petierint; villici, pro anni tempore, pro rerum copia & inopia, proq; merito cujusq; largiuntor. Aquam hanc, quód virgo est, ne temeranto: sitimq; fistulis, non flumine; poculis, non osculo aut volis extingunto. Piscium lusu oblectantor, cantu avium mulcentor, at ne quem interturbent interim cavento. Signa, statuas, lapides, picturas, & cætera totius operis miracula, quám diu lubet, obtuentor; dum ne nimio stupore in ea vortantor. Si cui quid tamen haud ita mirum videbitur; eorum caussa, quæ nemo mirari sat quivit, æquo potiús silentio, quám sermonibus iniquis, præterito. Dehinc proxumo in templo Deo ac Divo Andreæ gratias agunto: vitamque & salutem Julio III. Pont. Max. Balduino ejus fratri, & eorum familiæ universæ plurimam & æviternam precantor. Huic autem suburbano speciem atque amplitudinem pulcriorem indies majoremque, ac in eo quidquid inest felix faustumq; perpetuum optanto.

Hisce actis valento, & salvi abeunto.

In ponte viae Salariae *extra urbem.*

Imperante D. piissimo ac triumphali semper Justiniano P. P. Aug. Anno XXXIX. Narses vir glorioss. ex Præposito sacri Palatii Excoss. atque Patricius, post victoriam Gothicam, ipsis eorum Regibus celeritate mirabili, conflictu publico superatis atque prostratis, libertate urbis Romæ ac totius Italiæ restituta, pontem viæ Salariæ usq; ad aquam á nefandissimo Totyla tyranno destructum, purgato fluminis alveo, in meliorem statum, quám quondam fuerat, renovavit.

Villae Juliae epigraphe.

Julii III. Pontif. Max. auspicio, Balduinus ejus frater

hoc ſuburbanum prope Flaminiam, ab Antonio patruo Cardinale, olim animi cauſſa comparatum: ſylvis, hortis, vinetisque contiguis, & quibusvis plantarum generibus numero pené infinito, á ſe auctum: novoque ac politiore cultu, nullo non loco directum atque illuſtratum, aqua virgine, & fontibus ſaluberrimis & latebris terræ inacceſſis, non minus ad commune omnium, quám ad privatum commodum eductis: undique irriguum factum ſalientibus, piſcina, aviario, atq; hoc quaſi theatro, admirabili picturarum, ſtatuarũ, emblematum ſplendore conſtructiſſ. temploq; imprimis DEO Opt. Max. ac Divo Andreę ab ipſo Julio Pontifice erecto, atq; dicato: ſibi, Innocentio Cardinali, & Fabiano Comiti, filiis & eorum poſteris, in ampliorem & auctiorem formam redegit. Prædium autem hoc ipſum, ad quidquid uſpiam in eo ortum, cultum, ſtructum, ampliatum, ornatum, vel in præſenti eſt, vel erit in poſterum: ſive totum, ſive aliqua ex parte: cujusque modi, & quantula ea cunque fuerit: præter ipſos fructus: uti nullo prorſus pretio, nullo pacto, nullo jure, cuiquam unquam alicui vendi, obligari, donari, alióve quovis modo alienari poſſit, teſtamento in perpetuum ab eodem Baldvino omnibus eſt interdictum. Ne de nomine exeat familiæ ſuæ.

ADESPOTUM.

Papa PIUS *moritur Quintus, res mira, tot inter*
Pontifices tantúm quinq; fuiſſe pios.

PAPINIANI J. C. EX SARCOPHAGO.

Æmilio P Papiniano præf. præt. J. C. qui vixit ann. 36. menſ. IV. d. X. Papinianus Hoſtilius, Eugenia Gracilis parentes, heu turbato ordine, filio opt. F. F.

EJUSDEM ALIUD EX URNA ARGENTEA.

Æmilii Papiniani J. C. & præt. præf. requieſcunt heîc oſſa. Cui infelix pater & mater ſacrum F. F. mortuo.

ANGELI VADI.

Ipſe quod es, lector, fuimus nos, tu quoq; fies
Quod ſumus: hoc melior ſors mea, quám tua ſors.

D.M.

D. M.

Vivite qui legitis, caelestia quarite. nostra hac
In cineres tandem gloria tota redit.

AD IMAGINEM NYMPHAE DORMIENTIS.

Hujus Nympha loci sacri custodia fontis
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ;
Parce meum, quisquis tangis cava murmura, somnum
Rumpere; sive bibas, sive lavêre, tace.

IN ANTONINI IMP. STATUAM *equestrem.*

Paulus III. P. M. statuam æneam equestrē á S.P.Q.R. M. Antonino Pio etiam tum viventi statutam, variis dein urbis casibus eversam, & á Sixto IIII. P. M. ad Lateranensem Basilicam repositam, ut memoriæ optimi principis consuleret, patriæq; decora atque ornamenta restitueret, ex humiliori loco in aream Capitolinam transtulit atque dicavit.

IN MARMORE, QUOD EST AD DEXTRAM *introëuntibus Capitolium.*

Triumphali gentilium pompa, Augustorum honori reddi solita, ad devotum Christianę religionis cultum redacta, Dei genitricis Virginis festo die, dum Christi salvatoris nostri mirabile simulacrum ex Laterano in Esquilias ad Mariæ matris majorem ędem quotannis ingenti plausu, solenniq; processione defertur, pro senatus, magistratuumq;, & totius equestris ordinis dignitate, populiq; & plebis observantia; néve ulla posthac inter plebeia collegia contentio fiat, decretū est, ut hoc statuto ordine universi cum suis faculis, thalamisq;, & luminaribus sacram imaginem, qua iter fecerit, comitentur, ea ratione, ut qui proximiores simulacro sint, digniores habeantur. Aquarii iter auspicentur, póst fornacarii, molendinarii, muliones, lignarii, vinarii, caupones, salsamentarii, candelarii ex sevo, piscatores, piscarii, vinitores, olitoresque, pistores furnariiq;, pellipari, figuli, stabularii, ergastuli lignorum, mercimoniarii, sellarii, coriarii, tonsores, calcearii, lanii,

sutores sartoresque, fabri lignarii, fabri ferrarii, aurifices, aromatarii, lanifices fullonesq;, mercatores pannorum, agricultores, boarii, thalamus Rom. fisci. Si quis ergo secus fecerit, xxv. aureorum pœna multetur.

Ad imaginem Florae.

Firmum corporis robur, castasq; mensarum delicias, & beatam animi securitatem amatoribus meis promitto.

Ad effigiem Genii.

Quis tu late puer? Genius. cur dextera aristas,
Leva uvas, vertex cúrve papaver habent?
Hæc tria dona Deûm, Cereris, Bacchi atq; Soporis.
Namq; his mortales vivitis, & Genio.

In domo quadam transtiberina.

Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat;
Defunctis patribus successit prava juventus,
Quorum consilio præcipitata ruis.

In Hospitali S. Mariæ de consolatione.

Sceletos viatori.

Carnibus orba suis cur sint hæc, forte requiris,
Juncta tamen justo corporis ossa situ?
Sic mandata dedi vivens Antonia quondam,
Et moriens eadem jussa suprema dedi.
Ut sceletos fierem, medici quó discere possent,
Quanta forent, quot, quo qualibet ossa loco.
Quod jussi, fecit Gisbertus, gratia magna
Huic maneat, satis est lux mihi perpetua.

Ibidem.

Quód hoc vides, amice, corpus sine corpore, ne stupeas aut damnes quisquis es. Testamento sic ipsa cavi, ut hoc, quod cernis, fierem, Philosophis ac Medicis sacrum. Horum si es de numero; sacro legato utitor. Sin prophanus, indoctus; hinc ocyus abscedito.

In

IN S. JO. LATERAN.

Omnia si lustres aliena climata terræ,
Non est in toto sanctior orbe locus.

IN CASTELLO S. ANGELI SEU *mole Adriani.*

Quæ olim intra hanc arcem collapsa, impedita, fœdata erant, ea nunc á Paulo III. P.M. ad solidam firmitatem, commodam utilitatem, subtilem venustatem exstructa, disposita, ornata conspiciuntur.

ANTE D. PAULI VIA OSTIENSI, AD PORtam, quæ anno Jubilæo aperitur.

Præterit ut ventus princeps seu rex opulentus,
Et nos, ut fumus, pulvis & umbra sumus.
Tot tantisq; bonis pollens Petrus ecce Leonis,
Respice quám modico nunc tegitur tumulo.
Vir fuit immensus, quem proles, gloria, census
Sustulit in vita, non sit ut alter ita.
Legum servator, patriæ decus, urbis amator
Exstruxit celsis turribus astra poli.
Omnia præclara mors obtenebravit amara;
Nominis ergo DEI gratia parcat ei.
Junius in mundo fulgebat sole secundo,
Separat hunc nobis cúm polus atq; lapis.

IN CIRCUITU MOLIS ADRIANI.

E Libra venit Romanas victor ad arces
Cæsar, & in niveis aureus ivit equis.
Ille triumphavit, sed tu plus Paule triumphas;
Victor namq; tuis oscula dat pedibus.

Franchinus F.

IN MONTE CABALLINO.
Thermarum Constantini.

Petronius Perenna, Magnus Quadrantinus, V.CL.III. præfect. Urbi, thermas Constantinas longa injuria, & abolendæ civilis vel potius fatalis cladis vastatione vehementer afflictas, ita ut agnitione sui ex omni parte perdita, desperationem cunctis reparationis afferrent, deputato

ab ampliſſ.* parvo ſumptu, quantum pub. patiebantur anguſtiæ, ab extremo* vindicavit, & proviſione longiſſima in priſtinam faciem ſplendoremq; reſtituit.

SUPRA PORTAM ANGELICAM.

Qui Rempublicam vult eſſe ſalvam, nos ſequatur.

ALIBI.

Fortia agere & pati, Romanum eſt.

IN HORTIS CARDINALIS URBINI.

Epitaphium canis.

Quod potui, poſui tibi fida catella ſepulchrum,
Digna magis cæli munere quám tumuli.

ITEM.

Candenti é lapide hæc tibi convenit urna: fuiſti
Candida tota pilo, candida tota fide.
Si cælum, ut quondam, canibus patet; haud tua terras
Incendet, ſed ver ſtella perenne dabit.

Titæ catellæ blandiſſ.
Antonius Theobaldæus.

ALIBI.

Senum vita	Juvenum mors
Publicum auget	Privatum diſſipat.

Neſandum, Remp. habere quæſtui.
Præmia magiſtratui honor & gloria.
Servata pace, reſtituta feliciter.
Præferre patriam liberis regentem decet.
Conſtantia civium arx eſt munitiſſima.
Florente repub. omnia ſuppetunt.
Bené geſtorum memoria non ſeneſcit.
Virtutes ſibi vera ornamenta.
Dux bonorum omnium veritas.
Frugalitas commune præſidium.
Fama virtutum tuba perennis.
Modeſté veniendum, honeſté recedendum.

LEGES

LEGES CONVIVALES ROMÆ ALICUNDE DESCRIPTAE.

BONO GENIO, GRATIIS Hilaritatiq;.

Qui hæc læta propitiaq; vitæ humanæ numina colant venerenturq;, ſtatisq; item ſolennibus hîc ſacra faciant, ſodales, viri probi, atq; elegantes duodecim eleguntor: ſingulis faſcia candida eſto, cui hoc ſymbolum aureis litteris intextum ſiet, BONUS GENIUS, LIBERTATIS FILIUS.

Horum rité electorum ſacrum collegium eſto, appellantorq; LIBERI GENIALES. His poteſtas ſiet collegii ſupplendi augendiq;: nec lectiſſimæ fœminæ repudiantor.

Eruditi, hilares, honeſti, faciles adſciſcuntor. quisquis idiota, triſtis, inurbanus, durus, procul eſto.

Cumq; indictum coactumq; ſit liberorum collegium; jocis, riſu, ſalibus, cantu, ſaltatione, feſtaq; hilaritate & honeſta libertate ſacra celebrantor.

Omnis calamitatum memoria, miſerorum curę, ægrorum dolores, rixæ Lapitharum, contentiones amarulentæ, dira fatalis horæ præſenſio, & cladium futurarum mala omnia, prodigiaq; & portenta procul ſunto.

Unus amatoriis litibus, querelis, atq; ſuſpiriis liber locus ſit. lugere, lamentari, referre amoris incommoda, ab ingenioq; ſodalium opem implorare, cuiq; jus eſto.

Epulæ non ferculorum copia, varietateq;, ſed obſoniorum bellariorumq; delectu exquiſito, & civili ſemper ſumtu parantor.

Pueri Baccho, menſæq; præpoſiti, in verrendo, refrigerandoque ſolo, locis ad umbram exquirendis diligentes ſunto. mappæ candidæ, mantilia turbinatim ſcité complicata, virentibus foliis, & floribus conſperguntor. Obſonator peritus gulæ, cocus induſtria inſignis, ſtructor expeditus, lagenarum præfectus non inſulsè bibax, miniſtri á dapibus oculati, celeres, muti; á poculis autem auriti, honeſti & elegantes ſunto.

Argentum, ſtannum, fictilia, egregié terſa apponuntor; calices, variaq; pocula, ſplendida, rorantiaq; adferuntor; vina puris fontibus, & puteis refrigerantor. Glacies autem, & Alpinæ nives, diri ſalutis hoſtes, non acceruntor.

In discubitu ætati honos eſto: matronis caſtis, ſi adſint, aut elegantibus puellis, ſi quis adduxerit, juxta quem volent, discumbendi poteſtas eſto.

Coronati omnes, uti quisq; volet, roſa, floribus, myrto, hedera, lauro, jucundiſſimé epulantor.

Moderatis poculis ſodales provocare fas eſto. certamina autem ad æquales hauſtus interdicta ſunto.

Singulo quoq; epulo ſinguli ex collegio deſcripti annulos in urnam deponunto. Pueri manu ſorte annulus unus tollatur: is cujus fuerit, ſequentis ſympoſii princeps eſto. Ei autem, cúm placuerit, & quando voluerit, epuli ſumtum, diem, locum, apparatum indicere fas ſiet. Qui non paruerit, ut prophanus é collegio excluditor.

Sodalibus jus ſit, umbram ducere, quam quisq; volet, neq; eam, ſive ſit morio frigidus, vel ineptus ſcurra, vel poëta inſulſus, arcere jus eſto.

Qui ſanctis purisq; legibus contrá ierit, duplicis epuli pœna multator.

Poteſtas autem libera ſit declamandi, disputandi de toto liberalium artium negotio, & earum præſertim litterarum, quę uno humanarum nomine continentur. Remotis menſis, ablegataque extrorſum familia; ſympoſii princeps quæſtionem ſodalium cenſuræ definiendã proponito: reſpondentes confeſſus ordine ſubſequuntor. Inprimis de ſuperis loqui, & de exquiſita Chriſtianæ fidei ratione diſerere, potis & ſaturis nefas eſto: cúm id ad jejunos & ſobrios religioſé pertineat.

De munere veró militari, de provocatoriis legibus ad ſingulare certamen, de ſtatu actioneq; veræ nobilitatis, de officio viri elegantis, de præſcripto jure libertatis matronarum & viduarum, de zelotypia, amatoriisq; obſequiis certa ratione terminandis: poſtremó de præſtantia civilis cultus, & ratione domeſticæ diſciplinæ, & de finibus urbanæ voluptatis, diſerere fas eſto.

EXTRA

EXTRA URBEM VIA NUMENTANA IN templo Agnetis á filia Imp. Constantini olim exstructo.

Constantina Deum venerans, Christoq; dicata,
Sacravit templum victricis virginis Hagnes.
Christi nomen enim celebratur sedibus istis,
Tartaream solus potuit qui vincere mortem:
Invictum solus cælis inferre triumphum.

TIBURI.

IN PORTA.

UBi Justitia, ibi Concordia.

IN ARCE.

Grata bonis, invisa malis, inimica superbis
Sum tibi Tibur. enim sic Pius instituit.

NEAPOLITANA.

IN NEAPOLIN J. CÆSAR SCALIGER.

Parthenope varii statuit discrimina mundi:
Quatria diverso tempore secla dedit.
Aurea Pythagoras communis commoda vitæ,
Et docuit Sophiæ Græcia magna procos.
Altera succedens studiorum mollior ætas,
Admisit Musas debiliore sono.
Tertia vulnifici quæsivit præmia ferri:
Atq; equitum potuit sola tenere decus.
Sic ex privata & serva regina supersum;
Roma, quod est, fueram: quæ modò sum, quod eras.

INSCRIPTIONES.

In finibus regni Neapolitani ad fontem quendam.

Philippo II. Catholico regnante, Peraf. Alcalae Dux pro rege. Hospes, hîc sunt fines regni Neapolitani. Si amicus adveneris; pacata invenies omnia: & malis moribus pulsis, bonas leges. M. D. LXVIII.

Molae, olim Formiis, in porta.

Phil. II. Cath. regnante, Peraf. Alcalæ Dux pro rege. Si quis aquam & pontes contempletur, naturam & artem pulchritudine certantes ita dijudicet, ut neutri, quod suum est, deficiat.

In porta Glanici fl. qui et Lyris, nunc il Garigliano.

Phil. II. Catholico regnante, Peraf. Alcalæ Dux pro rege. Ponte exstructo, via munita, celebritatem Appiæ & Flaminiæ magnificentiâ longé superans. CIↃ IↃ LXVIII.

Pontis

PONTIS VULTURNI.

Phil. II. Cath. regnante Peraf. Alcalæ Dux pro rege. Et hoc auctori nihil unquam humile, nihil anguſtū in omni vita cogitanti, monumentum debetur. M. D. LXVIII.

IN ADITU CRYPTAE PUTEOLANAE, *prope Neapolin per montem Pauſilypum itineris gratia excavatæ, cippus eſt erectus triangularis, cum triplici inſcriptione.*

In latere meridion. HAC ROMAM.
In latere Boreali: ISTAC PUTEOLOS.

In tertio latere:

Philippo II. Cathol. regnante Peraf. Alcalæ Dux pro rege: qui vias fecit á Neapoli ad Brutios, ad Appulos, ad Samnites, ad Latinos, opere ampliſſimo: hanc quoque viam, cuivis anté difficilem, arctam, interruptam, cúm iter ejus ad mare direxiſſet, vaſtaq; ſcopulorum immanitate conſtrata, novam aperuiſſet, Puteolos, multó breviorem, perpetuam, illuſtrem, atque latam perduxit. M. D. LXVIII.

IBIDEM.

Cujus operâ pulcherrimæ viæ, ejus & providentiâ tutiſſimæ.

IN PONTE VICINO.

Philippo Hiſpaniæ rege imperante Petrus Afan, Alchalenſium Princeps, conſtituta ſanctis legibus civitate, viam hanc abſciſſis montibus facilem ac tutiſſimam reddidit. M. D. LXI.

NEAPOLI

IN MONASTERIO MONTIS OLIVETI.

Antonius de Alexandro Jurisconſultus, ad ſuas & ſuorum reliquias, quouſq; omnes reſurgamus, reponendas, ſacellum hoc conſtruxit, & redemtori noſtro dicavit. M. CCCC. LXXXXI.

Quo loco, quóve tempore fiat hæc migratio, quid intereſt? Undique Chriſti fidelibus ad cæleſtia regna patet aditus. Sequentur autem me haud dubié, quicunque non præceſſerint.

ALIUD IBIDEM.

Qui fuit Alfonsi quondam pars maxima regni,
Marinus hac modica nunc tumulatur humo.
Nil nisi divinum stabile est, humana laborant.

TIBI COELI REGINA

Galeacius Caracciolus, cui bona multa contulisti, á quo item mala abruncasti plurima, sacellum marmoreũ, cum signis & omni cultu gratus libensq; dedico, & tanquam decumam solvo. Anno post editã á te salutem M. D. XVI. VIII. Id. Jan.

Galeacio Caracciolo, qui sub regibus Arragoneis egregiam sæpius in bello operam navavit: quiq; in expugnatione Hydruntina adversus Turcas regiis signis præfuit. Vixit an. LVII. Nicolaus Anton. parenti optimo fecit.

EX ALTERA PARTE.

Nicol. Anton. Galeacii fil. Caracciolus Vici Marchio, & Cæsaris á latere Consiliarius, sibi vivens, & Juliæ Laganissæ conjugi incomparabili. M. D. XLIIII.

AD INTROITUM EJUSDEM SACELLI.

Omnia Domine tua sunt, & quæ de manu accepimus tua, eddimus tibi.

Nicolaus Antonius Vici Marchio: sacellum hoc á Galeacio patre inchoatum, omnibus suis partibus expletũ, lætus obtulit, dedicavitque: á partu Virginis ann. M. D. LXVIII. mens. primo, die VI.

DIVUS LADISLAUS.

Qui populos bello tumidos, qui clade tyrannos
Perculit intrepidus victor terraq; mariq;
Lux Italûm, regni splendor clarissimus hic est.
Cui tanto, heu, lacryma soror Illustrissima fratri
Rex Ladislaus, decus altum & gloria regum,
Defuncto pulcrum dedit hoc regina Joanna,
Utraq; sculpta sedens, majestas ultima regum
Francorum, soboles Caroli ab origine primi.

D. O. M.

Scipioni Antonii fil. Sumæ, Caroli V. á latere Consiliario, in

rio, in administranda justitia, in provinciis regendis, in rebus bellicis expediendis, integritate, prudentia, & fide. Vixit annos LXIII. mens. III. Obiit á partu Virginis M. D. LII. XVII. Kl. Novembr. Hippolyta Momfortia marito optimo.

IN TEMPLO S. MARIAE.

Asturis ungue Leo pullum rapiens aquilinum,
Hic deplumavit acephalumq; dedit.

ALIUD AD CLARAE.

Hîc jacet Princeps illustris Dominus Carolus, primogenitus serenissimi domini nostri, Domini Roberti, Dei gratiâ Hierusalem & Siciliæ regis inclyti, Dux Calabriæ, ac præfati Domini nostri Regis Vicarius generalis. Anno M. CCC. XXIV.

VICTORIAE CAPICIAE, uxori integerrimæ. Ne quos singularis amor, & mirabilis concordia conjunxit, vel mors ipsa divideret tumulo: hîc conjugis cineres expectant viri. Julius Cæsar Sconditus pos.

AD S. MARIAE DE PORTA NOVA.

Quám præposteré res sese humanæ habent! cujus mihi dulcissimas manus oculos priús claudere fas fuit, infeliciss. parens filium hîc anté condidi meum. Ademit importuna mors seni baculum, cui defessa jam adnitens ætas annos allevaret suos. nunc anté me mors assequetur, quám hæ lacrymæ deserant.

Carolus Morimini Joanni F. B M. pos. Vixit an. XXVII, m. I. d. VIII. M. CCCC. LXXXIII.

AD S. GEORGII.

Orbitatis misera & miserere, hospes:
Unica parentum spes, unica lux,
Egregia forma, rara indole puer,
Triennio vix exacto, hîc é suorum
Complexu raptus clauditur.
En rerum humanarum conditio!

IBIDEM.

Indulgens natura fuit, sors cruda puellæ,
Qua jacet hîc, primo rapta puerperio.

Et decor, & lepidi mores, & dulcia linguæ
Flumina, & ætatis flos, pietatis amor,
Decretum duri nequierunt vincere fati,
Ante diem bona tot sustulit una dies.
Talis ad Elysios abiit Catharina recessus;
Lucifer ut visus nube adopertus abit.
Perpetuas liquit lacrymas utriq; parenti,
Perpetuó extinctam sexus uterq; dolet.

Avete parentes opt. Tomasio Duro, rari exempli Patritio: & Juliæ Rotæ genere, & religione insigni: Filii collacrymantes facere cur. erepti. An. M D. XXXVI.

Felices, quibus una fuit mens semper; & una
Quos tulit hora simul; quos lapis unus habet.

MICH. AMIDEUS CIVIS NEAP.

Cúm fex, cúm limus, cúm res vilissima simus,
Unde superbimus, si ad terram terra redimus?

VIRGINIS MATRIS.

Partus & integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Hospes legas, ne lugeas rogo.
Illa Isabella Ricchisentia Cardonia
Neap. pro Regina jacet hîc.
Quam si oculis in terris vidisse viventem
Summa fuit beatitudo:
Quanto feliciores erunt, quibus animo
In cælis eandem (quînam mori potuit?)
Contemplari contigerit!
Credendum est ejus formam & virtutem
Animæ ad æternam gloriam fuisse comites.
Occidit aurora oriente, æt. suæ
Ann. XXXVI. V. Mart.

LUCRETIA EBULA.

Perpetuus mariti dolor hic sita est.
Joannes Vincentius Loffredus
Conjugi dulcissimæ fecit. Voluit idem
Huc ejus inferri cineres; ut cum ea
Semper unâ esse posse mortuo saltem

Licet,

Liceat, id quod vivo non licuit.
Hinc pauperum cadavera non arceantur.

IBIDEM.

Si genus, pulchritudo, ingenium, si parentum amor,
Pietas, labor, ac diligentia mortales asserere possent
Ab impetu furentis mortis; Portia Pignatella, infelix
Mater, invitaq; superstes, nunquam Lucretiæ
Caracciolæ nobile cadaver, lacrymans, sacro spiritui,
hoc tumulo condidisset.

Vixit annos XXIIII. m.XI. d.XXVI.
Decessit á partu Virg. An. M. D. LII.

D. O. M.

O mortalem variam instabilemq; fortunam!

Joan. Boot Antvverpiæ nascitur: ut prudentior fieret, lustrat Europam: Tandem Neapoli, dum legibus operam navat, atq; officiosissimé negotiatur: majorum splendore nobilis; fide, pietate, ac singulari integritate longé nobilior: in ipso ætatis flore moritur: Antonius fratruelis; quem vivum servare non potuit, hic ex testamento condito cadavere, piis lacrymis ad superos conscendentem prosecutus est. Decessit á partu Virgineo M. D. LVII. d.XXIIII.Febr.

IBIDEM.

Antonius Amabilis Protonot. Aposto. & Canonicus Neap. de suo nihil aliud, quám tantulum marmoris sibi reliquit.

An.sal. M. D. LII.

IN S. JOSEPHI.

Sic mors ipsa, cúm venerit, vincitur,
Si, priús quám veniat, semper timeatur.

Anno M. D. XXI.

IBIDEM.

Hic æquis passibus patrem secutus, æqué enituisset: ni mors immatura tantam gloriæ expectationem intercepisset.

Quæ mihi debebas ſuprema munera vitæ,
Infelix ſolvo nunc tibi, nate, prior.
(Fortuna inconſtans, lex & variabilis ævi)
Debueras cineri jam ſupereſſe meo.
Hæc dat matris amor rapti ſolamina nati,
Invida cui Lacheſis tam breve nectit opus.
Nate jaces vivo, contra mea vota, ſuperſtes.
Vox gemitus poſthac, lux mihi erunt tenebræ.

Maria Ayerba Ferdinando Termucanorum Duci, filio dulciſſimo, perpetuó mœrens poſuit. M. D. XXXI.

IBIDEM.

Baldaſſari Richæ, fratri concordiſſ.
Caſpar natu major ſuperſtes
Commune marmor poſuit, ut quos vita conjunctiſſimos tenuit, mors indiviſos cuſtodiret.
Ann. S. M. D. XVIII.
Obiit annum agens XXVII. XXI. Decemb.

ALIUD.

Joannes Orbinus hîc ſitus eſt. Qui ſummo corporis atque animi vigore bella gerendo, Cæſari victorias, Hiſpaniæ decus, & ſibi nomen cum immortali gloria comparavit.
Anno ſal. M. D. XXXI.
Rodoricus Ripalta amicus benemerenti poſ.

AD S. SEVERINI.

Hîc oſſa quieſcunt Jacobi Sanſeverini, Comitis Saponariæ, veneno miſeré, ob avaritiam, necati, cum duobus miſeris fratribus, eodem fato, eadem hora commorientibus.

IBIDEM.

Jacet hîc Sigiſmundus Sanſeverinus, veneno impié abſumptus, qui eodem fato, eodem tempore, pereuntes germanos fratres nec alloqui, nec cernere potuit.

IBIDEM.

Hîc ſitus eſt Aſcanius Sanſeverinus, cui, obeunti eodem

dem veneno iniqué atque impié, commorientes fratres nec alloqui, nec videre quidem licuit.

IBIDEM.

Hospes miserrimæ miserrimam defleas orbitatem. En illa Hippolyta Montia, post natas fœminas infeliciss. quæ Ugoni Sanseverino conjugi tres maximæ expectationis F. F. F. peperi. Qui venenatis poculis (vicit in familia (proh scelus) pietatem cupiditas, timorem audacia, & rationem amentia) una in miserorum complexibus parentum miserabiliter illico exspiratunt. Vir, ægritudine sensim obrepente, paucis póst annis, in his etiam manibus exspiravit. Ego tot superstes funeribus, cujus requies in tenebris, solamen in lacrymis & cura omnis in morte collocatur, quos vides separatim tumulos, ob æterni doloris monumentum, & in memoriam posui illorũ sempiternam. Ann. 1547.

AD S. SEVERINI.

Dum facio infelix æterno funera fletu;
Creverunt lacrymis hæc monumenta meis.
Quis, nisi mollissem tristissima corda, rigerem
Ipsa etiam, hoc toto corpore facta silex.

Guidoni Ferramoscæ Comiti Mignanio conjugi O. M. Isabella Castriota infelix contra votum P.

IN TEMPLO MONTIS OLIVETI.

Qui legis hæc, summissiús legas, ne dormientem excites. Rege Ferdinando orta Maria Arragonea hîc clausa est. Nupsit Antonio Piccolomineo Amalfæ Duci strenuo, cui reliquit tres filias, pignus amoris mutui. Puellam quiescere credibile est, quæ mori digna non fuit. Vixit ann. viginti. Anno Domini M.CCCC.LX.

IBIDEM.

Quis jacet hoc gelido sub marmore? maximus ille
Piscator; belli gloria, pacis honos.
Nunquid & hic pisces cepit? non. ergo quid? urbes,
Magnanimos reges, oppida, regna, duces.

Dic quibus hæc cepit Piscator retibus? alto
Consilio, intrepido corde, alacriq; manu.
Qui tantum rapuere Ducem? duo numina, Mars, Mors.
Ut raperent quisnam compulit? Invidia.
Nil nocuere ipsi. vivit nam Fama superstes,
Quæ Martem & Mortem vincit, & Invidiam.

Auctor Arioſtus, ut ajunt.

IBID. AD PORTAM SACELLI.

Quam capit hic tumulus, Cæcilia Januaria inter præcipua urbis ornamenta, venuſtatis atque pudicitiæ exemplum, hîc á Julio Januario marito miſerabili, donec ejus cineres commodiori, & utrique ſolúm communi ſepulcro deponantur, ſita eſt. Elata ex abortu, cunctis collacrymantibus. Anno ab ortu ſalutis M. D. XXX. XVI. Calend. April.

ITEM.

Hiſabellæ Oriliæ, cui nunquam vel tantillum querelarum dedimus; ſuperſtites novem filii, matri optimæ. Vixit ann. LVII. Obiit M. D. XXXVII.

HOSPES MIRARE SEPULTI
fidem.

Hîc, dum arcis Parthenopeæ á Divo Alfonſo Arragoneo præfectus, claſſica & terreſtri obſidione premeretur, ne fidem pollueret, exhauſto jam ærario, imminentia capitis pericula ſponte negligens, fœdum mularum & canum eſum non reſpuit; quin duobus fratribus captivis ab hoſte oppoſitis, ne tormentorum ictus increbeſcerent, ſocio ſanguini fortitudinem præferens, á propoſito non eſt abductus. Deinceps mortuo rege inclyto Ferdinando, uberrima multorum frangendæ fidei præmia ludibrio habuit.

FLEBILE AMICI OBSEQUIUM.

Pierides tumulo violas, Venus alma hyacinthos,
Balſama dant Charites, cinnama ſpargit Amor,
Phœbus odoratas laurus, Mars ipſe amaranthos,
Nos lacrymas rara munus amicitiæ.

Alexandri Novolariæ Comitis, juvenis (proh dolor) & bel-

& bellicis & litterariis dotibus ornatiſſ. oſſa hîc quieſcunt pro tempore. Vixit ann. P.M. XXXIII.

Hic tantúm mortem doluit, quód in acie non cecidiſſet, quibus notus ſat, miſeré deplorandus. Anno M.D.XXX. non. Auguſti.

IBIDEM.

Qui legis, mortem incuſato, quæ tot venuſtatis ornamenta, tot gratiarum elegantias, tot pudicitiæ floſculos in una Portia Caracciola germinantes acerbiſſimé ſepelivit. Iſabella ſoror Caſtrovillari Dux hanc illi urnam, immortalium cauſſam lacrymarum, erexit. M.D.L.

Quisquis me nunc calcas vivus, cogita, ſi ſapis, idem te mox futurum.

IBIDEM.

Marianum Alaneum, Bucclanici Comitem, domi militiæq; clariſſimum, & Katharinellam Urſinam pudicitia inſignem, conjuges in vita concordiſſimos, ne mors quidem ipſa disjunxit. Liberi pientiſſimi, ut parentes optimi junctim, ſicut optaverant, cõderentur, curavere. M. CCCC. LXXVII.

ALIUD.

Huic virtus gloriam, gloria immortalitatem comparavit. M. CCCC. LXX.

ALIUD.

Flos tener hîc languet, qui ni cecidiſſet; ut urna &
Nomine, ſic magna laude niteret avi.

ALIUD.

Mortales, an ſcimus quid futura nobis dies promittat? natalem, & locum, & diem ſcimus; ſepulturæ neſcimus. Blancina mihi nomen eſt, Barcellona patria; hęc dum bello graviús premitur, ipſa liberos ut viſerem, Neapolin profecta ſum; ubi dum quinquennium exigo, ſupremus mihi dies affuit; condi hîc volui, neminemque ſepulcro huic inferri cavi, nullius mecum cineres miſceri paſſura.

Blancina Barcellonẽſis hîc poſita eſt, quæ obiit XXVIII. Julii. M. CCCC. LXIX. Vixit an. LXXX. quorum LX. ſine que-

rela exegit cum Jacobo Ferraro conjuge concordissimo. Jo. fil. posuit.

Hîc Terra tegit Terram.

IBIDEM.

Quid me felicem vani dixere parentes,
Si mihi morte fuit vita molesta magis?
Nil bene successit. patrias morituris ad oras
Dum propero, hîc sepelit Parthenopea senem.

ALIUD.

Rodoricus Mendotia Angelæ-Mariæ filiæ carissimæ, cujus nuptiarum spem præmaturo funere finivit, hoc monumentum posuit, ei superstes ipse, cujus parentalia exspectabat. Vixit an. VII. M.D.XLIV.

AD CATHARINAE A FORMELLO.

Loisius Acciapaccia Eques Neapolitanus, pedestrium copiarum ductor, sedem hanc sibi paravit, ne cui, vel in re parva, molestus esset, ut idem moriens faceret, quod vivus fecit. M. D. LII.

IBIDEM.

Constantinus Castriotus hîc tegitur, sanguine & cognatione regum ac Cæsarea clarus; morum candore insignis; dignitate Pontifex Esernienſis; dum probé vivit; intempestidé moritur. Andronica Cominata avia paterna, nepoti optimo posuit. M.D.

IBIDEM.

Araldo de montibus, cui verbum nullum unquam ex ore excidit, unde quisquam posset offendi; Pompejus de montibus patrueli optimo, & homini rarissimo, memoriæ causſa. Anno á partu Virgineo M.D.LVII.

IN DOMINICI.

Ad ensem Marchionis Pescariæ.

Pescario Marti debetur Martius ensis.
Barbara adest: tutus medios potes ire per hostes.

AD S. CRUCEM.

Hîc jacet summæ humilitatis exemplar, corpus venerabilis

rabilis memoriæ sanctæ sororis Claræ, olim dominæ Sanciæ, Reginæ Hierusalem, & Siciliæ, relictæ claræ memoriæ sereniſſimi domini Roberti, Hierusalem & Siciliæ regis, quæ post obitum ejusdem regis viri sui, agens viduitatis debitæ annum, deinde transitoria pro æternis commutans, ac induens in ejus corpore, pro amore Christi, voluntariam paupertatem, bonis suis omnibus in alimoniam pauperum distributis, hoc celebre monasterium sanctæ Crucis, opus manuum suarum, sub ordinis obedientia est ingressa, anno Domini milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo quarto, die XXI. Januarii, duodecimæ Indict. in quo vitam beatam ducens, secūdúm regulam beati Franciſci patris pauperum; tandem vitæ suæ terminum religiosé consummavit. Anno Domini M. CCC. XXXXV. die XXVIII. Julii, tertiædecimæ Indict. sequenti veró die factis exsequiis tumulatur.

AD S. LAURENTIUM.

JOHANNI FRANCISCO PIGNONO,

In quo tot virtutum flores enitebant, ut immortales posteris fructus pollicerentur, sed tamen (heu) spem fructuum rapidus Auster ilico ad terram decussit. Aurelius & Cæcilia Ursina parentes certatim collacrymantes, filio quám cariss. ob egregias dotes poss. Elatus quiescenti, quám mortuo similior. Ann. agens XIIII. M. D. XLVIII.

IBIDEM.

Johannes Baptista Villanus. Quam vivus nequiit, mortuus invenit requiem. M. D. LV.

IN S. AUGUSTINI.

Quot lacrymas moriens liquisti, filia, matri,
Tót tibi dent superi gaudia perpetuó.
Ter conata sequi, ter spiritus hæserat ori,
Quod volui, haud potui, te moriente mori.
Solamen si quod miseræ est, insomnia præstant,
Quum tristem in somnis ludit imago animam.

Claudiæ Gaglianæ fœminæ rariss. Quæ vixit annos XIX. menses X. dies IV. Angela Ferrayola mater infeliciss. F.

Quam tunc dolor inteſtinus deſeret, quum clemens mors illam aſſequetur.

IBIDEM.

Antonius Corradius Aquinatium Pontifex, nobilitate clarus, virtute clarior, pietate ac religione clariſſimus, hîc ſitus eſt. Daria-Gregoria de Aquino leviro benemerenti ex ſuo poſ. An. ab ortu ſalutis M. D. XXXIIII.

IBIDEM.

Dioneus fui Tornaquintius. Ann. vixi vix XVIII. vitæ inſtabilitatis exemplum. M. D. XIIII.

IBIDEM.

Flere tuum licuit, frater dulciſſime, funus:
Addere perpetuus non licuit lacrymas.

Paulo Fontanæ Auguſtiniano Theologo, Concionatori ætatis ſuæ eloquentiſſ. qui vixit ann. XXXIIII. menſ. IIII. d. VII. Michaël Fontana frat. opt. ac B. M. ob pietatem poſuit. Obiit An. Chriſti M. D. XXIIII. Auguſti XXVI.

Sub hoc Epitaphio picta eſt aquila; tenens librum magnum apertum, adjectis verbis ſeqq.

Paulum veró Neapolit. Eremit. in quo potiſſimúm laudum genere collocem, non invenio. Nam ſi probitatem, ſi ſtudia, humanitatem, liberalitatem, gratiam ſpectem; nemini ſecundus apparebit. Si dicendi peritiam, facundiam, promptitudinem, modulatiſſ. vocem, aptiſſ. geſtus, concinnos flores, luculenta verba, beatam memoriam, ferventiſſ. hortationes, propheticum furorem: primum in ſua ætate locum facilé obtinebit. cujus perennem atque beatiſſ. eloquentiæ fontem toties Urbs ipſa Roma, Venetorum Senatus, Janua, Panhormus, Sicilia, Regnum Apuliæ, & quod rariſſ. eſt, patria Neapolis, maximo plauſu pluries eſt admirata: quem in medio fortunarum curſu, ut deſiderabiliorem nobis, ſic & feliciorem ſibi, mors ipſa abſtulit, finem quoq; tantorum laborum & volenti, & plurimum exoptanti præſtitit.

IBIDEM.

Tibi Deipara Virgo, ſacroque ſancto partui tuo, Bernardus

ardus Summaja, & Lucretia de Gondi, concordissimo animo, sacellum cum ara, tumulo, ac omni cultu dedicamus M D.XLIII.

IBIDEM.

Ferdinandus Celentanus Neap. videns mortales omnes, hunc suis, ac uxoris Aureliæ Servillæ, posterûmque ossibus quietis locum in vita paravit. Anno Domini M. D.LI.

IBIDEM.

Annibal Marzanus Cæs. á rationibus, Morti sive serotinæ, sive acerbæ, pusillo marmore obstitit.

ALIUD.

Nata, eheu miserum, misero mihi nata parenti,
Unictus ut fieres unica nata dolor.
Nam tibi dumq; virum, tædas, thalamumq; parabam,
Funera & inferias anxius ecce paro.
Debuimus tecum poni materq; paterq;,
Ut tribus hæc miseris urna parata foret.
At nos perpetui gemitus, tu nata sepulcri
Esto heres, ubi sic impia fata volunt.

Antoniæ fil. cariss. quæ Hieronymo Granatæ juveni ornatiss. destinata uxor ann. nondum impleverat XIIII. Joan. Gaudinus & Eleonora Bossa parentes infeliciss. poss. Rapta ex eorum complexibus Anno sal. M. D. XXX. prid. Cal. Jan.

ALIBI.

Hospes eram mundo, per mundum semper eundo,
Nunc suprema dies sit mihi summa quies.

D. O. M.

Subsiste parumper viator, si placet, & quis hoc tegatur tumulo, lege. fuit is Johannes ille Waltherus ab Hirnhaim Germanus, inter equestris ordinis viros miles fortiss. qui Carolum v. Imp. Augustum in omni fortuna secutus, á consiliis illi, á legationibus & præcipuis muniis bellicis fidelem & strenuam operam præstitit. Idem ejus

filio Philippo Hisp. & Angliæ Regi præstiturus VI. mill. Germanorū in hoc regnum duxit; sed eodem die, quo in Hernicis pax bello, morbus vitæ illius finem imposuit. Ergo tu quisquis es miles, qui hæc legeris, fato tuo ne terrere, sed cogita, summos etiam duces sæpe extra bellum occumbere. Obiit XVIII. Aug. Ann. M. D. LVII.

Henricus á Pappenhaim Sac. Rom. Imp. hæreditarius Marschalcus, militum tribunus, avunculo benemerito gratitudinis ergó cum lacrymis P. F.

Hans Walther von Hirnhaim bin ich genant/
Mit ehren führt ich mein Ritterstandt/
Des Keyser Carls Raht vnd Oberster ich was/
Seins sohns Philipsen gleicher maß.
Dann ich sein land vnd leut zu verfechten
Zog hiereyn mit sechs tausent landsknechten.
Als aber der Krieg in frid verwendt/
Hab ich zu Innenzal mein leben geendt.
Der Cörper ist hie zur erden bestat/
Mein seel in gnad Gott aufgenomen hat.

D. O. M.

LACT. LUCAITIUS CAUSID.

Spiritum Deo, Probitatem famæ,
Prolem naturæ, Nefas Herebo,
Labores sorti, Ossaq; sepulcro.
Sibi vivens ac posteris D.

ALIUD.

Quid? Omnia. Si nihil; cur omnia?
Quid omnia? Nihil. Nihil; ut omnia.

AD S. LAURENTII.

Hospes quid sim, vides. Quid fuerim, nosti.
Futurus ipse quid sis, cogita.

Inferri sancto manes quia turpe putavi,
Idcirco ante fores conditus hic jaceo.

Erricus Rud. Eq. Neap. vivus sibi posuit, ne de sepulcro sollicitus heres esset, néve vivorum negligentia obesset mortuo.

IN S. JOAN. DE CARBONARA.

Lucretia de Baucis, Comitissa Burgentiæ & Cagiani Ducissa, videns defunctorum curam triduo deleri, ne posteris ulla sui relinquatur, vivens hoc sibi posuit.

IN S. PETRI.

Apud DEUM nihil operosa humilitate sublimius:
Nullum theatrum virtuti conscientia majus.

ALIUD.

Hîc requiescit sanctæ memoriæ excellentissima Domina Maria, Dei gratiâ Jerusalem, Siciliæ, Ungariæq; Regina, Magnifici Principis quondam Stephani, Dei gratia Regis Ungariæ fil. ac relicta vidua claræ memoriæ inclyti Principis D. Caroli secundi, & mater serenissimi Principis ac Dn. Domini Roberti, dictorum regnorum Regum Illustrium. quæ obiit Anno Domini 1323. indict. 16. die 25. mensis Martii: cujus anima requiescit in pace.

D. M.

Injice si pietas usquam est, suspiria, & imple
Mecum hospes lacrymis marmoris hoc vacuum:
Nam forma exemplum periit cùm obiit mea Lyda,
Quam petiere homines, & petiere dii.

ALIUD.

Verna puer, puer ô mi verna quis? ah quis ab aura
In tenebras rapuit perditus, heu morerer,
Ni tecum assidué loquerer, ni sapé jocando
Fallerer, hinc te dum continuó adspicio.
Semper ero tecum, & si me sopor occupet, umbram
Te umbra petam. ergo unquam ne metue abs te abeam.

IN COENACULO MÒNACHORUM *montis Oliveti.*

Alphonso Arragoniæ Regi justissimo, invictissimo, munificentissimo, Olivetus Ordo, ob singularem erga se beneficētiam, qui cum hîc conjunctiss. vixit, ut regia majestate deposita, cum eis unâ cibum caperet, ministris deinde mensarum ministraret, lectitaretque, F.C.

IN DOMO ALEMANNI CIVIS NEAP.

inscriptio lapidis antiqui.

M. Μάει Θ ὁπίλιτ Θ τῇ τύχῃ
τῆς νέας πόλεως ἀνέθηκεν χαειτήειον.

AD S. PETRI.

Post Jesu Christi resurrectionem, & ad cælos ascensionem anno vigesimo, Beatus Petrus Apostolus Neapolim veniens, prima jecit fundamenta præsentis Ecclesiæ, ab eodem nuncupatæ, & ad memoriam posteritatis extabat titulus marmoreo lapide inscriptus parieti campanarum confabricatus, qui exercitu barbarico Neapolitanum agrum pervagante interceptus est.

Idem Apostolorum princeps eandem Ecclesiam per seipsum consecravit, & in hujus dedicationis memoriam extat lapis marmoreus, Græcis literis exsculptus, qui in dextro cornu majoris altaris conditur.

IBIDEM.

Gumbertus Dei gratia Marchio Brandeburg. Stetin. Pomer. Cassuborum & Slavorum Dux, Burggrafius Norinbergæ, & Princeps Rugen. qui obiit Mercurii, D. Joh. Bapt. 24. Junii. Anno 1528.

CAROLI MORIMINI.

Fui, non sum. estis, non eritis. nemo immortalis.

Somno & securitati æternæ. Carolo Morimini patri opt. Trojanus & Henricus F. virtutis & amoris caussa.

IN TEMPLO S. MARIAE NOVAE.

Ossibus & memoriæ Petri Navarræ Cantabri, solerti in expugnandis urbibus arte clarissimi. Consalvus Ferdinandus Ludovici filius, Magni Consalvi nepos, Suessæ Princeps, Ducum Gallorum partes secutum pio sepulcri munere honestavit, cúm hoc in se habeat præclara virtus, ut etiam in hoste sit admirabilis.

IBIDEM.

Odetto Fuccio Lautrecho Consalvus Ferdinandus Ludovici Cordubani F. Magni Consalvi nepos, cúm ejus ossa

ossa, quamvis hostis, ut belli fortuna tulerat, sine honore jacere comperisset; humanarum miseriarum memor Gallo duci Hispanus Princeps in avito sacello P.

IN JO. EVANGELISTAE.

Angelo Papacodæ, Fran. Filio Martoranensi Episcopo, viro ornatissimo, qui in non magnis opibus magnũ exercens animum; nulla magis in re, quám aliorum levanda inopia suis bonis usus est. Hæredes B. M. P. Decessit ex mortalib. an. nat. 66. ab ortu mundi redivivi 1537.

IN S. MARIAE.

In mundo spes nulla boni, spes nulla salutis.
Una salus servire DEO: *sunt cætera fraudes.*

IN VESTIBULO AEDIUM PRINCIPIS Magdalonii.

Huc quicunq; venis faustè & benè veneris hospes,
Comiter in nostra suscipiere domo.

SUPRA CAMINUM.

Si propiús steteris, flagras: si longiús, alges.

IN MONTE PIZOFALCONIO.

Andreas Caraffa, S. Severinæ Comes, villam hîc struxit, Caraffanamque appellavit; Lucullum imitatus parili animo, licet opibus impar, atque ita sanxit: Delicati juvènes huc ne accedunto. emeriti senes, nec inglorii, honesta quiete hîc fruuntor. Viri docti bonique ingenia hîc exercento. Qui é Caraffa gentilitate fuerit, qui sanctiones hasce non servaverit, suburbani hujus exhæres esto, proximiorq; succedito. Anno M.D.XII.

IN MURO HORTI CAPELLAE.

EXERCITIUM est humanæ vitæ conservatio: caloris naturalis lima: excitatio dormientis: naturæ virtutum corroboratio: superfluitatum consumptio: ocio inimicum: temporis lucrum: juventutis debitum, & senectutis gaudium.

Ille ergo solus ab exercitio abstineat, qui utriusq; sanitatis beneficio vult carere.

In Castello Eremi.

Hic á Toleto cognomine Petrus humatus,
Vir vita & ſtudiis, clarus & ingenio.
Servandæ huic primùm quem rex præfecerat arci,
Ut munita foret rupibus, arte, fide.
Servata hæc annos ter ſenos, nomen & oſſa
Hujus perpetuó ſervet & omne decus.

Vixit annos LXI. obiit anno M. D. LIX. D. Sophia Mogoran. uxor P. ut vir juſſerat.

In Leucopetra villa ante *ingreſſum.*

Hoſpes, etſi properas, ne ſis impius, præteriens hoc ædificium venerator. Hic enim Carolus v. Rom. Imp. á debellata Africa veniens, triduum in liberali Leucopetræ gremio conſumpſit. florem ſpargito, & vale. Anno M. D. XXXV.

In Turri.

Ut diurno luſu defeſſus Pan, Satyris Nymphisque comitantibus, cum Muſis ſimul tutus á prædonibus noctu quieſceret: Bernardus Martiranus Patritius Conſentinus, Regni Neapolitani ſub Carolo Cæſare v. Secretarius, propugnaculum hoc erexit. Anno M. D. XXXII.

Sacellum Joannis Joviani Pontani videtur Neapoli ad templum S. Mariæ *majoris, extrinſecus graviſſimis hisce ſententiis conſpicuum.*

In magnis opibus, ut admodum difficile, ſic admodum pulcrum eſt, ſeipſum continere.

In utraq; fortuna ipſius fortunæ memor eſto.

Seró pœnitet, quanquam citó pœnitet, qui in re dubia nimis citó decernit.

Integritate fides alitur: fide veró amicitia.

Nec temeritas ſemper felix, nec prudentia ubiq; tuta.

Hominem eſſe ſe haud meminit, qui nunquam injuriarum obliviſcitur.

Fruſtra leges prætereunt, quem non abſolverit conſcientia.

In omni vitæ genere primum eſt ſeipſum noſcere.

In

IN EODEM SACELLO ARAE DEDICATO.

Tibi, DEUS Optime Maxime, aram hanc dedicat Joannes Jovianus, nec tecum paciscitur, ut sibi, liberis posterisq; suis benefaxis: cùm ipse volens libensq; gratuitò benefacias cunctis: sed quia tibi ab omnib. debeātur omnia.

EPITAPHIUM IPSIUS PONTANI.

Vivus domum hanc mihi paravi,
Quâ quiescerem mortuus.
Noli obsecro injuriam mortuo facere,
Quam vivus fecerim nemini.
Sum enim Joannes Jovianus Pontanus,
Quem amaverunt bonæ Musæ,
Suspexerunt viri probi,
Honestarunt Reges, Domini.
Scis jam qui sim, aut qui potiùs fuerim.
Ego verò te hospes in tenebris noscere nequeo,
Sed teipsum ut noscas rogo. Vale.

IBIDEM.

PETRO COMPATRI VIRO OFFICIOSISS. CONSTANTEM OB AMICITIAM, *Jo. Pontanus.*

Quid agam, requiris? tabesco. Scire quid sim, cupis? fui. Vitæ quæ fuerint condimenta, rogas? Labor, dolor, ægritudo, luctus, servire superbis dominis: jugum ferre superstitionis: quos charos habeas, sepelire: patriæ videre excidium: nam uxoris molestiam nunquam sensi.

HADRIANAE SAXONAE.

Illa tori bene fida comes custosq; pudici,
Cuiq; & acus placuit, cui placuere coli.
Quæq; focum castosq; lares servavit, & aræ
Et thura, & lacrymas, & pia serta dedit.
In prolem studiosa parens, & amabilis uni,
Quæ studuit caro casta placere viro:
Hîc posita est Ariadna, rosæ violæq; nitescant.
Quâ posita est Sirio spiret odore locus.
Urna crocum dominæ fundat, destillet amomum
Ad tumulum, & cineri spica Cilissa fluat.

Quinquennio postquam uxor abiisti, dedicata priús ædicula, monimentum hoc tibi statui, tecum cotidianus ut loquerer, nec si mihi non respondes, respondebit desiderium tui, per quod ipsa semper mecum es: aut obmutescet memoria, per quam ipse tecum loquor. Have igitur mea Hadriana. Ubi enim ossa mea tuis miscuero, uterque simul bene valebimus. Vivens tecum vixi annos XXIX. dies XXIX. Victurus póst mortuus æternitatẽ æternam.

Joannes Jovianus Pontanus Hadrianæ Saxonæ, uxori optimæ, ac bene merentiss. pos. quæ vixit annos XLVI. mens. VI. Obiit Kalend. Mart. Anno M.CCCC.XC.

L. Francisco, Joan. Pontani F.

Has aras pater ipse DEO, *templumq; parabam,*
Quo tu nate meos contegeres cineres.
Heu fati vis læva, & lex variabilis ævi;
Nam pater ipse tuos nate struo tumulos.
Inferias puero senior, natoq; sepulcrum
Pono parens. heu quid sidera dura parant?
Sed quodcunq; parant, breve sit. namq; optima vitæ
Pars exacta mihi est; cætera funus erunt.
Hoc tibi pro tabulis statuo. pater ipse dolorum
Hæres, tu tumulos pro patrimonio habe.

Vixit annos XXIX. m. V. d. III.

L. Francisco F. Pontanus pater, an. Christi M.CCCCIIC. d. XXIII. Aug. P.

Lucilii ejusdem Pontani filii.

Lucili tibi lux nomen dedit, & dedit ipsa
Mater stella tibi stellaq; luxq; simul.
Eripuit nox atra, nigræ eripuere tenebræ,
Vixisti vix quod littera prima notat.
Hósne dies breve támne tibi lux fulsit, & auræ
Maternum in nimbis sic tenuere jubar?
Infelix fatum! puer heu malé felix! heu quód
Nec puer es, nec lux, nec nisi inane. quid es?
Floreat ad pueri tumulum Ver, halet & urnæ
Lucili, & cineri spiret inustus odor.

Dies L. non implesti fili. ô breve naturæ specimen! æternus parentum mœror, ac desiderium.

Has

Has Luci tibi & inferias, & munera solvo
Annua vota pius, heu mihi, cum lacrymis.
Hæc Luci tibi & ad tumulos positumq; pheretrum
Dona pater multis diluo cum lacrymis.
Hæc dona inferiasq; heu, heu, hunc nate capillum,
Incanasq; comas accipe, & has lacrymas.
His lacrymis, his te inferiis, hoc munere condo.
Nate vale æternùm, ô & valeant tumuli.
Quin & hient tumuli, & tellus hiet, & tibi meme
Reddat, & una duos urna tegat cineres.

Pontanus pater L. Fran. F. infelici.

L. MARTIAE FILIAE.

Liquisti patrem in tenebris, mea Lucia, postquam
E luce in tenebras filia rapta mihi es.
Sed neq; tu in tenebras rapta es, quin ipsa tenebras
Liquisti, & media lucida sole micas.
Cælo te nata aspicio, num nata parentem
Aspicis? an fingit hæc tibi vana pater?
Solamen mortis miseræ, te nata sepulcrum
Hoc tegit, haud cineri sensus inesse potest.
Si qua tamen de te superat pars, nata, fatere
Felicem quód te prima juventa rapit.
At nos in tenebris vitam luctuq; trahemus:
Hoc pretium patri, filia, quod genui.

Musæ, filia, luxerunt te in obitu: at lapide in hoc luget te pater tuus, quem liquisti in squalore, cruciatu, gemitu. Heu, heu filia, quód nec morienti pater affui, qui mortis cordolium tibi demerem: nec sorores, quæ ingemiscenti collacrymarentur miscllæ. nec frater singultiens, qui sitienti ministraret aquulam. non mater ipsa, quæ collo implicita, ore animulam exciperet infelicissima. Hoc tamen felix, quód haud multos post annos te revisit, tecumque nunc cubat. Ast ego felicior, qui brevi cum utroq; edormiscam, eodem in conditorio. Vale filia, matrique frigescenti cineres interim calface, ut póst etiam refocilles meos. Joan. Jovianus Pontanus L. Martiæ filiæ dulciss. P. quæ vixit annos XIIII. m. VII. d. XII.

Jacobus de sancto Nazario, Sannazarius dictus, mutato postea cognomẽto, se Actium Sincerum nominavit. Is in Mergillina, latere Pausilypi promontorii, qua Neapolin respicit, templum exstruxit, cui nomen imposuit S. Mariæ de partu, ubi hoc distichon ad imaginẽ Crucifixi legitur:

Virginis intacta partus, celsiq; Tonantis
Unicus, ut vivas, pertulit ipse mori.

POST ARAM MONUMENTUM ACTII MARMOreum longé pulcherrimum est, cui imposita ipsius imago, cum tali inscriptione:

Actius hic situs est: cineres gaudete sepulti.
Nam vaga post obitus umbra dolore caret.

ITEM.

De sacro cineri flores, hic ille Maroni,
Sincerus Musa proximus ut tumulo.

Vixit annos LXXII. Obiit M. D. XXX.

IBIDEM.

Fabricio Manlio nobili Barolitano, magnæ spei juveni, Camillus pater munus lacrymabile. Hic adeó Mergillinam adamavit, ut ad eam infirmus ferri, in ea mori, in ea sepeliri voluerit. An. 1566. Ob. an. 1561.

VIRGILII SEPULCHRUM NON PROCUL INDE, *supra aditum, sive introitum Cryptæ Puteolanæ, per montem Pausilypum itineris gratiâ actæ, olim conspiciebatur: nunc hi versiculi recens candido marmori insculpti ibidem leguntur.*

Qui cineres? tumuli hæc vestigia; conditur olim
Ille hoc, qui cecinit pascua, rura, duces.

IN CASTELLO EREMI, IN TEMPLO E REgione arcis novæ.

Petrus Toletus Friderici Ducis filius, Marchio Villæ Franchæ, Regni Neap. Prorex, Turcarum omniumq; hostium spe sublatâ: restitutâ justitiâ: urbe mœniis, arce foroq; auctâ, munitâ, exornatâ: deniq; toto regno divitiis ac hilari securitate repleto, monumentum virens, in Ecclesia dotata, & á fundamẽtis erecta Pon. Mand. vix. an. 73. rexit xxi. Obiit 1553. 6. Kal. Febr.

AD

AD MARIAE DE CONSOLAT.

Fui ut es: eris ut sum.

ANONYMI.

Hæc satis in tumulo fragilem te noveris esse:
Mors certa est, tempus perbreve, vita nihil.

RAYMUNDO URSINO

Pacentri Comiti, morum suavitate, candoreq; animi claro & insigni, Faustina Caraffa conjux mœstiss. quod nollet, id volens præstitit. O rerum humanarum inconstans exitus! Vixit annos XLVII. Obiit M. D. LIX.

JOAN. ANTON. CARACCIOLUS

Oppidi Comes, annum agens LX. locum delegit sepulcro ad parentum pedes, quos & vivos & mortuos observandos novit.

IN S. JOHANNE MAJORE.

TOMASII DURI ET JULIRROTAE conjugum.

Felices, quibus una fuit mens semper, & una
Quos tulit hora simul, quos lapis unus habet.

JULIUS FELTRIUS

Eram, anno Christ. salutis M. D. XXVIII. Martii die IV. & XX. fabulam clausi meam.

ANDREAE ALEXII.

Quæ miser imposui lugubria saxa sepulcro,
Mi pater, innumeris accipe pro meritis.
Quod si marmoream licuisset sumere formam,
Te natus tegeret non alio lapide.
Inciså q; notæ legerentur; gratus Alexis
Reddidit ossa patri, fitq; patri tumulus.

Andreæ Simonis fil. Alexio Antonio, fratri piissimo, qui nemini unquam injurius, prodesse semper studuit. Vix. ann. LXXV. perpetua cum valetudine.

JOAN. BAPTISTA VILLANUS.

Quam vivus nequivit, mortuus invenit requiem.

ANONYMI.

Quisquis es, hoc te sepultus rogat, sua ne moveas seu inquietes ossa, ut qui vivus nunquam quievit, saltem quiescat mortuus.

IN VICARIA.

AD INSIGNIA CAROLI V.

Carolo v. Cæsare Augusto invictiss. imperante, Petrus Toledus Marchio Villæ Franchæ, hujus regni Prorex, juris vindex sanctissimus, post fugatos Turcas arcem in Curiam redactam justitiæ dedicavit, consiliaque omnia hoc in loco, cum magno totius regni commodo, constituit. Anno á partu Virgineo M. D. XL.

IN AULA MAGNA AD IMAGINEM JUSTITIÆ *cæcæ, dextrâ gladium, sinistrâ stateram tenentis.*

Cúm æterni tribunal judicis illum reum non habeat, quem injustè reus condemnat, testante Propheta; nec damnabit illum, cúm judicabit ei: caveant Judices, & prudenter attendant, ut in causarum processibus, nil vindicet odium, vel favor usurpet. timor exulet, & præmium aut expectatio præmii justitiam non evertat: sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine; ut in omnibus quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententiis & ferendis, præ oculis habeant solum Deum, qui sit laudabilis & glorioſus per infinita sæcula sæculorum.

IBIDEM.

Ne quid facias hodie, quod cras te pœniteat.

ITEM.

NATURA DEFICIT, FORTUNA MUTATUR, DEUS OMNIA CERNIT.

Ad imagines Imperatorum in cistella conditas.

Olim Cæsaribus quibus ingens non satis orbis
Extitit, hac modica est sub brevitate locus.

Ab altera parte hoc.

E luce in tenebras rapuit quos improba mors, nunc
In lucem é tenebris porrigit arca viros.

ALIUD.

ALIUD.

I. V. D. M.

Crispe, fili lepidissime, heu heu orcus cúm te voravit, delicium omne mihi abstulit: baculum, exsuctis medullis edentulæ senectutis, secuit: spem nepotum abstraxit secum maximam. in tanta demum orbitate desolata supersum, ut nî, qui secus sentiunt, manes vetuissent, vivum me tecum contumulassent. Vix. annos XII. Crispus pater infelicissimus, F. & sibi, & suis libertis libertabusq; posterisq; ipse.

IN CASTELLO NOVO.

Alfonsus regum Princeps hanc condidit arcem.

Alfonsus rex Hispanus, Siculus, Italicus, pius, clemens, invictus.

AD ANNUNCIATAE.

Simon Grachila Venusinorum Pontifex Domum hospitalitate sacrosanctam ex asse hæredem fecit, cavitq; ut si filii fratrum, posteriq; eorum bonis artibus studuerint, hæredes pro semisse sunto. Sin minus; ex eodem semisse quæq; eorum fœmina maturior nubito: & reliqua stipulatione, omniq; cura de se mortuo vivos levavit. An. 1563.

AD MARIAE MONTIS VIRGINEI.

Matthæus de Afflicto, nobilis Neap. ad extremam senectutem integra & animi & corporis valetudine pervenit. Sub v. Neapolitanorum regib. se fidelem Consiliarium gessit: utriusq; Juris peritiss. de Feudis, de Regni constitutionibus copiosissimé scripsit. Multa scitiss. Consilia reliquit. Annum agens feré 80. naturæ concessit.

AD S. JOAN. MAJORIS.

Cúm speculum cernis, cur non mortalia spernis?
Tali namq; domo clauditur omnis homo.

IN ARCHIEPISCOPI.

Oliverius Caraffa, Episcopus Hostiensis S.R.E. Cardinalis, Neap. Divo Januario Martyri Pontificiq;, Neapolitanorum patrono, sarcophagum hunc dedicavit, saccl-

lumq; marmoribus miro opere construxit ornavitq;, additis ei sacerdotibus, qui quotidie DEO sacrificent, quibus dotem perpetui proventus constituit. Jus patronatus sacelli gentilium esse voluit. Inprimis DEI honorem, & laudem sanctorum quæsivit. Favete animis, & auctori preces fundite. An. sal. 1551.

Hoc fac, & vives.

IBIDEM.

Si dolor est, cui carus obit virq; optimus idem
Omnibus, & qui plus millibus unus amet:
Is meus est: mihi dum genitor dulcissimus heu heu
Antiquæ exemplar simplicitatis obit.
Æternúm cineres patris heu manesq; valete.
Linquor ego: vobis parta quies stabilis.

Franc. Vopisco vita defuncto octogenario. Anno sal. Christianæ M. D.

IN MONTE OLIVETI.

Ut moriens viveret: Vixit ut moriturus.

Jo. Paulus Raynaldi Vaxalli F. ex nobilitate Neapol. Aversanus antistes, cúm Divi Pauli patrimonium templumq; pié ac sancté auxisset decorassetq;, & monumentum sibi construi jussisset: paterna pietate ductus, sepulcrum hoc vivens faciundum curavit: & in eo vita functus condi voluit. An. Christi M. D.

ITEM.

Pyrrhus Pestius V.I.D. & Catharina Scuria conjuges Augustino F. sibi & posteris posuere. Ann. sal. M. D. XX[illegible]. Hic ut Alfonso Piccolomineo Amalfiæ Duci perpetuo deditus: moriens procul abesse noluit.

ITEM.

Joannes de Cabaniglis Troiæ Comes, fati acerbitate luctus perpetuus, quibus meritó maxima erat spes. O[illegible] M. CCCC. LXXXIII. B. An. XXX.

TENDIMUS HUC OMNES.

Hospes, quem cernis lapidem, Joanni Riberio eq[illegible] Ispa[illegible]

Ispalienſi, ſingulariſſ. viro exempli: ductori ſtrenuo: & caſtrorum præf. ſolertiſſ. Conſalvus Riberius profuſiſſimis lacrymis, ob conſanguineam charitatem Poſ. B. Ann. L. Quor. x x. Ferdin. Cath. regis auſpiciis, reliquos in Car. Cæſ. obſequiis expendit. A virginis partu M. D. XXX. v. Idus Decemb.

M. S.

Hugoni Pepulo Comiti Bononienſi: Qui cúm ad familię dignitatem & ſplendorem non domeſticas tantúm virtutes, ſed & bellicæ laudis decus adjunxiſſet: in maximis expeditionibus conſilio atque animi magnitudine proximum ſibi ſummis imperiis gradum, & inſigne apud cunctas Europæ nationes nomen meruit. florente gloria & ætate ſua exſtincto Philippus Pepulus Comes, fratri D. S. O. M. mœrens P. B. ann. XLIII. m. IV. d. XX. Θ. Capuæ. v. Kal. Septemb. M. D. XXVIII.

O ſemper inimica & invida proficiſcendi ad ſummam gloriam virtuti Mors!

Tibi Chriſte D. O. M. æterni DEI F. de morte devicta triumphanti, & de eadem nobis triumphaturis exemplum relinquenti: M. Ant. Maza tanti beneficii ob memoriam dicavit. M. D. LXVIII.

D. O. M. Ferdinandus Manlius Neap. Camp. architectus. Qui Petri Toleti Neapolitani Proregis auſpicio regiis ædibus extruendis: plateis ſternendis: cryptæ aperiendæ: viis & pontibus in ampliorem formam reſtituendis: paluſtribuſque aquis deducendis præfuit. Cujus elaboratum induſtria, ut tutius viatoribus iter, loci colonis ſalubriores eſſent: Timotheo Encyclio Mathemat. pietatis rariſſ. filio. Qui vixit ann. XIX. m. VI. d. V. ſibi, ac ſuis vivens fecit. A Chriſto nato M. D. LIII.

ALIBI.

Improba mors noſtris, heu, ſemper & obvia rebus!
Dum rex magnanimus totum ſpe concipit orbem,

En moritur: ſaxo tegitur rex inclytus iſto:
Libera ſidereum mens ipſa petivit Olympum.

DIVUS LADISLAUS.

Miraris niveis pendentia ſaxa columnis
Hoſpes, & hunc acri qui ſedet altus equo?
Quid ſi animos roburq; Ducis, præclaraq; noſſes
Pectora, & invictas dura per arma manus.
Hic Capitolinis deiecit ſedibus hoſtem,
Bisq; triumphata victor ab urbe redit.
Italiamq; omnem bello concuſſit & armis:
Intulit Hetruſco ſigna tremenda mari.
Néve foret Latio tantùm diademate felix,
Ante ſuos vidit Gallica ſceptra pedes.
Cumq; rebellantem preſſiſſet pontibus Arnum,
Mors vetuit ſextam claudere Olympiadem.
I nunc regna para. faſtusq; attolle ſuperbos:
Mors etiam magnos obruit atra DEOS.

ALIUD.

Nil mihi, nî titulus, ſummo de culmine deerat.
Regina morbis invalida & ſenio.
Fœcunda populos proceresq; in pace tuebar:
Pro domina imperio nullius arma timens.
Sed me idem livor, qui te, fortiſſime Cæſar,
Sopitum extinxit nocte juvante dolos.
Non me, ſed totum laceras manus impia regnum,
Parthenopeq; ſuum perdidit alma decus.

Joanni Caracciolo, Avellini Comiti, Venuſii Duci, ac Regni magno Seneſcalco & moderatori, Trajanus filius Malphiæ Dux, parenti de ſe deque patria optimè merito, erigendum curavit.

ANTONIO SEREPANDO

Sacerdotiis commodioribus honeſtè functo, cujus fide atque doctrina in ſcribendis epiſtolis Eliſius Cardinalis Arragonius uſus fuerat, uni mortalium maximè amicorum cauſſa nato. Qui vixit an. XLV. m. XI. d. XV. Jacobus fratri opt. F. C. An. ſal. M. D. XXXVIIII.

FRAN-

FRANCISCO PUCCIO.

Quód bonarum artium sibi magister fuisset:
Antonius Seripandus ex testamento f. jussit.

JANO PARRHASIO.

Quód sibi socius in re litteraria fuisset:
Antonius Seripandus testamento f. jussit.

ALIUD.

Virtutum Ausonia, Martis flos, gloria, fulmen:
Hoc Ferrandus olet, colitur, tumuloq; refulget.
Livida quem Lachesis telo demersit acerbo:
Is jam nunc calos, auratáq; sidera calcat.

ALIUD.

Ant. Rota, & Lucretia Brancia: vivi sibi M. H. PP. ut qua vixere concordia, & mortui quoq; unâ quiescerent; néve eorum inquietarentur ossa, caverunt ne quis omnino monumentum sequatur. Bene vivant boni conjuges: bene etiam moriantur. M. CCCC. LXXXVII.

ALIUD.

Ja. Brancatius Arechi F. humi sepulturæ locum delegit: cavitq; ut si quis in sublimi condi maluerit, tanquam exhæres, jure sacelli excidat. M. D. L.

ALIUD.

Ossibus & memoriæ Bernardini Caraffæ, Episcopi & Comitis Theatini, Patriarchæ Alexandrini, positũ: Hieron. Caraffa fratri unanimi, cum lacrymis F. Vixit ann. XXXIII. Morte judicante, satis eum vixisse diu, cui nihil ad ullam vel virtutis, vel prudentiæ, litterarúm ve laudem addi posset ulterius. Contrá graviter conquerente Fortuna, ereptam sibi facultatem ampliss. honoris, quem jam illi deferendum apparaverat. Fato functus est: á S. Christianæ M. D. V.

AD S. DOMINICUM.

Vivit adhuc, quamvis defunctum ostendat imago.
Discat quisq; suum vivere post tumulum.

EPITAPHIA REGUM ARRAGONIAE.

Inclytus Alfonſus, qui regibus ortus Hiberis
Hic regnum Auſoniæ primus adeptus, adeſt.
Obiit M.CCCC.LVIII.

Ferrandus ſenior, qui condidit aurea ſecla,
Hic felix Italûm vivit in ore virûm.
Obiit M.CCCC.XCIII.

Ferrandum mors ſæva diu fugis arma gerentem,
Mox poſitis, quænam gloria? fraude necas.
Obiit M.CCCC.XCVIII.

Hoſpes reginam Joannam ſuſpice natam:
Et cole, quæ meruit poſt ſua fata coli.
Obiit M.D.XVIII.

ALIUD.

Hic Iſabella jacet, centum ſata ſanguine regum,
Qua cum majeſtas Itala priſca jacet.
Et quæ luſtrabat radiis regalibus orbem,
Occidit: inq; alio nunc agit orbe diem.
Obiit M.D.XXIIII.

ALIUD.

Dormis, an vigilas, Antoni? ſector utrumq;.
Oſſa quidem primum; virtutis fama ſecundum.
Sanguine quo cretus? genitor quis? quidq; moraris?
Stirpis Arragoniæ; Ferrandus; judicis horam.

ALIUD.

Auſpice me Latias Alphonſus venit in oras
Rex pius: ut pacem redderet Antoniæ.
Natorum hoc pietas ſtruxit mihi grata ſepulcrum,
Caraffæ dedit hæc munera militiæ.

IBIDEM CHEIRONIPTRI Epigramma.

Ne te multa Ceres maculet, blandúsve Bimater,
Qui petis hinc laticem, præmonuiſſe velim.

JO. FRANCISCO ROTAE

Equiti pulcherrimé interemto: Quód ad Sebethum flumen, pro patria armis sumptis, medios inter hostes viam sibi virtute, moriens aperuisset. Fratris in egregii memoriam pos. publicis elato lacrymis. M. D. XXVII.

ALIUD.

Portia Capicia, viva gaudium, mortua mariti gemitus, heic sita est. Bernardinus Rota, perpetuó mœrens, perpetuó lacrymans. Proh dolor, quám fuit cariss.

ALIUD.

Placito Sangrio Equiti opt. ob fidem in graviss. rebus domi militiæq; probatam Alfonso & Ferdinando Neapolitan. regg. inter primos maximé accepto, Bernardinus F. officii & debitæ pietat. nō immemor P. Obiit M. CCCC. LXXXX.

ALIUD.

Pro pueris (ideo nostrum non pegma quiescit)
E lacrymis pietas sustulit ossa patriū.

PHOENIX.

Ut se reseminet ales.
Hic labor extremus.

Joan. Bapt. ex patricia Ducum fám. non minus apud reges Arragon. amore, gloria, quám fidei præstantia clariss. Antonia Tomacella mutuæ charitatis caussa unicum tot lacrymarum solatium, viro opt. monumētum ex suo P. cavitq; ne præter se quisquam inferatur. ut cui puellula nupserat, & quicum sine jurgio semper vixerat; post fata quoque perpetuó copuletur. Interceptus mortalitate ann. agens LXII. m. IX. dies XIV. V. Kal. Octob. á Virgineo partu M. D. XIX.

ALIUD.

Par vitæ religiosus exitus. Francisco Caraffæ, Equiti Neapol. insigni, Christ. religionis observantiss. qui summa omnium mortalium benevolentia ac veneratione

ætatis an. agens 84. obiit, de senio nunquam questus. Oliverius Caraffa Neap. parenti optimo pos.

ALIUD.

Siste hîc conjux dulciss. ut nos vel humus nequaquam separet, sed una tandem nos tegat urna. Joannellæ Maramaldæ conjugi opt. Cum qua vixit ann. XXI. m. VII. & d. IIX. Nihil de ea nisi mortem doliturus Joan. Antonius Muscettola, indefesso mœrore P.

ALIUD.

Jo. Antonio Muscettolæ patricio Neap. domi forisq; clariss. Carolo v. Cæsari á consiliis interioribus. cujus præter omnium disciplinarum cognomētum, eloquentiam, & in negotiis dexteritatem æquare nemo potuit. Qui ter ad Clementem VII. P.M. magnis de rebus legatione pro Cæs. obita: ne debitos jamq; oblatos virtutibus suis honores adiret, mors importuna obstitit. Moritur an. M. D. XXXII. Camillus frater B.M.F. vixit ann. XLVII.

ALIUD.

D. S. S.

Onustus ævo Janus hic Anisius
Quærens melius iter, reliquit sarcinam:
Qua prægravato nulla concessa est quies.
Tum si qua fulsit; cum Camœnis hæc stetit,
Quæ mox facessivere plus negotii.
H. M. H. N. S.
Hoc de suo sumpsit. Sacrum est. Ne tangito.

ALIUD.

B.D.S.S. Petro & Dionysio Pandolfinis: qui primo ætatis flore Trojæ in Daunis fati acerbitate rapti sunt. Ferdinandus Episcopus Trojanus, solus tantæ fam. superstes; ut cum Pandolfo avo paterno suo, eodem in tumulo conquiescerent, Frater fratribus dulciss. cum mœrore & lacrymis posuit. An. M. D. XXXIV.

ALIUD.

ALIUD.

Loysia de Penna, Raphaëlis F. Santii Vitaliani uxor, multarum fam. avia, proavia. Ne id negotii posteris relinqueret, vivens curavit. Vixit ann. huc usq; LXXX. An. sal. M. D. XXXVI. XXIX. Septemb.

ALIUD.

Petrus de Iccis Hispanus, genere insignis, Equitum signifer. Qui quinq; lustris in bellis Italicis, pro Carolo V. Imperatore strenué & summa cũ fide militavit: & ob suam virtutem Borbonum oppidum in præmii partem accepit. dum quietam vitã vivere putarat; DEI jussu ad cælum, ubi vera captatur quies, ascendit. d. VI. Febr. M. D. XXXV. ætatis suæ annorum XXXIX. mens. III. d. XI.

ALIUD.

Herrico Pandono Borianensium Duci, Venafriq; Dn. & Catharinæ Aquævivæ, conjugibus concordiss. Hippolyta Ferdinandi Regis Arragonei neptis, filio, nuruiq; infeliciss. contra votum superstes infelicior, æterno mœrore posuit. An. á partu Virginis M. D. XXXI.

AD S. ANELLUM.

Cujus corpus hac sub ara conditũ, pié venerantur Neap. Anno DL. XXVI. 18. Kal. Jan. regnante Mauritio Tiberio Aug. & beato Gregorio Romanæ sedis Pont. Max. nec non Fortunato Episcopo Neap. beatus Anellus ad cælestia regna migravit.

IBIDEM.

Quæ miser imposui lugubria saxa sepulcro,
Mi pater innumeris accipe pro meritis.
Quod si marmoream licuisset fundere formam;
Te natus tegeret non alio lapide:
Incisaq; notæ legerentur; Gratus Alexis
Reddidit ossa patri, fitq; patri tumulus.

Andreæ Simonis F. Alexio, Antonius patri piiss. Qui nemini unquam injurius, prodesse semper studuit. Vixit ann. 75. perpetua cum valetudine.

ALIUD.

Julius Feltrius eram. An. Christ. sal. 1528. Martii die quarto & vigesimo: Fabulam clusi meam.

ALIUD.

Camillus Toccus Neap. ex nobili Toccorum fam. vivens mortis memor, suos poster. q. suorum cineres diem Domini heic expectare curavit. An. sal. M. D. LIII.

ALIUD.

Clementi Gattulæ Physico insigni, ac protomedico, cunctis regg. Arragoneis, Alexandro VI. Pontif. Max. Galeatioq; Duci Mediolani ob amorem singularisq; doctrinæ elegantiam acceptiss. Anellus frater & hæres. Vixit 70. ann. sine uxoris molestia.

ALIUD.

Nicol. Franciscus Cecinus Parthenopæus J. C. quám sit labilis vita memor: ne in mortuum etiam vis fati sæviret: vivens heic suos cineres, quoad surrexerit, deponi curavit: cúm inconsulti sit, superstiti sepulturæ curam reponere.

ALIUD.

Fides, probitas, pudor, hiis cineribus perpetuó comites, communem heic æternitatem exspectant. Bartholemæo Paccio, Nicolao Medici, & Beatrici ejus F. civibus Neapol. ex vetustiss. Florentiæ familiis: Nicol. Anellus Paccius, Art. & Med. Doctor, patri, avo, & matri ob debitam pietatem, sibi ac posteris P. An. á DEO homine M. D. LX.

ALIUD.

Nicolao Gondino Florentino, eximiæ virtutis & probitatis juveni, cujus immaturam mortem nemo bonus non doluit: Julianus octogenarius pater, opt. F. lacrymans P. Obiit Ann. sal. 1499. Septemb. 13. Vixit ann. 25. m. 7. d. 25.

ALIUD.

Bartholemæus Solarius: duplicem sortitus patriam, alteram

teram naturæ Genuam: alteram juris Neapolim: mortalitatis memor, hoc sibi ac suis vivens monim. exstruxit. An. sal. 1553.

ALIUD.

Siste hospes: quám incertæ hominum sedes? Florentia ortum dedit: Parthenopé exstinctum fovet. Mercaturam exercui. Hei mihi, non opes, non pietas fatum placavere. Constantia amantissima conjuge, & Ferdinando nato unico impub. superstitibus. Obiit an. sal. 1490. Francisco Naccio Florent. mercatori Ferdinandus F. patri pientiss. Vix. an. 52. m. 4. d. 6.

ALIUD.

Nil meum. quod debui reddidi. D. O. M. sacrum. Colutius Coppula patricius Neap. Juris Civilis ac Pontificii in juventa donatus insignibus: cujus patrocinium omnis sexus, omnis ordo in causis optavit: Hoc sibi suisq; posteris vivus sepulcri memor P. An. sal. 1521.

UT VIVAS VIGILA: HIC EXITUS OMNES.
LONGARUM HAEC META VIARUM.

Vito Pisanello, ex antiqua orto familia: utpote cui Pisæ in Achaja, unde ea est, cognomen indidere. Federici regis, á secretis intimo: atque á latere Consiliario: & miserrimis temporibus laborum, itinerum, periculorumq; socio. Dein Ferdinando regi Catholico, ob raram adversis in rebus fidem, Gallis regnum invadentibus, acceptiss. Qui post receptam Neapolim, an. agens 73. in ejus gremio mortalitatem explevit. Andr. Franciscus, & Mutius Neapp. avo opt. ac bené merenti testimonium amoris & pietatis exsolverunt. Funeratus Idib. Dec. 1528.

ALIUD.

Jac. Roscio Pistorienſi, Palatinis honoribus, & equestri dignitate functo, secundaq; fortuna semper uso: Jo. Roscius patri sanctiss. & Lucretia Gambacurta socero indulgentiss. P. P. & sibi posterisq; suis.

ALIUD.

D.O.M.S. Galeatius Bricii F. Justinianus, præf. clariss. Baptistæ fratri pientiss. ac b.m. sibiq; vivens P. ut ita mortis simul soporem dormiant: sicut vitæ concorditer excubias vigilarunt. Et ne viator aberres; se duplici jactant patria. Dulcis Genua genuit, pulcra Parthenope tenet. Carolo v. Imp. H.M.H.N.S.

ALIUD.

Bernardina Fransa, mihi, & meis feci. Certa domus: secura quies: nil quærimus ultra. 1556.

ALIUD.

Isotta Bautia, Pyrrho Bautio Altimuri Principe, atque Maria Ursina, parentibus inclitis genita: Petri Gevaræ, magni regni hujus Seneschalci uxor, prisca matronarum virtute ornatiss. mortale sui dimidium Sacello in hoc avito deponendum vivens cur. Cælestem ad patriam spe summa & fide dutibus migratura. Quid non ævi longinqua vetustas, fortuna obsequente, mutat? Principatus ad alienos sors transtulit: Domina titulos servavit inanes: at fœmina Princeps, licet tot claris orbata & titulis & fortunis; bona tamen animi sanctissima secum retinuit. Vix. ann. 70. Anno Theogoniæ 1530.

IN HORTIS PALATIO PRO-
regis proximis.

Bernardinus Rota Musis hortos dedic. Ratus eas hilari hujusce cæli positione allicere; atque ita fortassis amicas fore. 1555.

IN HORTIS ANTIQUI PALATII.

Alfonsus Ferd. regis F. Arragonius, Dux Calabriæ, Genio domum hanc, cum fonte & balneo, dicavit: hippodromum constituit: gestationes hortis adjecit: quas myrtis citriorumq; nemoribus exornatas, Saluti Sospitæ, atq; voluptati perpet. consecr.

LAPIDIS CESSIONIS BONO-
rum inscriptio.

Don. Petrus de Toleto, Marchio Villæ Franchæ, Cæs. & Cath

Cath. M. in præsenti regno Vicerex, Locum-tenens, generalis Capitaneus, Princeps justiss. Excellenti milite, V. I. D. Ferdinando Figueroſa, Patritio Hiſpano Regente, magnam curiam Vicariæ curante, ad illorū morem abolendum, qui clam, nemine ſpectante, bonis cedebant, hunc locum erigendum mandavit: ut qui eo posthac beneficio uti volent, sæpius heîc iterato ſpectaculo, id commodum magno cum opprobrio compenſent. Anno Domini 1553.

MULIER MARMOREA.

Quid me miraris duro de marmore factam?
Reſpice te potius, vermibus eſca manes.

ALIBI.

Martia Capece pudoris ac venuſtatis rariſſ. decus, hîc requieſcit. Quæ ſcalarum lapſu, heu, capite defeſſo, luctantem diu animam tandem exſpiravit. Quis lacrymas, quis ejulatus comprimat? legens puellam formoſiſſ. tam diré, tam infauſté mortē obiiſſe. Vincentius Capece maritus, qui cúm nondum annum exegit, ſaxum hoc doloris teſtimonium poſ. Vixit an. XIX. m. III. d. X. M. D. XLVI.

PETRO BRANCATIO FUSI F.

Hic bello Ferrarienſi, ſuſcepta adverſum Venetos expeditione, Alfonſum, Ducem Calabriæ, cujus contubernalis erat, ſecutus, agro Brixienſi toto fermé capto; dum arx Montis clari oppugnatur; colubrina ictus interiit. Corpus Neapolim fratris operâ relatum, & hîc ſitum eſt. Marinus Brançatius, qui eo in bello cum primis præfuit, fratri obtemperantiſſimo ſuaq; familia & patria dignis moribus prædito, ac bené merenti, faciundum cur. An. M. CCCC. LXXXII.

ALIUD.

Petrus Summontius bon. litterarum cultor obſervantiſſ. qui vix. ann. 63. m. 4. d. 4. h. 3. ſibi & Reinaldo patri dulciſſ. poſterisq; ſuis omnibus, de ſuo ponendum cur.

AD S. PAULI MAJORIS.

Piiſſ. ac venerabili Dn. noſtræ Helenæ Auguſtæ, matri

Dn. noſtri victoris ſemper Aug. Conſtantini, & aviæ Dnn. noſtror. beatiſſ. Cæſ. ordo, & pop. Neapolitanus.

ALIUD.

Nate patris matriſq; amor, & ſuprema voluptas,
En tibi, qua nobis te dare ſors vetuit,
Buſta damus, triſtesq; notas, hinc invida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

Andreæ F. dulciſſ. qui vixit ann. 6. m. 2. d. 20. Robertus Bonifacius, & Lucretia Cicara parentes: ob raram indolem.

ALIUD.

Liquiſti gemitum miſeræ lacrymasq; parenti,
Pro quibus infelix hunc tibi dat tumulum.

Jo. Baptiſtæ Cicaro: in quo vetuſta & nobilis Cicarorum familia eſſe deſiit: Marcella mater infeliciſſima memoriæ cauſa, contra votum pietatis P. Vixit ann. 22. m. 9. d. 29. Deceſſit ſal. an. 1504. pr. Cal. Decembris.

D. O. M.

Scipionis Antonii F. ſummo Imp. Caroli v. á latere Conſiliario, in adminiſtranda juſtitia, in regendis provinciis, in rebus bellicis expediundis integritate, prudentia, fideq; claro B. ann.* m. 3. Θ. á partu Virg. 1552. 17. Kl. Novemb. Hippolyta Monfortia marito optimo.

ALIUD.

Jo. Baptiſta Solanus Valentinus, vir tam Mathematicis, quám Philoſophia apprimé eruditus, dum ophthalmiam ex aſſiduis ſtudiis contractam curare ſtudet; remedium quærens in mortem incurrit. an. ætat. ſuæ xxx. Obiit an. Domini 45. v. Kl. April. h. 3. M. H. M. F. C.

Alvarus Quadra Epiſcopus Venuſinus.

ALIUD.

Ætas, forma, genus, nos hèic cum corpore liquit
In terris, & opes, corporis exuvias.

Aſſ

Aſt animam, comites quæ ſemper in orbe fuere,
Lucida virtutum duxit ad aſtra chorus.
Tres nati conjux ex me tibi care ſuperſunt,
Immatura duos mors tulit: ipſa ſequor.

ALIUD.

Franciſco cognomento de Colle, Equiti auguſtali, Hieronymus pater, regens Cancellariam, & circa latus regius Conſil. dolens contra votum P. regnante invictiſſ. Car. v. Rom. Imp. ſemper Aug. An. ſal. 1537. Fui ut es; eris ut ſum.

ALIUD.

Ecce ſuperbientis naturæ, qualis ſit mox futurus caſus. Quisquis me nunc calcas vivus; cogita, ſi ſapis, idem te mox futurum.

PONTIS MAGDALENAE
ſupra Sebethum.

Sive hoſpes, ſive inquilinus viator es, bene adſis. quem vides pontem collata provincialium populor. pecunia, publicæ commoditati reſtituit, Bernardino Mendotio, Principe optimo, auſpice: dum regno Philippi Auſtrii, regis noſtri inclyti, nomine, ſumma omnium benevolentia præfuit. Transi felix, & utere. 1555.

IN HORTO SECRETO PRO-
regis in columna.

Petrus Toletus Hiſpanus, Marchio Villæ Franchæ, Neapoli Prorex, novam cum hippodromo porticum novæ arci primis regendi auſpiciis addendam curavit, Caroli v. Imp. & futuror. regum proregumq; commoditati: urbis decori: documento demum magni animi, & in nitidiorem formam ſplendoremq; ſuum cuncta reditura pollicentis. Ann. 1533.

PORTAE PALATII MARCH.
de Vico.

Nicol. Antonius Caracciolus Vici Marchio, & Cæſaris á latere Conſiliarius, has Genio ædeis, Gratiis hortos,

Nymphis fontes, nemora Faunis, & totius loci venustatem Sebetho & Sirenibus dedicavit, ad vitæ oblectamentum atq; secessum, & perpetuam amicorum jucunditatem. An. 1543.

IN CASTELLO EREMIANO.

Ecce triumphator vincens verbo omnia Christus,
Sic agit hostiles ad tristia tartara turbas.

IN MAXIMO TORMENTO MURALI, QUOD *olim Ducis Saxoniæ fuit, & jam Neapoli in eodem Castello Eremiano conspicitur, hæc Germanica legitur inscriptio:*

All andre Herschaft ist von Gott/
Zu hülf dem menschen in der not/
Ohn Satan vnd sein Bäpstlich rot/
Sind herrn zu stiften sünd vnd tod.
Der Bapst heißt recht der wilde Man/
Der durch sein falsches schalckes ban
All vnglück hat gerichtet an/
Das Gott vnd mensch nicht leiden kan.

PALATII CUJUSDAM SUBURBANI.

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.

IN AEDIBUS ADRIANI SPEDAFARRAE.

Æternæ memoriæ facti. Glaphyra Cl. Lusci F. adfecta adeó cineribus Cl. Fausti mariti heu rariss. ut ad alium transire nunquam voluerim: etsi fortuna præpotens, constantiæ semper inimica, surdo discrimine pudicitiæ placidam ruinam minabatur; & viridis ætas fidem conjugii violare impellebat: inter utrasq; tamen fluctuans mulier mensibus 7. d. 3. non tam corpus cælebs, quám animum pudicum servavi. Et ne á tantorum domestica hostium pugna continuó augescente vincerer, procorum petulantem turbam fugiens, vivam me condidi monumento. At posteri, si invidetis, imitamini: si quis veró probaverit; probetur. Sin improbaverit; improbum se esse sciverit. Vale mors. Salve vita perpet. Vixi ann. XVI.

ARCIS.

ARCIS.

Imp. Car. v. invictiſſ. Cæſar. Aug. juſſu, Petrus Toletanus Villæ Francę Marchio, regni Neap. Prorex juſtiſſ. cujus auſpiciis placida pace quieſcitur, Pyrrhi Aloyſii ſcribæ cura, arcem hanc á fundamentis inchoatam, Jo. Jacobi Achaii ſolertia & arbitrio perficiendam mandavit. 1542.

ALIUD.

Fabium & Decium F. F. opt. ſummæque ſpei adoleſcenteis en infelix ſepelio Aſcanius Sanctinus pater: quibus utinam commori potuiſſem: quando præmori non potui. Heu mihi: Non ſemel hæc miſero, ob filiorum præcox ingenium, animus præſagivit mala.

ALIUD.

O beatam conjugem, cui caros liberos in cælis viſere, in terris amplecti licet! Jam quod optaſti habes. Æternúm fruere. Beatrici Cavaleriæ conjugi rariſſ. Aſcanius Sanctinus perpetuó mœrens P.

IN BIBLIOTHECA MONTIS OLIVETI.

Piis ad DEI cultum ſtudiis, ne vel hora fruſtra teratur.

IN EPISCOPIO.

Alfonſo Caraffæ S. R. E. Card. Archiep. Neapolitano, adoleſcenti non minus ſua virtute, quám ſplendore majorum claro: patrui Pauli IV. P. M. religionem & integritatem referenti, ea ſapientia prædito, ut in ſecundis rebus ſummam ejus temperantiam, miram in adverſis conſtantiam omnes laudaverint. PIUS V. P. M. P. B. an. 25. d. XV. Θ. An. ſal. 1565. 4. Kl. Sept.

Blaſius Marſicanus virtutem in infirmitate perficiens; vitam lubens cum morte commutavit: corpus heîc quieſcere tandem voluit: donec illud incorruptibile, & non amplius infirmum induerit.

JOANNIS ALEFELDII EQUITIS CIMBRI
anno 1581. exstincti.

Defunctus loquitur.

Est hujus vitæ cursus labyrinthus, in ipsum
Ex utero intravi, morte vorante, abii.
Erravi hic, quantum DEUS *& mea fata volebant,*
Lustraq; transmissi quinq;, diesq; decem.
Nobilibus tribui studiis hæc tempora vitæ,
Ut sic nobilior nobilis ipse forem.
Nunc jaceo, patriæ longé tumulatus ab oris,
Judicis exspectans acta suprema DEI,
Cimbrica me genuit tellus arctoa, sub austro
Parthenope rapuit, Parthenopeq; tenet.
Fratri cariss. Baltazar de Alefelt C. L. P.

VENETIAE.

IN VENETIAS J. CÆS. SCALIGER.

PErvia barbaricis tellus OEnotria turmis
Pertulit imposiți pondera dira jugi.
Ipsa suos flevit populares Roma Quirites:
Sensit & indomitæ noxia tela manus.
Haud tulit hoc Genius: cujus fatalibus ausis
Tutior in medio Roma renata mari est.
Clara virûm virtus animo: insatiata cupido
Imperii: vastæ non numerantur opes.
Juppiter, haud temere tua sunt ita dissita cælo
Mœnia. si possunt tangere, parte cares.

IN EASDEM SANNAZARIUS.

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in oris
Stare urbem, & toto ponere jura mari:
Non mihi Tarpejas, quantumvis Juppiter, arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.

Sipp

Si pelago Tybrin præfers; urbem aspice utramq;.
Illam homines, dices, hanc posuisse deos.

INSCRIPTIONES VENETÆ.

AD MONIMENTUM SEPULCHRI SERVATORIS, quod simile perhibent Hierosolymitano.

Hoc mirum spectetur opus compagibus auctum,
Rupibus artifici saxa revulsa manu.
Gens Mausoleum fileat vesana sepulcrum,
Quod fuit & Domini Martia Roma tui.
Illa duo congesta viris monumenta fuere;
Hoc Christo tanta mole paratur opus.
Quanto homini superûm præstat rex summus & auctor,
Tanto hoc est aliis clarius & melius.

IN CRYPTA EJUSDEM.

Qui jacet hic? rerum Dominus. cur mersus acerbo
Funere? quó lectis gentibus astra daret.

ARMAMENTARII VENETI.

Felix civitas, quæ tempore pacis de bello cogitas.

IN VESTIBULO TEMPLI D. MARCI, VITALIS Falerii Ducis Veneti XXXI. Epitaphium.

Moribus insignis, titulis celeberrime dignis
Cultor honestatis, dux omnimoda probitatis,
In commune bonus, bona semper ad omnia pronus,
Publica conservans, meliora bonis coacervans,
Dum veterum gesta renovans, plus reddis honesta,
Cunctaq; jucundé faciens das semper abundé,
Ut fieret plenus quicunq; veniret egenus,
Plus quoq; longinquos refovens, quám carne propinquos,
Vita fuit cujus patria tremor hostibus hujus,
Reddens tranquillos, hos linguâ, viribus illos,
Cujus erat scire populos pro pace subire,
In quocunq; fores expendia sive labores
Decretis legum muniens : : : : : regum,
Ut fieres horum Rex, & corrector eorum,
Fama super cedros cujus dedit ire Faledros,
Christi natalis peragis dum festa Vitalis,
Duceris ad funus, factus dolor omnibus unus.

IN DIVI MARCI AEDIS VESTIBULO BARthol. Gradonici Ducis LII.

Moribus insignis, recti basis, indole clarus,
Clarior & meritis, patrii servator honoris,
Clauditur hoc tumulo, Gradenigus Bartholomæus.
Dux fuit is Venetûm, quarto defunctus in anno.

IN VESTIBULO DIVI GEORGII.

Terror Græcorum jacet hic, & laus Venetorum,
Dominicus Michaël, quem tenet Hemanuel.
Dux probus & fortis, quem totus adhuc colit orbis,
Prudens consilio, summus & ingenio.
Istius acta viri declarat captio Tyri,
Interitus Syriæ mœror & Hungariæ.
Qui fecit Venetos in pace manere quietos.
Donec enim vivit, patria tuta fuit.
Quisquis ad hoc pulcrum venies spectare sepulcrum.
Cernuus ante Deum flectere propter eum.

Anno Domini M. C. XXVIII. Indictione VII. obiit Dominicus Michaël Dux Venetiæ.

Ibidem

SEBASTIANI ZIANI DUCIS VENETI XXXVIII.

Hic dux egregius, sapiens, dives, cinerescit,
Vivit cum Christo, mundo sua fama nitescit,
Sebastianus vocitatus in orbe Zianus,
Cúm Papa, Princeps, Clerus, plebs hunc recolebant.
Justus, purus, castus, mitis, cuiq; placebat,
Consilio pollens, bona plantans, & mala tollens,
Robur amicorum, patria lux, spes miserorum,
Et flos cunctorum, Dux ejectus Venetorum,
Binos conjunxit gladios, & more refulsit,
Eloquium, sensus, bonitas, clementia census
Isti parebant, nulla virtute carebat.

Obiit anno Domini M. C. LXXVIII. mense Aprili.

IN

IN GEMELLORUM ÆDE.

LAURENTII TEPULI DUCIS XLV.

Quos natura pares ſtudiis, virtutibus, arte,
Edidit illuſtres, genitor natuſq; ſepulti
Hac ſub rupe Duces Venetûm, clariſſima proles
Teupula, collatis dedit hos celebranda triumphis.
Omnia præſentis donavit prædia templi.
Dux Jacobus valido fixit moderamine leges
Orbis, & ingratum redimens certamine Iadram,
Dalmatioſq; dedit patriæ póſt Marte ſubactos.
Grajorum pelago maculavit ſanguine claſſes,
Suſcipit oblatos Princeps Laurentius Iſtros,
Et domuit rigidos ingenti ſtrage cadentes
Bononiæ populos, huic ſubdita Servia ceſſit.
Fundavere vias pacis, fortiq; relicta
Re, ſuperos ſacris petierunt mentibus ambo.

Dominus Jacobus obiit M. CC. LI.
D. Laurentius obiit M. C C. LXXVIII.

Ibidem.

JO. DANDULI DUCIS XLVII.

Dandalei generis magna virtute Joannem
Hæc brevis illuſtrem continet urna Ducem:
Claruit in magnis ejus ſapientia rebus,
Quem monſtraverunt ardua facta probum.
Conſilio pollens, ſenſu maturus, acutus,
Ingenio prudens, eloquioq; potens.
Præ cunctis patriam ſummo dilexit amore,
Illius ad regimen providus atq; vigil.
Anni dum Chriſti currebant mille ducenti,
Octoginta novem, ſpiritus aſtra petit,
Qui defunctorum fruitur ſuffragio luce
Decedens mundo conſociatur eis.

Ibidem

MICHAELIS MAUROCENI DUCIS LX.

Inclyta vitalis Michaël, quem duxit in auras
Maurocena domus Venetûm Dux, civibus ingens
Spes erat, alta parans, intercipit ardua fatum

Cœpta Ducis, virtute potens, fuit enſis acutus
Juſtitiæ, heu moriens patriæ per ſecula luctus,
Qua cinis eſt jacet hic, mens gaudet, fama coruſcat.

M. CCC. LXXXII. die XVI. Octob. fuit ſepultus, ducavit menſ. IV. d. V.

Ibidem

ANTONII VENERII DUCIS LXI.

Quisquis ad inſignem tumulum tua lumina flectis,
Ingentem, cujus cineres hæc marmora ſervant,
Contemplare Ducem, Princeps hic ille per omnem
Venerius fama volitans Antonius orbem,
Qui tribus hanc urbem luſtris, totidemq; per annos
Rexerat, æternis muniens ea tempora factis.
Traviſina ſuæ caſtella & mœnia matri
Reddita, Dyrrhachium Corcyraq; & oppida forti
Plurima parta manu, pœnas ſibi ſumpſit ab illo
Quem genuit, nomen metuit dum perdere juſti.
Ipſius ut clarum micuit clementia ſydus,
Reddidit Ungaricæ Reginæ ſceptra ſuorum
Rapta dolis, ne triſte jugum Furlane ſubires,
Obſtitit: Italicam pacavit multa per oram
Turbida: póſt terris abiens ſeſe intulit aſtris,
Mille quadringentis Chriſti cedentibus annis,
Inſtitit atra dies vigeſima trina Novembris.

Ibidem

PASCALIS MARIPETRI DUC. LXV.

Paſchalis Maripetrus P. maximis Reip. Senatoribus bonitate & eloquentia ſemper par, religionis ac rerum uſu nulli ſecundus, & cúm iis laudibus in civitate excelleret, in locum Franciſci Foſcari, adhuc viventis, á patribus ſuffectus, quod antea domi debilitatum erat, ſua authoritate in priſtinum ſtatum divinitus reſtituit. Vixit in Princip. annos IIII. menſes VI. dies VI. Obiit M. CD. LXI.

Ibidem

PETRI MOCENICI DUCIS LXIX.

Ex hoſtium manubiis.

Petro Mocenigo, Leonhardi F. omnibus non minús optimi

optimi quám eloquentissimi Senatoris muneribus domi forisq; functo, maris Imperatori: qui Asiâ á faucibus Hellesponti usq; in Syriam ferro igniq; vastatâ, Caramannis regibus, Venetorum sociis, ab Othomanno oppressis, regno restituto, piratis undiq; sublatis, Cypro á conjuratis non minori celeritate quám prudentia recepta, Scodra ductu & auspiciis suis obsidione liberata; cúm Rempub. feliciter gessisset; absens D. Marci procurator, inde Dux, grato patrum consensu, creatus est. Joannes tertius ab hoc Dux, & Nicolaus Mocenigi fratres pientissimi B.M.D.

Vixit annos LXX. mens. I. dies XX. Obiit non sine summo populi gemitu, Ducatus sui anno primo, mense secundo, die decimaquinta. Anno salutis M. CCCC. LXXVI.

Ibidem

JOAN. MOCENICI DUCIS LXXI.

Dux Joannes Mocenigus, Thomæ patrui, & Petri fratris Ducum secutus vestigia, bellum Ferrariense invitus gessit, & Rodigii peninsulam adjecit Imperio, pacem coluit, Remp. Venetam administravit justitia, probitate & prudentia, Dux opt. & amantiss. Reip. habitus est.

L. F. P.

Obiit Anno M. CD. LXXXV. Vixit annos LXXVI. Dux annos VII. menses VI.

Ibidem

THOMAE MOCENICI DUCIS LXIII.

Hæc brevis illustri Moceniga ab origine ⌣ Thomam
Magnanimum tenet urna Ducem, gravis iste, modestus,
Justitiæ princeps q; fuit ⌣, decus ipse Senatus
Æternos Venetûm titulos super astra locavit ⌣.
Hic Teucrûm tumidam delevit in æquore ⌣ classem,
Oppida Tarvisi, Cenetæ, Feltriq; redemit ⌣,
Ungaricam domuit rabiem, patriamq; subegit ⌣,
Inde Forijulli, Catarum, Spalatumq; Tragunam,
Æquora piratis patefecit clausa peremptis,
Digna polum subiit patriis mens fessa triumphis.

IBIDEM.

Nicolao Ursino, Nolæ Petilianiq; Principi longé clarissimo, Senensium, Florentini populi, Sixti, Innocentii, Alexandri Pontif. Max. Ferdinandi Alphonsique junioris Reg. Neapolit. Imperat. felicissimo, Venetæ demum Reipublicæ per XV. annos magnis clarissimisq; rebus gestis, novissimé á gravissima omnium obsidione Patavio conservato, virtutis ac fidei singularis, Senatus V. M. H. P. P. Obiit ætatis LXVIII. M. D. IX.

IN EODEM FANO.

Imperator, Ductor, eques, milesque: Dionysii Naldi conduntur hîc ossa. Hîc juniorem Ferdinandum, regno á Gallis pulsum, restituit: Florent. rempub. peditatui præf. pec. ornavit. Venetis dignitatem Imperii sustinuit, fide ac fortitudine incomparabili, inter alios Duces peditum præfectus, Patavium servavit. Moriens ex nimis vigiliis, hoc virtutis suæ perpetuum monumentum, clarissimo Lauredano Principe, ex amplissimi Senatus authoritate meruit. Obiit æt. anno XLV. Anno M. D. X.

IBIDEM.

Leonhardum Pratum, militem fortissimum, & ex provocatione semper victorem, præfectum Ferdinandi junioris & Federici Regum Neapolitanorum, ob virtutem terrestribus navalibusque præliis felicissimum, magnis clarissimisque rebus pro Veneta Repub. gestis, pugnantem ab hoste cæsum, Leonhardus Lauredanus Princeps, & amplissimus ordo Senatorius, prudentiæ & fortitudinis ergó statua hac equestri donandum censuit.

IN MONASTERIO FRATRUM
B. Francisci.

FRANCISCI DANDULI DUCIS LI.

Laudibus innumeris meritisq; parentibus iste
Franciscus virtute nitens clarissima proles,
Dandula quem genuit, patriæ venerabilis hujus
Dux fuit illustris, qui libertatis amator

Edomuit

Edomuit fastus tumidos, & vincla resolvit,
Marchia, quæ dudum nimiúm quoq; pressa jacebat,
Tervisina quidem vicinaq; castra salinis
Attentata ruit, clarus dum rexit habenas,
Quaq; decus terraq; mari successibus auxit.
Hic Venetúm patriam hosti magis esse timendam
Fecit: at undeno solii præsignis in anno
Decessit felix, domini tunc mille trecentos
Ter denosq; novem Phœbus devolverat annos,
Luxq; Novembris erat cunctis celeberrima Divis.

Ibidem

MICHAELIS STENI DUCIS LXII.

Hic jacet armipotens Paulus de stirpe Sabellus,
Incolumi quo Roma parens gauderet alumno,
Hæc sibi ad extremum statuebat semina prisca
Perdita virtutis, non hic Scipionibus impar,
Non Fabiis virtute fuit belloq; domiq;.
Magnus erat vir Marte ferox, prudensq; togatis
Consiliis: hic Appulia victricia campis
Agmina direxit Caroli sub nomine regis.
Et cúm Dux Ligurum Galeatz, justissimus heros,
Crescit in Italia, multa cum laude sub illo
Hic tulit arma, acies stravit, terrasq; subegit.
Postquam cúm Veneti virtus animosa Senatus
Carrigeram delere domum cupit; obsidet urbem
Euganeam belli ductor, castrisq; locatis
Ad Bassanellum, cúm jam propé victor haberet
In manibus Patavum, melioris adaucta triumphi
Gaudia, peste suum est corpus rapiente vocatus,
Phœbus adorato Christi dum volvit ab ortu
Lustra ducenta unum & centum quater aureus annos.
Tertiaq; Octobris lux infaustissima fulget.

Ibidem

FRANC. FOSCARI DUC. LXIV.

Accipite cives Francisci Foscari vestri Ducis imaginem: Ingenio, memoria, eloquentia, adhæc justitia, fortitudine animi, si nihil amplius, certé summorum princi-

pum gloriam æmulari cõtendi: Pietati erga patriam meæ satisfeci nunquam: Maxima bella pro vestra salute & dignitate, terra mariq́ue, per annos plus quám triginta gessi; summa felicitate cõfeci: labantem suffulsi Italiæ libertatem: turbatores quietis compescui: Brixiam, Bergomũ, Ravennã, Cremonam, imperio adjunxi vestro: omnibus ornamentis patriam auxi: pace vobis parta, Italia in tranquillum fœdere redacta, post tot labores exhaustos, ætatis anno 84, Ducatus quarto supra tricesimum, salutisq́; M. CCCC. LVII. Kal. Novemb. ad æternam requiem commigravi. Vos justitiam & concordiam, quó sempiternum hoc sit imperium, conservate.

Ibidem:

NICOL. THRONI DUCIS LXVII.

Nicolaus Thronus, optimus civis, optimus Senator, optimus Aristocratiæ Princeps fuit. Quo felicissimo Duce florentissima Venetorum Resp. Cyprum Imperio ascivit, cum Rege Parthorum contra Turchum socia arma conjunxit, fraudatam pecuniã viva illius effigie resignavit. cujus innocentissimis manibus hanc meritam divini operis molem Philippus filius perenni æternitate posuit.

Ibidem:

M. ANTONII TRIVISANI DUCIS LXXIX.

Ossa Marci Antonii Trivisani Principis. Vixit annos LXXIX. in principatu I. M. D. LIV.

D. O. M.

Marcus Antonius Trivisanus P. integer vitæ, & paterna virtute ac gloria semper clarus, omnibus honoribus egregié perfunctus, á patribus, invito ipsius genio, Princeps cooptatus, cúm annum Remp. sanctè gubernasset, religionis amantissimus, dum sacris in imaginum aula interesset; nulla ægritudine flexis genibus, in gremio patrum moriens migravit in cælum beatissimus. M. D. LVI. Octobris.

IN BOMBARDA TRIUM FISTULARUM.

Cerberus evomitat triplici de gutture flammas,
Sulfura, sal, nitrum, fulmina, bella, globos.

AD MICHAELIS.

Lector parum subsiste: rem miram leges.
Hîc Eusebii Hispani monachi corpus situm est,
Vir undecunq; qui fuit doctissimus:
Nostraq; vitæ exemplar admirabile.
Morbo laborans sedecim totas dies,
Edens bibens nil prorsus, & usq; suos monens,
Deum adiit. hoc scires volebam. abi & vale.

Anno Domini M. D. I. X. Februar. ætatis suæ LI. sacræ militiæ XVII.

A. COCCII SABELLICI TUMULUS.

Quem non res hominum, non omnis ceperat ætas,
Scribentem capit hæc Coccion urna brevis.

JOSAPHATO

Scientiæ bonorum amico, vitiorum hosti acerrimo. quî eloquentiam veré Romanam bonasque artes Venetam juventutem per multos annos docuit; ac tandem pietate ac innocentia clarus, annum agens quintum & octogesimum, ex nullo nisi senectutis & oculorum imbecillitatis morbo infirmus, placidé cum familiaribus loquens, naturæ concessit: filii innocentissimi posuere.

AD ARAM PIETATIS.

Si quis Missam ad hoc altare fieri curabit, plenariam peccatorum remissionem consequetur. Si veró pro defuncti alicujus anima ad idem altare legatur missa; statim in ipso actu & celebratione missæ anima defuncti ex purgatorio in cælum ascendet & salvabitur.

Nihil certius.

PIERIO VALERIANO BOLZANIO

Bellunensi; ejus si negotia diu apud summos Pontifices curata noris; nihil eum unquam legere, nedum scribere potuisse dicas: sin quæ multa, tam docta scripserit, inspi-

cias; nulli hominum otia quietiora contigisse judices. Joannes Cornelius Fantini patricii Veneti F. & fratres locum amico suo intimo unanimes concess.

SEBASTIANI FOSCARINI.

Accipite Veneti cives, quod est optimum in rebus humanis, humanas res contemnere. Vixi Reipub. quamdiu potui: mihi certé parum: & hîc uno ictu extincto.

ANTE PALATIUM DUCIS.

Henricus III. Galliæ Rex, & I. Poloniæ Christianiss. accepto de immatura Caroli IX. Galliæ Regis fratris conjunctissimi morte tristi nuncio; é Polonia in patriam, ad ineundum regnum hæreditarium properans, Venetias anno salutis M. D. LXXIII. XIIII. Calend. August. accessit: atq; ab Aloysio Mocenigo Ser^mo. Venetorum Principe, & omnibus hujusce Reipub. ordinibus, non modó propter veteris amicitiæ necessitudinem; verúm etiam ob singularem de ipsius eximia virtute atq; animi magnitudine opinionem, magnificentiss. post hominum memoriam apparatu, atq; alacri Italiæ propé universæ, summorumque Principum præsertim concursu, exceptus est. Ad cujus rei memoriam sempiternam, Senatus hoc monumentum fieri curavit, Arnoldo Ferrerio secretioris ejus consilii participe: Regio apud Rempub. Legato id etiam postulante.

AD CISTERNAM.

Parcior é cælo quum quis descenderit imber,
Hic erit ingenti quod levet ora siti:
Nec tantúm hoc hominum potuit solertia; verúm
In medio dulces æquore servat aquas.

IN PALATIO CONSILII MAGNI.

Omnibus qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum est, esse in cælo definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur. quod quidem in terris fiat acceptius, quám concilia cœtusq; hominum jure sociati, qui civitates appellantur, hac etiam in Rectores & conservatores cælo profecti illuc revertantur. Aversamini igitur vitia, colite virtutes; ad rectas opes animum sublevate; humi-

humiles preces in excelso porrigite. Magna vobis est, si dissimulare non velitis, necessitas inclytæ probitatis, cúm ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis.

AD TRIBUNAL TRIUMVIRORUM *rei aquariæ.*

Venetorum urbs, divina disponente providentia, in aquis fundata, aquarum ambitu circumsepta, aquis pro muro munitur. Quisquis ergo quomodocunque detrimentum aquis publicis inferre ausus fuerit; & patriæ hostis judicetur; nec minore plectatur pœna, quám qui sanctos muros patriæ violasset. Hujus edicti jus ratum perpetuumque esto.

IN SEBASTIANI.

Nicolaus Crassus forum primúm, navigationem deinde secutus, ab adversa fortuna fortunis omnibus spoliatus, ad forum iterum reversus, hunc postremó locum laborum omnium & miseriarum quietem sibi & post. P. M. D. LXIII.

ALIUD.

Si invenire quenquam est ad unguem factum hominem, unus is fuit Antonius Colb. Norembergensis, addictus nulli, quicquid toto orbe funditur, uno penè in cubiculo coëgit, nihilque non egit, dum tandem egit animam. anno ætatis LXXI. m. VII. d. II. Salutis verò M. D. XLI. IIII. Novemb.

IN AEDIBUS PHILOLOGIANIS.

Θῶμας Φιλόλογος ὁ Ῥαυεννάτης, ὁ τὰ τῆς οἰκουμένης γυμνάσια Βονωνίας, ῥώμης, πατρίδι σοφίᾳ λαμπρύναι, ἀνήγειρεν. ἔτει ἀπὸ κλίσεως κόσμου ΖΞΒ.

Thomas Philologus Ravennas Physicus, ære honestis laboribus parto, ædes primúm Paduæ virtuti; post has Senatus permissu pietati erigi fecit: illas animi, has etiam corporis monumenta.

Anno mundi VI M. DCC. LIIII.
Jesu Christi M. D. LIIII.
Urbis M. C. XXXIV.

IN DIVI MARCI.

Lancini Curtii.

En virtutem mortis insciam,
Vivet Lancinus Curtius
Secula per omnia.
Tantum possunt Camœnæ.

ARCUUM TRIUMPH. TITULI, QUIB. *excipiebatur Henr. III. Franciæ & Poloniæ Rex, á Senatu Veneto.*

TERVIGII.

Magnis auspiciis	Fort loing encores.
Meliori fortuna	Trop peu.
Bono eventu	Vn peu plus près.

Nec rerum metas, nec tempora pono.

Fiant perpetui dies tui: & regnum tuum non accipiat alter.

VENETIIS ARCUI TRIUMPHALI AD LIO *anno 1574. in honorem regis Galliæ & Poloniæ eó tum adventantis hæc inscripta fuere:*

FORIS:

Henrico III. Franciæ atque Poloniæ Regi Christianiss. & invictiss. Christianæ religionis acerrimo propugnatori advenienti: Venetiarum Resp. ad veteris benevolentiæ atque observantiæ declarationem.

A TERGO.

Henrico III. Franciæ atq; Poloniæ regi opt. atque fortiss. hospiti incomparabili: Venetor. Resp. ob ejus adventum feliciss.

PATAVII.

Condæum cum Admirallio & hæreticis Lutetiam obsidentem, & fidei dogmata rescindentem, Henricus cum rege fratre fugat, prosternit, vincit.

Ad Passachum, occupantibus & diripientibus Engo-

lismum

lissmum & Pictavios, hostibus occurrit Henricus: manus conserit: victor evadit: Condæus occumbit.

Henrico M. Franciæ Poloniæq; regi Christianiss. hæreticis fidei hostibus superatis: ob magnitudinem rerum gestarum: jussu ser. reip. Ven. Patavina civitas b.m.p.

Admirallium magnis viribus bellum restaurantem ad Moncontur, Henricus aggreditur parva manu: & adverso casu equo excussus, mox humo sublatus, hostem vincit: cædit: urbem recipit.

Ne belli gloriam partam obscuret Henricus; Guisios & Admirallios contendentes, & sese cedentes, vetat comprehendere.

Henrico Franciæ Ill. & Poloniæ regi: religionis vindici: ser. reip. Ven. decreto Pat. civitas P.C.

TARVISII.

Aurelii Augurelli imago est quam vides,
Uni vacantis litterarum serio
Studio, & jocoso, dispari cura tamen:
Hoc, ut vegetior sic fieret ad seria:
Illo, ut jocosis uteretur firmior.

FLORENTINA.

IN FLORENTIAM J. CÆS. SCALIGER.

PArva fluentisonis aggesta Fluentia ripis
Mollia de nitido nomina Flore capit.
Fæsula regnabat: verùm meliora sequutus
Martius antiquas detulit amnis opes:
Divitias Hera: Mercurius discrimina linguæ:
Mercurius varias ire redire vias:
Ambitiosa, ferox, bellacia, flammea, Mavors
Pectora magnificam docta Minerva manum:
Juppiter ostendit cælestes mentibus aulas:
Sirenum tribuit dulcis Apollo sonum.
Vera vetus Romæ soboles, aliena requiris:
Mutua quæ proprias vertis ad arma manus.

INSCRIPTIONES.

In S. Mariae reparatæ.

Ad perpetuam rei memoriam.

Generali Concilio Florentiæ celebrato, post longas disputationes unio Græcorum facta est in hac ipsa Ecclesia, die VI. Julii, Anno 1430. Præsidente eidem Concilio Eugenio P. P. IIII. cum Latinis Episcopis & Prælatis: & Imp. Constantinopolitano, cum Episcopis & Prælatis ac Proceribus Græcorum in copioso numero, sublatisq; erroribus, in unam eandemq; rectam fidem, quam Romana tenet Ecclesia, consenserunt.

Ibidem ad lævam.

Ob insignem magnificentiam civitatis & templi, Eugenius P. P. IV. omni solemnitate adhibita dedicavit, die 25. Martii, anno 1436. cujus dedicationis gratiâ pons ligneus insigni magnificentia & ornatu factus est ab Ecclesia S. Mariæ novellæ, ubi P. P. inhabitabat, usque ad Ecclesiam

siam hanc, per quem veniens Pontifex cum Cardinalibus & Episcopis, cæterisque proceribus, pontificali habitu ad dedicandum accessit. Tanta enim multitudo ad spectandum convenerat, ut præ nimia turba vias obsidente, nisi per Pontem commodé transire Pontifex non potuerit.

Ad Mariae de Flore.

Ille ego sum per quem pictura extincta revixit,
Cui quám recta manus tam fuit & facilis.
Naturæ deerat nostræ quod defuit arti,
Plus licuit nulli pingere nec melius.
Miraris turrim egregiam sacro ære sonantem,
Hæc quoq; de modulo crevit ad astra meo.
Deniq; sum Jottus, quid opus fuit ista referre?
Hoc nomen longi carminis instar erat.

Obiit anno 1336. cives P.P.B.M. Anno 1490.

Tumulus Verii Medicis.

Verius Medices, Eques opibus & gentis nobilitate clarus, sed & probitate & publicæ quietis studio clarior, hac quievit humo. Locus meriti honoris ergo uni & viventi datus opt. civi. Vixit annos LXXII. m. 8. d. 20. Obiit Ann. salutis M. CCC. VC.

Ad Laurentii.

Ossa Cosmi magni Ducis Hetruriæ in pusillo hoc busto pro tempore deposita sunt, in quo & Eleonoræ uxoris sita erant: ut simul honesto tumulo condantur, uti in vita semper mutuo amore juncti fuere.

Item.

Petro & Johanni de Medicis Cosmi P.P.F.H.M.H.N. S. Laurentius & Julius Petri F.F.P.P. patri, patruo, Anno 1471. Petrus vixit annos 53. m. 5. d. 15. Joannes ann. 42. m. 4. d. 24.

Item.

Cosmus de Medicis hîc situs est, decreto publico pater patriæ. Vixit annos 75. m. 3. d. 20.

IN S. MARIA NOVA SUB imagine Christi.

Vinctus, inops, moriens vera te morte redemi,
Hospes adorato numine grates abi.

IN S. MARCI.

Joannes jacet hîc Mirandula cætera norunt
Et Tagus & Ganges, forsan & Antipodes.

Ob. Anno sal. 1494. vixit annos 32. Hieronymus Benevenius, ne disjunctus post mortem locus ossa separet, quorum animos in vita conjunxit amor, hac humo suppositâ poni curavit. Anno S. 1542. Vixit annos 89. m. 6.

ANTE PORTAM ARCIS.

Quod faustum felixq; sit: Carolus v. Rom. Imp. ex Africa rediens, cúm Alexandrum Medices Florentinorum Ducem, generum suum, extructa jam reliqua arce, turris hujus fundamenta locantem reperisset, primúm victrici manu lapidem ponere non dedignatus est. Anno 1536.

IN S. LAURENTII.

Pauli Jovii Novocomensis, Episcopi Nucerini, historiarum scriptoris celeberrimi, hîc deposita sunt ossa, donec eximia ejus virtute dignum erigatur sepulcrum. Vixit annos LXVIII. m. VII. d. XXIII. Obiit 3. Id. Decemb. Anno 52.

Heic latet heu Jovius, Romanæ gloria linguæ,
Par cui non Crispus, non Patavinus erat.

Ibidem hodie legitur:

Paulo Jovio Novocomen. Episcopo Nucerino, historiarum sui temporis scriptori, sepulcrum, quod sibi testamento decreverat, posteri ejus integra fide posuerunt, indulgentiâ maxx. Ducũ Cosmi & Francisci Hetruriæ Ducum. Anno 1574.

Ibidem:

D. O. M.

Antonii Ciofii imago hæc est, Jurisconsulti celeberri-
mi, atq

mi, atq; omni polita doctrina exculti. utrumq; Jus spacio 30. annorum Pisis voce subtiliter interpretatus est, quod etiam scriptis suis acuminis & elegantiæ plenis illustravit. Immatura viri subitaq; mors ingentem dolorem attulit familiaribus & studiosis scientiæ Legum, orbatis repentè & recondita magni Doctoris eruditione, & morum suavitate singulari.

Julianus frater monumentum hoc, loco impetrato á Magno Duce Francisco, summo amatore ipsius, honoris hominis caussa extruendum curavit. Vixit annos 55. menses 10. dies 3. Obiit Pisis 6. Cal Jan. 1575.

TUMULUS MARSILII FICINI.

En hospes, hic est Marsilius Sophiæ pater,
Platonicum qui dogma culpâ temporum
Situ obrutum illustrans, & Atticum decus
Servans, Latio dedit fores primus sacras,
Divina aperiens mentis actus numine.
Vixit beatus anté Cosma munere,
Laurió, Medicis. nunc revixit publico.
S.P.Q.F. Anno 1521.

AD MARIAE DE FLORE.

Quantum Philippus de Burnebesco Architectus arte Dædalea valuerit, cúm hujus celeberrimi mira testudo templi, tum plures machinæ divino ingenio ab eo adinventæ documenta esse possunt: quapropter ob eximias animi sui dotes, singularesq; virtutes, XV. Cal. Majas Anno 1444. ejus B. M. corpus in hac humo, superstita grata patria sepeliri jussit.

IN PALATIO DUCIS, STATUA EST ANTIQUA *Appii Claudii, inventa Aretii, cum tali inscriptione:*

APPIUS CLAUDIUS C.F. CAECUS, CENSOR, COS. BIS DICTATOR, Interrex III. Pr. II. Æd. Cur. II. Q. Tri. Mil. III. Complura oppida de Samnitibus cepit, Sabinorum & Tuscorum exercitum fudit, pacem fieri cum Pyrrho rege prohibuit. in Censura viam Appiam stravit: & aquam in vrbem adduxit: ædem Bellonæ fecit.

MONSTRI.

Hac Petrus Paulusq; uno ſub corpore bini
Fabrica naturæ mira jacemus humo.

AD RIPAM ARNI, INFRA *novum palatium.*

Oſſa equi Caroli Capelli legati Veneti.

Non ingratus herus ſonipes memorande ſepulchrum
Hoc tibi pro meritis, hæc monumenta dedit.

Obſeſſa urbe anno 1530. 3.Id.Martii.

EPIGRAMMA BIBLIOTHE-*cæ Mediceæ.*

Deo, præſidib. familiæ. Divus Clemens VII. Medices P.M. libris opt. ſtudio major. & ſuo undique conquiſitis, bibliothecam ad ornamentum patriæ civiumq; ſuorum utilitatem d.d.

Hanc bibliothecam Coſ.Med. Tuſcorum magnus Dux perficiundã curavit. Anno Dn. M. D. LXXI. III.Id.Julii.

ITEM.

Coſmus in has ædes meliora volumina κόσμῳ
Transtulit, & primas quas habet orbis opes.
Sic genuit tandem ſterili de nomine Coſmus,
Rem ſibi tum mundo cælitibusq; parem.

IN CALCE PANDECTARUM *Florentinarum legitur:*

Ego Marſilius Ficinus interfui, dum hoc reperiretur opus: idque manu propria ſcripſi die 9. April. Anno Dn. 1496. Petro Bernhardo de Bernhardis ſedente Vexillifero Juſtitiæ.

IN SACELLO PALATII *aureis literis.*

1. Animo proprio iram furoremq; ſedare, atq; reſtinguere, magnæ victorioſæq; fortitudinis eſt.
2. Quod non licet concupiſci, non licet intueri.
3. Impu-

3. Impunitatis spes maxima peccandi illecebra.

4. Magna in utramq; partem conscientiæ vis.

5. Ultra hominem quemque provehere sola probitas potest.

6. Evangelium invenit sibi domum, & Leges locum ubi quiescunt.

7. Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ etiam maximæ dilabuntur.

8. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ DEI Deo.

9. Omne regnum in se divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

10. Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos.

11. Virtus est vitium fugere, & sapientia prima stultitiâ caruisse.

12. O præclara operum & opum mortalium beatitudo! quam cúm adeptus fueris, securus esse desistis.

13. Gaudia pelle, pelle timorem, spemq; fugato, nec dolor adsit; nubila mens est, vinctaq; frenis, hæc ubi regnant.

JOAN. AUSTRIACAE MAGNAE
Ducissæ Hetruriæ.

Hoc tumulo depositæ sunt ossa sereniſſimæ Joannæ Austriacæ, Francisci Medicis Magni Etruriæ Ducis uxoris, cum tribus filiabus iniquo fato ante omnia præreptis, cum filiolo, qui priús mortuus erat; cúm illa quondam vitales auras carperet, mœrens ad tempus posuit.

AD MARIAE NOVELLAE.
Sub horologio.

Sic fluit occultè, sic multos decipit ætas,
Sic venit ad finem quidquid in orbe manet.
Heu heu præteritum non est revocabile tempus,
Heu propiús tacito mors venit ipsa pede.

PARICAE MEDICEAE

Pudicitia atque prudentia non minus quám sanguine claræ incomparabili conjugi, Philippus Strozzius mœrens, decem liberis collacrymantibus, pro tempore posuit. Vixit annos XXVIII. mens. VIII.

IN PORTA CIVITATIS.

Carolus V. Cæsar Aug. cúm insigni omnium Christianorum beneficio immanem archipiratam regno Tunetano pepulisset fugassetque; Siculo, Neapolitano suis regnis constitutis; Roma profectus Florentiam, hanc portam cum magna pompa ingressus, populo cuncto præ lætitia gestiente, ab Alexandro Medices civitatis Duce, cui Margaritam filiam desponderat, illustri apparatu, Regaliq; hospitio Mediceas in ædes acceptus est, Anno Domini M. D. XXXV. Id. Maji.

IN S. MARCI.

ANGELI POLITIANI.

Politianus in hoc tumulo jacet Angelus, unum
Qui caput & linguas, res nova, tres habuit.
Obiit an. 1509. Septemb. 24.

Angelus hic clausit cineres varia arte politus,
Ut vix inveniat Ausonis ora parem.

PONTIFICIS IN CONCILIO *Constantiensi dejecti.*

Balthasar Cossa, olim Joannes XXIII. obiit Florentiæ, anno Domini 1419. XI. Kal. Januar.

Antonio Strozzæ, Cæsarei sacriq; Juris consultiss. ac de Rep. bene merito, Antonia Vesputia uxor P. vixit annos 68. obiit 4. Id. Jan. 1521.

AD PORTICUM MERCATORUM.

Cosmus Medices Florentiæ Dux, publicæ magnificentiæ & salubritatis ergó porticum transverso columnarum ordine undiq; permeabilem, adversus cæli contumeliam negotiantibus in foro civibus suis extruxit. 1548.

AD S. FRANCISCUM SUB EFFIGIE Marcelli Virgilii.

Suprema nomen hoc solo
Tantúm voluntas jusserat
Poni, sed hanc statuam pius

Erexit

Erexit hæres, nescius
Fama futurum & gloriæ
Aut nomen, aut nihil satis.

IN LAPIDE SEPULCRI.

Marcellus Virgilius Reip. Florent. Secretarius, sibi, uxoriq; suæ, & posteris posuit. Vixit an. LVI. menses VI. dies XXVII. Obiit V. Cal. Decemb. An. M. D. XXI.

LAPIS ANTIQUUS INTEGER APUD *nobilem quendam Florentinum.*

Q. Fab. Maximus, Dictator. bis Cos. v. Censor, interrex. II. æd. cur. Q. II. TR. Mill. II. Pontifex, augur. primo consulatu Ligures subegit, ex iis triumphavit. tertio & quarto Hannibalem compluribus victoriis ferocem subsequendo, coërcuit; Dictator Magistro equitum Minutio, quo jus populus imperiū cum Dictatoris imperio æquaverat, & exercitui profligato subvenit, & eo nomine ab exercitu Minuciano pater appellatus est. Consul quintum Tarentum cepit, triumphavit. Dux ætatis suæ cautissimus, & rei militaris peritissimus habitus est. Princeps in Senatum duobus lustris lectus est.

ALIUD.

Zenobius Episcopus hîc situs erat, quo in cœlites relato, sepulcrum ad sacerdotes templi hujus transiit, quod Cosmus Med. II. Dux marmoreo pavimento instaurari curavit.

Quiescimus, domum hanc cúm adimus ultimam.

ALIUD.

Si tibi quos patria & virtus Lape maxime fasces
Tradidit, exilio perdidit invidia;
At tua non odium, non mors, non tempora possunt
Perdere, quæ reparat nomina clara Nepos.

PROPE TEMPL. S. CRUCIS.

Henricus IV. Roma rediens coronatus, infestus Florentinis, quód coronationi suæ obstitissent, rogatus ab exulibus, quorum princeps erat Dantes Poëta, urbem ob-

sedit, ab ea parte quæ est ad septentrionem: atque cùm vidisset ædificiis intentam civitatem (præcipué autem id testatur palatium Cocchiorum, quod noctu etiam struebatur funalibus accensis) post quadragesimum diem soluta obsidione discessit. 1313. Kal. Octob.

Ad Angeli.

Hîc condita sunt corpora sanctorum Martyrum Proti, Hyacinthi & Nemesii. Clariss. viri Cosmus & Laurentius fratres neglectas diu sanctorum reliquias Martyrum, religioso studio, & fidelissima pietate suis sumtibus his aureis loculis condendas colendasq; locarunt.

Versus,

In aditu montis Fesulani, in quodam conclavi manu Politiani scripti:

Misero quello, chi da persona vile
Nasce di cor magnanimo & gentile!

Lapidis in adscensu Fesulani.

Super hanc, ut fertur, petram, ab infidelibus Fesulanis decollabantur Christi Martyres: ob hanc ergo devotionem & reverentiam hîc collocata fuit. Anno Domini M. D. LXVI.

Ad S. Mariam novellam.

Ἰώσηφ ἐλέει θῦ Ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινοπόλεως;
Νέας ῥώμης καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

Ecclesiæ antistes fueram qui magnus Eoæ,
Hîc jaceo magnus religione Joseph.
Hoc unum optabam miro inflammatus amore,
Unus ut Europæ cultus & una fides.
Italiam petii, fœdus percussimus unum:
Junctaq; Romanæ est, me duce, Graja fides.
Nec mora, decubui, nunc me Florentia servat,
Qua tunc concilium floruit urbe sacrum.
Felix qui tanto donarer munere vivens,
Qui morerer voti compos & ipse mei.

Aliud.

ALIUD.

Hugoni Ottonis III. Imp. affini ac Comiti, Marchioni Brandeburgensi, Hetruriæq; præfecto, qui D. Benedicto hæc olim, & sex alia cœnobia condidit. Pii hujus loci Monachi de se bene merito sepulcrum vetustate attritum instaurarunt. Anno salutis 1481. H.M.H.N.S. Obiit anno salutis M.LXII. Cal. Januar.

AD S. CRUCIS.

Siste, vides magnum quæ servant marmora vatem,
Ingenio cujus non satis orbis erat.
Quæ natura, polus, quæ mos ferat, omnia novit:
Carolus ætatis gloria magna suæ.
Ausoniæ & Grajæ crines nunc solvite Musæ,
Occidit heu vestri fama decusq; chori.

IBIDEM.

Postquam Leonhardus é vita migravit: historia luget: eloquentia muta est: feruntq; Musas tum Græcas tum Latinas lacrymas tenere non potuisse.

IBIDEM.

Michaëli Angelo Bonarotio, é vetusta Simoniorum familia: sculptori, pictori, & architecto: fama omnibus notissimo, Leonhardus patruo amantiss. deq; se opt. merito, translatis Roma ejus ossibus, atq; in hoc templo major. suorum sepulcro conditis: cohortante sereniss. Cosmo Medices magno Hetruriæ Duce, P.C. Anno salutis 1570. Vixit ann. 88. m. 11. d. 15.

AD ANNUNCIATAE.

Ludovicus Gonzaga II. Marchio Mantuæ, Petro Tonalio, suisq; posteris, ob summam in eum benevolentiã, ejusq; in templo, quod cernis, ædificando diligentiam, sepulchrum hoc concessit. Anno 1477.

IN FORO.

JUDITHAE.

Exemplum salutis pub. 1495.

MERCURII.

Quo vincas, clypeum do tibi casta soror.

MINERVAE.

Tuta Jove, ac tanto pignore læta fruar.

CUPIDINIS.

Fratris ut arma geras, nudus ad astra volo.

MARTIS.

Te, fili, si quis læserit, ultor ero.

Benevenutus Cellinus civis Flor. F.
Anno 1553.

IN PALATII VESTIBULO.

Ingressa auspiciis hanc urbem, diisq; secundis
Cæsaris invicti Augusti pulcherrima proles:
Nunc iisdem subeas hæc limina & aurea tecta.
Adventu ecce tuo lætantur, & omnia rident.
Hoc redimita olea crines pax alma corona,
Et secura quies, & cætera numina læto
Te vultu accipiunt venientem, & fronte serena.
Omnes & votis optant, & voce precantur,
Sis felix, adsisq; tuo cum conjuge virgo:
Æternum imperium vigeat, nomenq;, decusq;.

IN AULA PALATII MAGNA, QUAEDAM *quasi Chronologia est rerum á Florentinis gestarum.*

A Christo nato 1010. Fæsulæ in partem Urbis adscitæ.
Anno dn. 1306. Muscelana prætura nobilis.
Anno sal. 1403. Flaminia nostræ ditionis.
Anno sal. 1440. Puppium Causentini agri caput.
Anno dn. 1342. Piscia oppidum adeó fidele.
Anno sal. 1350. Pratum oppidum specie insigne.

Anno

Anno dn. 1369. Prætura Arnensis inferior.

Anno dn. 1331. Pistorium urbs socia nobilis.

Post partum Christi an. 400. Florentia, Gothorum impetu fortissimo retuso, Rom. victoriam præbet.

Anno ante Christum natum 20. Tribus cœptæ. Florentia Romanor. colonia á triumviris deducitur.

Post partum virginis 1265. Florentini cives á Clemente IV. Ecclesiæ defensores appellantur.

XXIV. Civitates Hetruriæ optimo Principi: constituta civitate: aucto imperio: & pacata Hetruria: S. P. Q. F. Opus jussu Cosmi cœptum: á Christi ortu 1563. Perfectum á materia, á pictura, á reliquo ornatu: ann. duobus, mensibus tribus.

Anno 1433. post ortum Christum, Eugenio IV. Pont. Max. urbe sedeq; pulso: refugium est paratum.

Post ortum Christum Anno 1283. civibus, opibus, imperio florens, latiori pomœrio cingitur.

Post partum Virginis an. 1010. Florentia Fæsularum ruinis.

Anno sal. 1254. Volaterra, Tusciæ urbs celeberrima.

Anno sal. 1338. Geminianum & Collis oppida.

Anno dn. 1376. Certaldensis prætura amœniss.

Anno sal. 1197. Ager Clantius, & ejus oppida.

Post partum Virginis 1509. Pisani commeatu & spe excluduntur.

Ann. á Christi ortu 1498. Veneti Pisarum defensores victi.

Hum. sal. an. 1500. Galli auxiliares repelluntur.

An. dn. 1509. Tandem læta victoria venit.

An. dn. 1499. Vicum Florentinũ milites irrumpunt.

A partu Virg. 1495. Cæsena vi solida expugnatur.

A Christo nato 1494. S. P. Q. F. Pisanis rebellibus magno animo bellum indicit.

Ab hum. gen. salut. 1553. Prælium acre ad monasteriũ.

Ab hum. gen. sal. 1553. Bellum cogitantes prævenit.

Post partum virg. 1554. Cassili oppidi expugnatio.

Post partum virg. 1555. Exitus victis victoribusq; felix.

Post partũ virg. 1554. Mons Regionius vi expugnatur.

Post partum virg. 1554. Galli rebelles q; prælio cedunt.

Post partum virg. 1554. publici hostes terra arcentur.
Anno sal. 1440. Burgum Umbriæ urbs & Anglaria.
Anno sal. 1297. Prætura Arnensis superior.
Anno sal. 1412. Cortana Pollitianumq; oppida clara.
Anno sal. 1381. Aretium nobilis Hetruriæ urbs.

In aula superiori ad imagines Heroum.

Natis exemplum Decius. sum victima Roma.
Scipio sum. vici Hannibalem, Pœnosq; subegi.
Sum Cicero. tremuit nostras Catilina secures.
Brutus ego assertor patriæ, regumq; fugator.
Uro manum spretis errantem Scævola flammis.
Hoste fero caso victricia signa Camillus.

Regis Davidis vetustiss. statua.

Contra hostes patriæ terribilissimos, fortiter dimicantibus, Deus victoriam præstat.

In palatio Pythio.

Publicæ commoditati.

Ibidem muli epitaphium.

Lecticam, lapides & marmora, ligna, columnas
Vexit, conduxit, traxit, & ista tulit.

Ad S. Spiritum.

Hoc quod vides Sacellum variis nobilibus marmoribus ab Ægypto usq; Angliaq; adductis, constructum, Baptista Cavalcantes, Thomæ F. religionis ergo, maxumis cum sumtibus ædificandum curavit. Anno Domini 1562.

Ibidem.

Thomæ Cavalcanti, civi Florentino. Qui cúm summæ nobilitati summas divitias addidisset, non solúm mercaturam singulari fide, sed etiam Rempub. singulari prudentia

dentia gessit. Cumq; ann. 74. expleviſſet, Florent. 11. Kal. Quinct. vitam cum morte commutavit. An. Dn. 1560. Baptiſta f. parenti opt. cariſſ. P.C.

AD CARMELITAS.

Juliano Piſtoro Pratenſi, Carmelitæ, ſuo Provinciali optimé merito, lugentes poſuere. Qui quantum in Phyſica ac mathematicis diſciplinis omnibus, præcipué in Aſtrologia valuerit; non Senæ, Piſa, aut Florentia tantúm, ubi annis non minus 22. profeſſus eſt; verúm totus terrarum orbis agnovit. Vixit an. 64. menſes 5. dies 11. ☉. 7. Xbr. 1556.

AD MARIAE DE FLORE, IN *circo medii fani.*

Sylveſter Medices H. A. D. Q. qui ita de repub. domi foriſq; meritus eſt, ut & equeſtri ordine, & ampliſſ. donis & loco ſepulturæ, maximo conſenſu civitatis decoratus ſit. Anno ſal. 1388. Vixit annos 62. menſes 8. d. 12.

IBIDEM:

Ad effigiem Dantis.

Qui calum cecinit mediumq; imumq; tribunal,
Luſtravitq; animo cuncta Poëta ſuo,
Doctus adeſt Dantes, ſua quem Florentia ſæpe
Senſit conſiliis ac pietate patrem.
Nil potuit tanto mors ſæva nocere poëtæ,
Quem vivum virtus, carmen, imago facit.

ALIUD.

Multum profectó debet Muſica Antonio Squarcialupo Organiſtæ. Is enim ita arti gratiam adjunxit, ut quartam ſibi viderētur Charites Muſicam adſciviſſe ſororem. Florentina civitas grati animi officium rata ejus memoriam propagare, cujus manus ſæpé mortales in dulcem admirationem duxerat. Civi ſuo M.P.

AD D. MARCI.

D.O.M. Antonio Vidotto, ob pacem inter Anglor. & Francor. Reges confectam, ab Edoardo VI. equeſtrē gra-

dum, ab utrisq; insignia munera consecuto, in patria ab opt. Duce Cosmo in 48. virorum numerum cooptato: Volaterris demum prætura & vita functa, gentiles ejus, absentibus filiis P.P.Θ.4.Kl.Decemb.anno 1555. Vix.an. 63.m.6.

IBIDEM.

Jo.Maria Panlotius heic situs.est domo lugubri, J.C.celeberrimus. qui cúm operam diu navasset Duci Urbinati principi suo, & in aliis Italiæ urbibus plurimorum controversias summa cum laude dijudicasset: accersitus postremúm á Cosmo Medice Duce Florentinorũ ac Senens. primúm in IV.Rotæ Judicibus fuit: deinde causis audiendis præpositus.eo in munere cúm valde probatus foret omnibus, vitam amisit. Antonia Berna mœrens, conjugi cariss. P.Θ.4.Kl.Jan. Anno Domini 1565. Vixit an. 62. m.2.d.20.

AD ANNUNCIATAM.

Angelus Martius Assisiensis Episcopus, ac J.C. á secretis augustæ Medicum domus, illiusq; alumnus, & in eam ob probitatem fidemque adscitus, hoc sibi vivens sepulchrum confecit, defunctus ut sibi vivat, cúm ante mortem amicis vixisset. Anno 70.Θ.an.dn.1546.

IBIDEM XENODOCHII EPIGRAPHE.

Virginis intactæ cúm veneris ante figuram,
Prætereundo cave, ne sileatur Ave.

IN LAURENTII.

Si merita in patriam, si gloria, sanguis, in omni
Larga manus, nigra libera morte forent:
Viveret heu patriæ casta cum conjuge felix,
Auxilium miseris, portus, & aura, suis.
Omnia sed quando superantur morte; Joannes
Hoc mausoleo, tuq; Picarda jaces.
Ergo senex mœret, juvenis, puer, omnis & ætas,
Orba parente suo patria mœsta gemit.

Cosmus & Laurentius de Medicis, Joanni Averrardi F. & Picardæ Adovardi F. carissimis

rissimis parentibus, hoc sepulchrum faciundum curarunt. Obiit autem Joan. x. Cal. Mart. M. CCCC. XXVIII. Picarda veró XIII. Cal. Majas, quinquennium póst é vita migravit.

In Mariae Annunciatae.

Quod novisse juvabit, perlegant omnes.

Leo x. Pont. Max. Florentinus, pius in Deiparam virginem, ac benignus in patriam, Divæ Annunciatæ sacellū, magno quondam ære á majoribus suis familiæ Medicææ in hac æde constructum, miraculorum, & cœlestium gratiarum copia toto orbe celebratissimū, Pontificiis donis perpetuó honestaturus, simulq; ad ipsam confluentium saluti pientissimé consulens, motu proprio, Christicolis universis cõfessis sacellum visitantibus qualibet die Sabbati, mille annos & totidē quadragenas, & singulis ejusdem Virginis, nec non Nativitatis Domini celebritatibus, ac Veneris, Sabbatiq; diebus majoris hebdomadæ duo annorum, & quadragenarum millia de injunctis eis pœnitentiis Apostolica auctoritate relaxat: omnium insuper, quæ in eo fundentur, precum participes eos decernit, qui sua, vel aliena manu, si rité impediãtur, pro defunctorum etiam expiatione nonnihil prædictæ aræ pié erogare curaverint. Dat rursus peccatorum plenariam indulgentiam per se, vel alium, veré scilicet impeditis, visitantibus idem sacellum á primis vesperis, & die tota nativitatis ejusdem Divæ Mariæ, pro facultate tamen facta oblatione Priori loci, & ab eo decernendis fratribus, potestate concessa diebus octo absolvendi quoscunque, ab excessibus omnibus, iis, quæ in bulla cœnæ Domini continentur, exceptis, & præter quatuor commutandi quæcunque vota hoc absolutionis beneficio gaudent, eodem tempore accersito ad se Sacerdote, qui á personali sacelli visitatione legitimé præpediuntur, sua tamen ad id munera dirigentes eâdem in peregrinos Prior utetur facultate, iis etiam porrecto Eucharistiæ Sacramento, quotiens oportuerit. Quæ legisti, ea non abolenda concessit Leo perpetuó duratura, Anno Christianæ salutis M. D. XIIII. sexto Cal. Maji.

AD IMUM ARNIPONTEM IN arcu triumph.

Quæ tam præclara naſcetur ſtirpe parentum
Inclyta progenies digna atavisq; ſuis.
Hetruſca attollet quantis ſe gloria rebus,
Conjugio Auſtriacæ Mediceæq; domus.
Vivite felices. non eſt ſpes irrita. namq;
Divina Charites talia voce canunt.

SUPRA MAGNAM PALATII PORtam ad ſponſam Auſtriacam.

Ingredere opt. auſpiciis fortunatas ædes tuas, auguſta virgo, & præſtantiſſ. ſponſi amore, clariſſimiq; Ducis ſapientia, cum bonis omnibus deliciisq; ſumma animi ſecuritate diu felix & læta perfruere, & divinæ tuæ virtutis, ſuavitatis, fœcunditatis fructibus publicam hilaritatem confirma.

IN AULA MAGNA EJUSdem palatii.

Has ædes, atq; aulam hanc, tecto elatiori, aditu, luminibus, picturis, ornatuq; auguſtiori, in ampliorem formã decoratam, dedit Coſmus Medices illuſtriſſ. Florent. & Senar. Dux, ex deſcriptione atq; artificio Georgii Vaſarii Aretini pictoris atq; architecti. 1565.

AD MARIAE. EPITAPHIUM SEVERINI Norbii Equitis aurati, Dani.

Oceanum hoſtili toties qui ſanguine tinxit
A gelida Thyles littore ad uſq; Cronum,
Quem non immeritó Sclavi, Suediq; Gothiq;
Vandaliq; urbes extimuere ducem:
Norbius Etruſco jacet hic Severinus in antro,
A Florentina miſſus in aſtra pila.
Barbarus ille nequit captivum extinguere Moſcus,
Mergere non mediis Ennoſigæus aquis.
Debuit in Latio, velut orbis in arce perire,
Tanta viri ut virtus undiq; nota foret.

IN

In Carthusiano.

Donatus nomen, patria est Florentia, gens mi
Acciajola domus. clarus eram eloquio.
Francorum ad regem patria dum orator abirem,
In Ducis anguigeri mœnibus occubui.
Sic vitam impendi patriæ, quæ me inde relatum
Inter majorum nunc cineres sepelit.

In Ceciniano:
Aonii Palearii.

Quem Thuscus Cecinna olim possederat agrum,
Insignem latè frugibus & pecore,
Hernicus Aonius longo pòst tempore cultu
Longè auctum antiquo restituit genio.

Fontis Aganippes.

Quem pellucidula manantem cernitis unda,
Fons hic muscosis obsitus iret aquis,
Nî Thuscos properè colles visura tulisset
Cecinnæ campis Hernica Nais opem.
Deduxit rivos, ne quisquam diceret hortos
Hesperidum posthac esse, sed Aonidum.

FERRARIENSIA.

IN FERRARIAM J. CÆSAR SCALIGER.

INclyta quæ patulo fruitur Ferraria cœlo,
Reginas rerum lumine ditat aquas.
Aurea nobilitas: ſtudiorum nobilis otii
Ingenia: audaci pectore promta manus:
Magnanimiq; duces, genus alto é ſanguine divûm:
Perfugium profugis mœnia ſancta viris.
Vos me luctifica redeuntem é ſtragis acervis,
Quos vetus ex ima ſede Ravenna gemit,
Germano in pugna amiſſo, fortiq; parente,
Quo matri victa vita dolore fugit,
Ornatum elogiis, decoratum nomine regum,
Auctum Felſinea reſtituiſtis ope.
Salvete heroës, & quæ ſanctiſſima tellus
Fratriſq; ac matris & patris oſſa tegis.

INSCRIPTIONES.

IN ASYLO.

MEMORIÆ D. HERCULIS ESTHENSIS DUCIS II.

Hic Alphonſo Neapolitanorum regi, ob egregiam indolem, chariſſimus, cum Galeatio Pandono viro illuſtri ac fortiſſimo, vixdum adoleſcens, non ſine maxima laude ſingulari certamine depugnavit: ad Molinellam Venetorum exercitum hoſtili impetu graviter laborantem virtute ſua conſervavit: neque priùs acriter pugnare deſtitit, quám repulſis hoſtibus, plumbea glande dextrum pedem ſaucius, ex prælio diſcedere coactus eſt. Multa, imperium adeptus, ad urbis ornatum excogitavit perfecitque. Aulam regiam commodiorem pulcrioremq; reddidit: innumeras domos, nova fora, publicas porticus mar-

more

moreis columnis insignes, castelli veteris molem jampridem inchoatam celeriter & exacté consummavit. Belliguardi palatium auxit atq; exornavit. Belflorem incendio consumptum restituit: arcem novam ad Eridanũ positam meliori structura & amœnis hortis additis, multo decentiorem refecit; aqua ex Padi alveo plumbeis fistulis in urbem traducta, perennes fontes instituit. Templis ferme omnibus instauratis, atq; ad ampliorem & augustiorem formam redactis, nova posuit: & ea omnia præclaris muneribus ditavit. Palustres agros ad culturam redegit: antiquorum Comœdias, ac veteris scenæ modos actusq; retulit: plurimaq; ad spectatorũ hilaritatem, inusitato sumptuosoq; paratu, actibus interposuit. Hunc novum urbis ambitum in septentrionem vergentem, antiquæ urbi addidit: crebrisq; propugnaculis turritis, & inexpugnabilibus muris, lata ac præcipiti fossa, lateritiis pontibus super constructis, celerrimé communivit. Tot magnificis operibus brevi perfectis, tot publicé privatimq; collatis beneficiis, tot clariss. virtutum ratione habita, Augusti & P.P. nomen merenti, S.P.Q.Ferrariensis, hanc equestrem statuam viventi posuere. ad quam si quis intra ambitum xx. P. confugientibus vim attulerit, se læsæ majestatis crimen incurrisse non ignoret.

APUD CARMELITAS.

JOHAN. MANARDO FERRARIENSI, VIRO UNI OMNIUM INTEGERRIMO AC sanctiss. Philosopho & Medico doctissimo:

Qui annos P.M. LX. continenter tum docendo & scribendo, tum innocentissimé medendo, omnem medicinam ex arce bonarum literarum fœdé prolapsam, & in barbariæ potestatem ac ditionem redactam, prostratis ac profligatis hostium copiis, identidem ut Hydra renascentibus, in antiquum pristinumque statum ac nitorem restituit: lauream omnium bonorum consensu adeptus, IV. & LXX. annũm agens, omnibus omnium ordinum sui desiderium relinquẽs, humili se hoc sarcophago condi jussit.

Julia Manarda uxor, quod ab eo optabat, posuit.

Hac brevis exuvias magni capit urna Manardi.
Nam virtus laté docta per ora volat.
Mens pia cum superis cæli colit aurea templa,
Hinc hospes vitæ sint documenta tuæ.

An. M. D. XXXVI. m. Martio.

In turri S. Georgii.

Ferraria parta pace Anno 1485. cúm á Clemente v. sibi metueret Hercules, turrim istam ex fundamento destrui mandavit, ne hostium bombardis pro inferendo urbi damno usui esset. in qua re cúm laborari cœptum esset, mutato consilio Ducis, mox ab incepto opere cessatum est.

Ex eo tamen, quod jam demolitum erat, turris ad alteram partem inclinare cœpit, ut hodie quoq; inclinata cernitur.

In muro horti.

Siste viator iter, volucrem qui comprimis axem,
Quadrupedem flectas, veraq; scripta lege.

Paulo III. Pontif. Max. iter hac faciente, & ab Ill.mo Hercule II. Senatuq; & populo Ferrariensi, certantibus omnibus studiis excepto, demolitus paries IX. Cal. Maii, instauratus autem III. Cal. Julii, ut iter ad Ecclesiam pateret Pontifici.

In Ferrariam terrae motib. concussam.

ἀδέσποτον.

Felsinia imperio terræ, Brabantia Nerei
Clara stetit, cælo Roma superbit adhuc.
Ecce maris dominam Brabanti nominis urbem
Obruit insani fluctibus ira freti.
Et quæ Felsiniæ steterat tellurus ocellus,
Hanc labefacta suo pondere terra premit.
Exitium est utriq; suum terraq; mariq;,
At tibi de cælo Roma ruina venit.

In aede S. Stephani.

DE RESTAURAT. ECCLESIÆ.

Cúm anno M.D.LXX. die XVII. Novembris tertia noctis hora, quam maximus terræ motus hanc præclarissimam urbem ita conquassasset, ut ejus fortissima mœnia, munitissimas arces, alta palatia, religiosa templa, sacratas turres, omnesq; feré ædes omnino evertisset & prostrasset, uná cum maximo civium damno, atque acerba clade, adeó ut omnes maximo metu perterriti, relictis caris & ornatis domibus, cæterisq; suis bonis, in lugubria cœmiteria, in lutosos hortos, atque demum relicta ipsa urbe in sylvestres agros, in pauperibus tuguriis, in humilibus tentoriis tota hyeme prægelida & aspera degētes, passim diffugerent: hoc sacrum Divi Stephani templum ipso terræ motu scissum, fractum atq; feré collapsum, piissimi Parochiani, & Reverendus Vinutius Segantus illius Rector, Dei & ipsius Divi Stephani protectoris auspiciis, in pristinum statum ipso etiam terræ motu nondum cessante restitui curarunt, Anno M.D.LXXI. die XVIII. Septemb.

Francisci Sacrati.

Hac eques insignis tegeris Francisce sub urna,
Sacrata quondam firma columna domus.
Morte tua doluit princeps, populusq;, patresq;,
Et pudor, & socia cum probitate fides.
Hoc memores nati clauserunt membra sepulcro,
At pia sydereas incolit umbra domos.

Hieron. Savanarolae.

Dum fera flamma tuos Hieronyme pascitur artus,
Relligio sanctas dilaniata comas
Flevit, & ô, dixit, crudeles parcite flammæ,
Parcite, sunt isto viscera nostra rogo.

Annus Martyrii.

SInCera taXat CVLtVs VbI VoCe BaaLIs,
InterIt IgnIVoMIs SaVanaroLa rogIs.

Vix. ann. Domini M.CCC.XCVIII.

Dominici Bondii.

Qui á prima adoleſcentia Græcis Latinisq; literis perſtiſſimé imbutus, ingenii atq; induſtriæ laude ſemper claruit: Philoſophiam veró Medicinamq; Ferrariæ multos annos publicæ profitendo, acutiſſimé, diligentiſſimé, atque integerrimé cum omnium favore docuit ac exercuit, de univerſa autorum antiquitate, ut de ſua ipſiusmet ætate, optimé meritus, niſi forte nullo tantæ eruditionis ſuperſtite monumento ambitionis etiam aliquid in modeſtiſſimo viro deſiderare poſſit poſteritas.

Mi domus hæc requies curarum ſola mearum:
Omnibus una meis certa medela malis.

Petrus Monferratus

Honorariæ poteſtati accenſus, dum operam civibus peſtilentia laborantibus præbet; noctu equi calce ictus in abdomine, magnum ſuæ ſedulitatis deſiderium populo & Decurionibus Ferrarienſibus reliquit, Joan. Hieronymus parentem optimum lugens, poſ. Anno ſalutis M. D. XXVIII.

Pictoris cujusdam.

Occubat hic proles pictoria: va tibi, mundum
Et ſua quisquis amas, huc nihil inde feres.
Huc nihil inde feres, guttam hic á paupere dives
Poſcit aquæ; mundum va tibi quisquis amas.

Baptistae Stabilini.

Hic Baptiſta jacet Stabilinus marmore, vivus
Nunquam quievit, at quieſcit mortuus.
H. M. H. N. S.

Hieronymi Bellacumbae.

Vale anima candidiſſima. vale tuorum parentũ, quos dolore & luctu conficis, æternum deſiderium. vale & hujus patriæ, quam tua hinc migratione miſerabiliter orbaſti, & Muſarum, & hujus ætatis immortale decus. Vale animula blandula, & in numerum deorum tam brevi vitæ ſpacio recepta. Vale rurſus, & ſi animæ ullus eſt ſenſus; donec

donec recto ordine te, sicut natura concedet, assequemur, nostri memor.

SIGISMUNDUS LOCATELLUS

Ferrariensis, equis omni nationum artificio instituendis artifex totius Italiæ suo ævo primarius, Federiciq; Grisonii, artis ejus inventoris primi, discipulus, qui hujusce peritiæ singularis ergó Francisco Atestino antea, Alphonso secundo deinde duci sereniſſimo, universæq; principis familiæ, ac primariæ nobilitati acceptiſſimus, nobiles multo numero adolescentes, equos innumeros ea disciplina doctos fecit: egregiaq; munera é vicinis remotisq; regionibus reportavit: á multis externis Principibus, ac Suecorum rege ingentibus præmiis invitatus. Vir insigni animi tranquillitate patriam omnibus prætulit, atq; ætatis suæ LX. ann. diem noviſſimum operiturus, hoc se tumulo condidit. M. D. LXXXII. menſe Majo.

FRATRIS AUGUSTINI,
Richini.

Flens veni in terras, & flens discedo, fuitq;
Dum vixi fletus, vita, dolor, gemitus.

DE TERRAEMOTU ALOYSIUS
Luisinus.

Diluvium, terra motus, contagia, passim
Bella, fames, mundi quid reliquum exitio est?
Ignis & ipse propé est, unde hæc? ex arce Tonantis:
Tot mala quid mundo congerit? Impietas.
Anne salutis adhuc spes ulla est? unica. Quisnam
Porriget hanc? Pietas. hæc ubi? nullus habet.
Quid stas munde? rue, ut pietas est nulla; ruentem
Sic video, auxilium numina læsa negant.

IN DOMINICANO.

Sebastiano Clarignano acerrimi ingenii viro, & in scena, sive risus urbanos moveret, seu Tragico fletu pulpita quateret, Cynthius Joannes-Baptista Gyraldus amicus amico optimo ac bene merenti posuit. Vixit annos LXIV. mens. VIII. Obiit anno M. D. LI. III. non. Sextilis.

Te, Roſci, extincto periit res Comica, teq;
Æſope extincto regia ſcena perit.
Ambas Mons falcus Stygiis revocarat ab umbris,
Et dederat vita nobiliore frui.
Nunc ipſo erepto prorſus periere, nec ulla eſt
Spes reliqua, amiſſas demere poſſe neci.
Melpomene hinc Tragico flet triſtia fata boatu,
Et laniata ſinus mœſta Talia gemit.
Cynthius occaſum veteris miseratus amici,
Supremos cineres condidit hoc tumulo.

Nicolai Leoniceni.

Nicolao Leoniceno Vicentino, qui ſibi Ferrariam patriam maluit, ubi annos LX. Italos & provinciales magna celebritate Græcé & Latiné inſtituit, continua ſerie apud principes Eſtenſes magno in honore habitus, unus omnium magis pectore quàm lingua Philoſophiam profeſſus, rerum naturæ abditiſſimarum experientiſſimus. qui primus herbariam pené deſitam, & ſylvam rei medicæ injuria temporum negligenter habitam, in disquiſitionem, magna ſpe mortalium, revocavit: in barbaros conditores pertinaciter ſtylum perſtrinxit: & ſtudio veritatis cum omni antiquitate acerrimé depugnavit.

Annos natus VI. & XC. cúm jam æternis monumentis in arcem immortalitatis ſibi gradum feciſſet, homo eſſe deſiit. Alfonſus Eſtenſis Dux III. & S.P.Q.Fer. B.M. poſuere. 6. Id. Jun. Anno 1524. Bonaventura Piſtophilo grato ipſius diſcipulo procurante.

In S. Dominici.

Tria cum maxima haberet Beatrix Jocula clariſſ. Sigiſmundi Salimbeni filia; generoſum ſpiritum: conſtantiſſimam fidem: & caſtiſſ. corpus: aliud in beatorum ſedes; aliud in cari conjugis Albertini ex nobili Joculorum gente pectus migravit. qui cum ſummo voluntatis & conſiliorum tenore vixerat. quod tertium erat, hîc jacere vides, non ſine magno omnium dolore & deſiderio. ubi & amantiſſ. maritus, cúm ſuperis viſum fuerit, eximiæ benevolentiæ gratia, conquieſcet. Anno ſal. hum. M. D. XL.

IN

IN SUMMO TEMPLO.

Tumulus Lilii Gyraldi.

Quid hospes astas? tymbium
Vides Gyraldi Lilii,
Fortunæ utramq; paginam
Qui pertulit, sed pessima
Est usus altera, nihil
Opis ferente Apolline.
Nil scire refert amplius,
Tua aut sua. in tuam rē abi.

Lilius Gyraldus Prot. Apost. mortalitatis memor, annum agens LXXII. V. S. P.C. Anno M. D. L.

In coenobio Dominicanorum supra ostium Bibliothecæ ad Cælii Calcagnini tumulum.

Ingredientibus.

Cælius Calcagninus Ap.S. protonot. vivus sibi posuit. Hoc scilicet deerat temeritati humanæ, ut eorum curam susciperet, quæ neq; vivis neq; mortuis essent profutura.

Exeuntibus.

Cúm Cælius Calcagninus nihil magis optaverit, quám de omnibus, pro fortunæ captu, optimé mereri: decedens Bibliothecam, in qua multó maximam ætatis partem egit, in suorum civium gratiam publicavit, & in ea se condi mandavit. Tu quisquis es, rogo, ut hominis B. M. manibus Deum propitium preceris. Ex diuturno studio inprimis hoc didicit, Mortalia contemnere: et ignorantiam suam non ignorare.

Ad Dominici.

Cæsar, Alexander, tumulo Trajanus in isto
Clauduntur, nec tres clausos tenet urna, sed unum,
Scilicet Estensem, sublatum in sidera Borsum,
Cujus erant mores tantorum in pectore regum.

Jani Pannonii, Episcopi Quinq-ecclesiensis, Poëtæ celeberrimi.

Hic situs est Janus, patrium qui primus ad Istrum
Duxit laurigeras ex Helicone deas.

Hunc saltem titulum livor permitte sepulto,
Invidia non est in monumenta locus.

IN TEMPLO CATHEDRALI.

Ludovici Ariosti humantur ossa
Sub hoc marmore, seu sub hac humo, seu
Sub quicquid voluit benignus hæres,
Sive hærede benignior comes, seu
Opportuniús incidens viator.
Nam scire haud potuit futura. sed nec
Tanti erat vacuum sibi cadaver,
Ut urnam cuperet parare vivus.
Vivens ista tamen sibi paravit,
Quæ scribi voluit suo sepulcro,
Olim si quod haberet is sepulcrum.
Ne cúm spiritus hoc brevi peracto
Præscripto spacio misellus, artus
Quos ægré anté reliquerat, reposcet,
Hac & hac cinerem hunc & hunc refellens,
Dum noscat proprium, diu vagetur.

AD BENEDICTI.

Ludovico Arioſto, Poëtæ patritio Ferrarienſi, Auguſtinus Muſtus tanto viro, ac de ſe bene merenti, tumulum & effigiem marmor. ære proprio P.C. An.S.1573. Alphonſo II. Duce. Vix. an. LXIX. Obiit anno 1533.

Heîc Arioſtus eſt ſitus, qui Comico
Aureîs theatri ſparſit urbanas ſale:
Satyraq; mores ſtrinxit acer improbos.
Heroa culto qui furentem carmine,
Ducumq; curas cecinit atq; prælia.
Vates corona dignus unus triplici.
Cui trina conſtant, quæ fuere vatibus
Grajis, Latinis, viráq; Hetruſcis ſingula.

AD MARIAE DE PORTA.

Catharina Aurichalca, nec mulier, nec vir, at androgyna potius. quæ cúm ter modó mater eſſet, heîc, ô rem miſeram, jacet. cujus quidem nominis memoriam cupidus ejus vir ampliſſ. monimentis conſecrare, in ſui nomine, ſuiſq;

suisq; hęredibus, hoc commune statuit condi sepulcrum. XII. Kl. Apr. An. 1550.

AD CARMELITARUM.

Angeli Gambilionis de Aretio, perspicacium ingeniorum alumno, oriundi: perplexarum LL. enodatoris interpretisque: fama noti super æthera: summis ac infimis gratissimi integritate, comitate gravi, genere, divitiis b. modo partis, numerosa & ingenua liberorum sobole ornatiss. viridi senecta religiosissimé extincti, ossa hîc molliter quiescunt.

AD AUGUSTINI.

Sub unius ejusdemq; matronæ duplici effigie, Fortitudinis una, altera Justitiæ, epigramma hoc mysticum legitur:

Quæ sunt, pro his quæ non sunt: quæ si essent, pro his quæ cúm sint, non sunt: quæ videntur esse, pro his quæ clam sunt. In causa sunt, ut, qui estis, sitis.

IN BENEDICTI.

Franciscus Tombesius Principum Atestinorum, Herculis & Alfonsi, utriusque secundi, Procurator generalis, Joannes Baptista Fabricius, qui Jacobi, viri olim summæ fidei ac probitatis F. sibi posterisq; suis legitimis, nec non & uxori vivens fieri curavit, moris & mortis ergó. Anno salutis M. D. LXI.

IN PAULI.

Aliud.

Hunc tibi consensu tumulum Ferraria magno
Pro meritis posuit, clare Guarine, tuis.
Tu pater eloquii, gemina tu gloria lingua,
Præcipuus juvenum tu moderator eras.
Te duce nostra vigens studiis florentibus ætas
Pierio priscis certat honore viris.
Nec Verona minus tali se jactat alumno,
Quám veteres celebri nomine tollit avos.
Primus & extremus te noverat orbis, & ultra
Humanum virtus se tulit ista gradum.

At nos hic ſenio reſolutos condimus artus,
Candida ſydereas incolit umbra domos.

Obiit anno Salvatoris M. CCCC.LXXI.
die IIII. Decembris.

In Franciſci.

Aliud.

Gillino Epiſcopo Comaclenſi, utriusq; Juris Doctori, Comiti Palatino, & Equeſtri ordine inſigni, ampliſſimis Germaniæ, Galliæ & Romanæ Curiæ legationibus honorificé, & ad vota functo; & illuſtriſſimis Ateſtinæ familiæ Ducibus præcipué cariſſimo. qui tanta liberalitate in pauperes ſuas opes effudit, ut in acquirendis moderatiórne fuerit, an in elargiendis intemperantior, difficile ſit cognitú; & quem, annos natum LXXXII. vitam ſané, ſi ad labores, nimis diuturnam; ſi veró ad ejus virtutem, & patriæ deſiderium ſpectes, perbrevem, mors improba nobis eripuit: ſuperſtites pietatis ergó poſuerunt. Obiit autem XII. Cal. Januar. M. D. LIX.

Ibidem.

Gerardo Sarraceno Jurisconſulto, maxima apud Alfonſum Ferrariæ Ducem autoritate, & Franciſco ejus filio, item Jurisconſulto, tanta in foro nominis celebritate, ut litigatores acriús de eo ſibi patrono cooptando, quám de cauſa ipſa diſceptarent. Vixit annos LVI. Gerardus & Opizzo fratres, avo & patri monumentum hoc, qualecunque eſt, faciundum curaverunt, magnificentiús curaturi, ſi eis ſuam ipſorum pietatem magis, quám paternum teſtamentum exequi licuiſſet. Anno M. D. LVII. XIII. Cal. April.

In Mariae de Va.

Exteriús.

Quis fuerim, quid egerim, qui monumentum poſuerint, ſi tua ſcire refert viator, hanc ædem ingreſſus ſcito: manibus bona precare, ſicq; vive, ut &, cúm vixeris, vivas. Ex bonis defuncti poſitum, qui in interiori pariete ſepultus eſt.

Inte-

Interiús.

D. O. M.

Jacobo Cagnacino J. C. qui post perfunctos in patria summa æquitate Magistratus, ad publiceq; docendi munus, magna sui nominis gloria, doctrinæ ergó accersitus Ticinum, morte præventus obiit, anno M. D. L. Amici B. M. F. curarunt.

In aede sacra sanctae
Mariæ in monte.

Ænigma.

Quæ sunt, pro his quæ non sunt, quæ si essent, pro his quæ cúm sint, non sunt quæ videntur esse, pro his quæ clam sunt,

In causa sunt, ut, quod estis, sitis.

URBINATIA.

IN PALATIO.

Federicus Urbini Dux, Montis Ferretrii ac Durantis Comes, S. Rom. Ecclesiæ Confalonerius, atque confœderationis Imperator: hanc domum á fundamentis erectam, gloriæ & posteritati suæ ædificavit, qui bello pluries depugnavit: sexies signa contulit: octies hostem profligavit: omniumque præliorum victor ditionem auxit: ejusdem justitia, clementia, liberalitas & religio, pace victorias æquarunt ornaruntq;.

In Armamentario Ducis Urbinatis.

Ensis loquitur.

Son quella, che difende la ragione.
Non ti fidar di me, s' il cor ti manca.

In Bibliotheca
Ducis Urbini.

Sint tibi divitiæ, sint aureæ vasa, talenta

Plurima, ſervorum turba, gemmaq́; nitentes:
Sint veſtes variæ, precioſa monilia, torques:
Id totum hac longé ſuperat præclara ſupellex.
Sint aurati etiam niveo de marmore poſtes:
Et variis placeant penetralia picta figuris:
Sint quoq; Trojanis circundata mœnia pannis,
Et miro flagrent viridaria culta decore;
Extra intraq́; domus regali fulgida luxu:
Res equidem mutæ; ſed Bibliotheca pacata
Juſſa loqui, facunda nimis; vel juſſa tacere,
Eſt prodeſſe potens & delectare legentem.
Tempora & ipſa docet, venturaq́; plurima pandit,
Explicat & cunctos cæli terraq́; labores.

IN MUSAEO DUCIS.

Federicus Monfelinus, Dux Urbini, Montis Feretrii & Durantis Comes, ſereniſſimi regis Siciliæ Capitaneus generalis, ſanctæq́; E. R. Confalonerius. M. CCCC. LXXVI.

AD IMAGINES PRAESTANTIUM VIRORUM.

PLATONI

Athenienſi, humanæ divinæq́; Philoſophiæ antiſtiti celeberrimo Fed. dicavit ex obſervantia.

ARISTOTELI

Stagiritæ, ob Philoſophiam rité exacteq́; traditam, Fed. poſuit ex gratitudine.

CL. PTOLEMAEO

Alexandrino, ob certam aſtrorum dimenſionem, inductasq́; orbi terrarum lineas, vigiliis laboriq́; æterno, Fed. dedic.

M. TULLIO

Ciceroni, ob diſciplinarum varietatem, eloquentiæq́; regnum, Fed. D. P. P. P. ex perſuaſione.

L. BOETHIO

Ob cujus commentationes Latini M. Varronis Scholas non deſiderant. Fed. Urbin. Princeps P.

L. AN-

L. Annaeo Senecae

Corduben. cujus præceptis animus liberatur perturbationibus, excolituṙq; tranquillitas. Fed. erexit.

Homero

Smyrnæo, cujus poësin ob divinam disciplinarum varietatem, omnis ętas admirata est; assecutus nemo post. Gratitudo P.

D. Augustino

Ob sublimem doctrinam, cælestiumq; rerum indagationem luculentiss. post. edocti. F.C.

Mosae

Judæo, ob populum servatum, divinisq; animatum legibus, posteritas Christiana posuit.

Solomoni

Ob insigne sapiētiæ cognomen. Fed. homini divino P.C.

D. Thomae

Aquinati, cujus divinitas Philosophiæ Theologiæq; cōmentationibus ornata est, dicat ob virtutem egregiam.

Scoto

Ob sublimes cogitationes, cælestiumq; rerum assertationes accuratissimas, Fed doctori acutissimo P.

Pio

Secundo, P. M. ob Imperium auctum armis, ornatumq; eloquentiæ signis, Fed. posuit, magnitudini animi, laboribusq; assiduis.

Bessarioni

Græci Latiniq; conventus pacificatori, ob summam gravitatem, doctrinæq; excellentiam Fed. amico sapientiss. optimoq; posuit.

Alberto

Magno, ob res naturales, æmulatione Aristotelica perquisitas, immensis voluminibus. posteritatis curæ sanctissimæ B.M.P.

Xysto

Quarto, P.M. ob Philosophiæ Theologiæq; scientiam ad Pontificatum traducto. dicat benignitati immortali.

DANTI

Antigerio, ob propagatos numeros, poëticamq; varia doctrina populo perscriptam. posita B.M.

P. VIRGILIO

Maroni, ob illustrata numeris Heroicis Romanorum incunabula, Imperiiq; poëseos divinitatem, Fed. dedit furori sublimi.

EUCLIDI

Megarensi, ob comprehensa terræ spacia lineis centroq;, Fed. dedit, invento exactiss.

VICTORINO

Feltrensi, ob humanitatem, litteris exemploq; traditam, Fed. præceptori sanctiss. P.

SOLONI

Ob leges Athenienſibus traditas, Rom. tabularum seminario sanctissimo, Fed. P. ex studio bene instituendorum civium.

BARTOLO

Sentinati, acutissimo legum interpreti, æquissimoq;, Fed. posuit, ex merito & justitia.

HIPPOCRATI

Coo ob salubritatem humano generi datam, brevibusq; demonstratam comprehensionibus, bona posteritatis valetudo dicat.

PETRO

Apono, medicorum arbitro æquissimo ob remotiorum disciplinarum studium insigne Fed. P. cur.

D. GREGORIO

In cælum relato, ob morum sanctitatem, librorum quoque elegantiâ testatam, gratitudo Christiana memor erexit.

D. HIERONYMO

Ob fidei Christianæ præcepta, doctrina elegantiaque illustrata, Fed. æternitatis gratia posuit.

D. AMBROSIO

Ob spretos fasces consulares, susceptumque Christianum

num nomen,& ornatam Latini sermonis jucunditatem, Fed.P.

MONUMENTA FR. PETRARCHAE.

Ob acerrimum ingenium, suavissimæq; ingenuitatis doctrinam,posteritatis lætitia,lususq; dicavêre B. M.

ANTE INGRESSUM SACELLI.

Bina vides parvo discrimine ⌣ juncta sacello,
Altera pars Musis, altera sacra DEO *est.*

MANTUANA.

IN MANTUAM J. CÆSAR SCALIGER.

Maxima cúm veteri turgeret Hetruria regno,
Sceptraq; terrarum jungeret aucta mari:
Mole nova tumuit, soliisq; excrevit avitis,
Ut premeret forti jura aliena pede ⌣.
Inde est in superas deducta colonia terras:
Non tamen his potuit Mantua tota dari.
Clara viris, felix ducibus, divo inclyta cycno,
Quem vitreis aluit Mincias Andis aquis.
Mantua dives avis, magno non cesserit orbi,
Tota tamen parte ⌣ hac vincitur ipsa sui.

INSCRIPTIONES MANTUANÆ.

IN HORTIS DUCIS.

Plurimum facere, minimum loqui.
Ignem gladio ne fodias.
Tace, quod taceri vis.
Tempus nosce.
Aura fave.
Amor non imperatur.

Si vis amari, ama.
Nec ſpe, nec metu.
Feras, non culpes, quod mutari non poteſt.

IN PRIVATI CUJUSDAM DOMO
ad imagines clarorum virorum.

M. CURIUS.

Præſtat locupletibus imperare, quám fieri locupletem.

FAB. MAXIMUS.

Non minús cunctatione, quám celeritate hoſtes devincuntur.

ALEX. MAGNUS.

Virum diu fidelem criminanti, non facilé credendum.

T. VESPASIANUS.

Liberalis pro facultate ſubſtantiæ ſuæ merentibus libenter impertitur.

A. CECIN. J. CAESAR.

Sola clementia principes Deo facit æquales.

EPAMINONDAS.

Veré naſcitur, qui ſic pro patria moritur.

CN. POMPEJUS ET TIGRANES REX.

Pulchrum eſt regem vincere.
Pulchrius veró facere.

AD FRANCISCI.

Si neq; fata queunt animos ſejungere amicos;
Æternúm heîc Blanca eſt Julius & Probitas.

D. O. M.

Si fata venderent aut permutarent animas;
Julium Gonzagam probitas redimeret,
Et uxor vita permutaret propria.
At quia neutrum licet; probitas raptum luget.
En uxor Biancha amoris aqué ac doloris
Hoc illi monumentum vivens collocat.
Kl. Jan. An. 1531.

IN TEMPLO CATHEDRALI.

Adventare mihi extremam dum suspicor horam;
Ossibus hac posui vivus in æde domum.

IN IMAGINEM RESURGENTIS.

Nos quoq; qui solus superata morte revixit,
Sumpturos carnem rursus & ossa monet.

IN PALATIO FERRANDI
Gonzagæ.

Catella Viola Lucinam infeliciter experta, hîc sita sum: Hoc lusus, hoc fides meruit monumentum. Quid mirare? Fides ipsa canes cæli incolas facit.

D. O. M.

Nazario Scopulo Jurisconsl. Equiti sac. Later. Pal. ac Cæsar. aulæ, & Imp. Consl. Comiti Palatino, qui cum Triden. Bon. Flor. ampliss. magistratib. functus esset, Mantuæ demum sub Fed. Fran. Gul: q; Principib. Senat. & audit. XL. annos de Jure respondit, atq; adeó integerrimé & sanctiss. munus obivit, ut maximum desiderium sui nemini non reliquerit. Anton. Parasia conjugi car. P.C. Anno sal. M. D. LXIX. Natus Prid. Kl. Mart. M. CCCC. LXXXVII. Obiit VI. Id. Febr. M. D. LXVIII.

LAELIO CAPILUPO
Benedicti F.

Mantua te Læli meritó se jactat alumno.
Nam Maro qua sonuit tu quoq; voce sonas.
Et tua sint quamvis ex omni parte Maronis
Carmina; non eadem qua canit ille canis.
Non igitur mirum si te modó Mantua ademtum
Certatim spargit floribus & lacrymis.

Vix. annos LXII. dies XV. ☉.
An. M. D. LX. III. Jan.

AD FRANCISCI.

D. O. M.

Fatis Hippolyto impiis ademto
Maximo Alterica domus honore,

Consulto egregio utriusq; Juris,
Oratoreq; & optimo Poëta,
Deplorat pater, ingemunt clientes:
Silet Manto, Aonidesq; lacrymantur.

Qui obiit anno sal. M. D. LXIX.
ætat. suæ XXXVIII.

In Francisci.

Annibal Constantius Neapol. eques, præsidio equestri Principis præfectus, sibi ac Scipioni Çalderino, qui sæpius Ordin. duxit, vivens faciundum curavit, ne quos benivolentiæ charitas, in vita arctiss. vinculo cõjunxerat, in morte dijungerentur.

Aliud.

Hospes Alexander triplici clarissimus are
Hic cubat, hic sacer est manibus iste locus.
Sive sonum malles, sive instrumenta sonora;
Nec melior psaltes, nec faber ullus erat.
Regia nemo pari tornabat vasa decore,
Sive as, seu gemmas, sive tenebat ebur.
Majori superos nemo pietate colebat.
Qui legis ergó pia dic pia verba anima.

In D. Francisci.

Quæso anima fidelis, Ah quid respondere velis Christo venturo de cælis,
Cúm á te poscet rationem, Ob boni omissionẽ, Et mali commissionem?
Dies illa dies iræ, Quam conemur prævenire, Obviamq; Deo ire
Seria contritione, Gratiæ apprehẽsione, Vitæ emendatione.
Dies iræ dies illa, Solvet seclum in favilla, Teste David cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus, Quando judex est venturus, Cuncta stricté discussurus?
Tuba mirum spargens sonum, Per sepulchra regionum, Coget omnes ante thronum.

Mors

Mors ſtupebit & natura, Cúm reſurget creatura, Judicanti reſponſura.

Liber ſcriptus proferetur, In quo totum continetur, Unde mundus judicetur.

Judex ergo cúm ſedebit, Quidquid latet, apparebit, Nil inultum remanebit.

Quid ſum miſer tum dicturus? Quem patronum rogaturus? Cúm nec juſtus ſit ſecurus:

Rex tremendæ majeſtatis, Qui ſalvandos ſalvas gratis, Salva me fons pietatis.

Recordare Jeſu pie, Ne me perdas illa die, Quód ſum cauſa tuæ viæ.

Quærens me ſedisti laſſus, Redemisti cruce paſſus, Tantus labor ne ſit caſſus.

Juſte judex ultionis, Donum fac remiſſionis, Ante diem rationis.

Ingemiſco veré reus, Culpâ rubet vultus meus, Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam abſolviſti, Et latronem exaudiſti, Mihi quoq; ſpem dediſti.

Preces meæ non ſunt dignæ, Sed tu bone fac benigné, Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum præſta, Et ab hœdis me ſequeſtra, Statuens me parte dextra.

Confutatis maledictis, Flammis acribus addictis, Voca me cum benedictis:

Ut conſors beatitatis, Vivam cum juſtificatis, In ævum æternitatis.

AD BENEDICTI.

MATILDIS COMITISSA FUNDATRIX.

Si quid eſt, á Deo eſt.

Stirpe, opibus, forma, geſtis, & nomine quondam
Inclyta Matildis heîc jacet, aſtra tenens.

IN SUMMO TEMPLO.

Donec immortalitatem producat Cæſar Anſagus, ſui reliquum huc aſſervandum dedit.

AD FRANCISCI.

Antonio Grado Medico, Lucia Grota, de quo nihil nisi mortem questa, invita superstes conjugi b. m. & sibi F. vix. ann. 62. m. 5. d. 7. In matrimonio fuit ann. 33. d. 14. sine discordia.

PETRI POMPONATII
Mantuani.

D. M.

Hìc sepultus jaceo. Quare? nescio. nec, si scis aut nescis, curo. Si vales, bene est. vivens valui. Fortasse nunc valeo. Si, aut non; dicere nequeo.

ALBERTINO PAVESIO

Ingenuis artibus erudito Ludovicus filio p.

Intempesta mihi cur te mors abstulit? heu heu
Debueras oculos claudere nate meos.

IN BARBARAE.

Amici mei omnes desinite luctu quietem nunc meam rumpere. Vixi namque ut morerer: mortua sum ut viverem: vobiscum victura demum, cùm mortua mors fuerit. Dominicæ uxori dilectiss. Vincentius de Ferratis, & filii matri bene merenti pos. Anno M. D. LV.

FRANCISCI GISULPHI

Ex antiquissimo Longobardorum sanguine hîc ossa clauduntur, donec immutatio veniat, & corruptibile hoc incorruptibile induat, & mortale immortalitatem.

PATA-

PATAVINA.

IN PATAVIUM J. CÆSAR SCALIGER.

Hùc antiqua deûm domus Ilium, & inclyta bello
Robora, Dardanios exposuere Lares.
Decepti patrias, non victi, amisimus oras.
Perpetuis res est Græca valere dolis.
Qui vicere, suos ideo amisere penates:
Ast nova sunt profugis regna parata viris.
Arma decent Teucros, vafros sapientia Grajos:
Victis Euganeis pectus utrumq; dedi.
Regna vides Veneto Phrygiis majora ruinis:
Atticaq; á Patavo pectore terra capit.

INSCRIPTIONES.

Supra tribunal Curiae.

Excute manus ab omni munere: partes patienter audi: benigné responde: justé judica.

Ibidem ad imaginem Leonis, cui homo supplex.

Parcere subjectis scit nobilis ira leonis;
Tu quoq; fac simile, quisquis regnabis in orbe.

Ibidem sunt imagines praecipuarum virtutum cum his inscriptionibus:

Prudentiæ imago inter circinum & speculum.

Conscia prateriti, præsens adverto; futurum
Prævideo, humano dominans prudentia sensu.

Justitia inter gladium & bilancem.

Reddo cuiq; suum, sanctis & legibus omne
Concilio mortale genus, ne crimine vivat.

Fortitudo inter clavam bellicam & columnam.

Conſtans adverſis, caſu frenata ſecundo,
Magna paro excelſis animis, & fortibus auſis.

Temperantia inter binas menſuras.

Contineo motus animi, tempusq́, locumq́,
Et moderata, modum cunctos diſtinguo per actus.

Fides inter crucem & calicem.

Sacra fides ſedeo, magnæ Deitatis alumna,
Una ſalus animis, & claro prævia cælo.

Spes ad ancoram.

Spes ego divinis aſpiro nutibus, altis
Inclyta propoſitis, certó ventura figurans.

Charitas inter roſas & pateram.

Cura deûm, & cara hominesq́ dilectio pacis
Nuncia complector, flagranti pectore vivens.

COMMUNE, SUB IMAGINE VIRI LACERI ET cruenti, cui ab utroq; latere tres aſtant ipſum ſpoliantes & dilaniantes, additi verſus:

Sic me dilacerat, ſic me genus omne cruentat,
Heu nulla hos pietas, nulla hos clementia tentat.

IBIDEM:

Conſervatio civitatis, unio.

Et in cippo erecto:

Lapis ignominiæ & ceſſionis bonorum.

IN EADEM CURIA T. LIVII CAPUT VIDEtur, *ſine barba, collapſis genis, fronte rotunda, lineis rectis, auriculis longiuſculis, naſo acuminato, cum inſcriptione antiqua & recentiori.*

V.F.T. Livius, Liviæ, T.F. quartæ legionis, halys concordalis, Patavi, ſibi & ſuis omnibus.

DELPH. PET. MATTH.
DELPH. FIL. M. DAND. F.

OSSA

Ossa tuumq; caput cives tibi maxime Livi
Promto animo hic omnes composuere tui.
Tu famam aeternam Romæ patriæq; dedisti,
Huic oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat patria hæc; & si majora liceret,
Hoc totus stares aureus ipse loco.

Titus Livius, IV. Imp. Tib. Cæsaris anno, vita excessit, ætatis verò suæ LXXVI.

PRAETOR JUST. EQ. PRAEF. OPT.

IBIDEM.

Inclyto Alphonso Arragonum regi, studiorum fautori, Reip. Venetæ fœderato, Antonio Panormita Poëta, legato suo orante, & Matthæo Victurio, hujus urbis prætore constantissimo intercedente, ex historiarum parentis T. Livii ossibus, quæ hoc tumulo conduntur, brachium Patavi cives in munus concessere, anno Christi millesimo quadringentissimo quinquagesimo primo. XIV. Kal. Septemb.

In globo alicubi dependente.

Maxilla & lingua T. Livii in hoc globo continentur.

ITEM:

OSSA

T. Livii Patavini, unius omnium mortalium judicio digni, cujus propé invicto calamo, invicti Pop. Rom. res gestæ conscriberentur.

SUB NOVA T. LIVII IMAGINE *hoc elogium est.*

T. Livius Patavinus, historicorum Latini nominis facilé princeps, cujus lacteam eloquentiam ætas illa, quæ virtute pariter ac eruditione florebat, adeó admirata est, ut multi Romam, non ut urbem rerum pulcherrimam, aut urbis & orbis dominum Octavianum; sed ut hunc unum inviserent, audirentq;, á Gadibus profecti sint. Hic res omnes, quas populus Romanus pace belloque gessit,

quatuordecim Decadibus, mira styli facilitate complexus, sibi ac patriæ gloriam peperit sempiternam.

LIBRO QUEM IN MANU TENET *Livius, inscriptum est.*

Parvus ignis, magnum sæpé suscitat incendium.

IBIDEM.

PAULUS PATAVINUS, Jurisconsultorũ clarissimus, huius urbis decus æternum, Alexandri Mammeæ temporibus floruit, ad præturam, præfecturam, consulatumque evectus. Cujusq; sapientiam tanti fecit Justinianus Imperator, ut nulla Civilis Juris particula hujus legibus nõ decoretur, qui splendore famæ immortalis, oculis posteritatis admirandus, insigni imagine hac meritó decoratur.

IN PRAETORIO PATAVINO, SUB *imagine C. Valerii Flacci.*

C. Valerius Flaccus, Patavinus, carmine heroico labores Argonautarum decantavit, quod opus fato preventus imperfectum inemendatumq; reliquit, cum sui magno desiderio illorum temporum studiosis, imó vel testimonio Fabii Quintiliani, conquerentis, nuper in Valerio Flacco multum amissum esse. nec tacuit M. Valerius Martialis, Tellurem Aponam non minus gaudere Stella & Flacco, quám suo Livio. ad quem etiam scribens, alumnũ & spem laris Atenorei eum appellat. Floruit sub Vespasiano & Tito, pervenit & ad imperium Domitiani, eo genere carminis, ætatis suæ nemini secundus.

IBIDEM.

Q. Asconius Pædianus Patavinus, Orator, in M. T. Ciceronis orationes scriptor egregius, quẽ Laurentius Valla, vir doctissimus, Aul. Gellio doctiorem dicere non dubitavit. Plæraq; alia scripsit, ex testimonio virorum doctorum, quæ á studiosis linguæ Latinæ desiderantur.

ASINIUS STELLA

Patavinus, columbam in deliciis amicæ Jantidis, elegiaco versu

versu deflevit, quo genere carminis adeó excelluit, ut Marcus Valerius Martialis, ipsum Val. Catullo anteferre sit ausus, suo Epigrammate affirmans Stellam tanto majorem Catullo, quanto passere major est columba. Papinius etiam Statius jure sodalitii sibi junctus, elegātissimo Epithalamio suas cum Violantilla nuptias celebravit, quibus novem Musæ cum Elegia non abfuerunt. Opus Elegiarum, fatorū invidia desideratur. Floruit temporibus Domitiani, nec de ipso aliud compertum haberi potest.

IN TEMPLO FRANCISCANORUM.

CHRISTOPHORO LONGOLIO Romanam civitatem propter insignem in studiis literarum præstantiam adepto, summo ingenio, incredibili industria, omnibus bonis artibus prædito, supra juventæ annos: in qua extinctus est magno cum Italiæ dolore, cui ingentem spem suī nominis excitaverat.

P. Bembus, amico atq; hospiti posuit.

Te juvenem rapuere Deæ fatalia nentes
Stamina, cúm scirent moriturum tempore nullo,
Longoli, tibi si canos seniumq; dedissent.

AD LAURENTII.

Inclytus Antenor, patriam vox nisa quietem,
Transtulit huc Henetúm Dardanidumq; fugas.
Expulit Euganeos, Patavinam condidit urbem,
Quem tenet hic humili marmore casa domus.

Ibidem tumulus

T. LOVATI PADUANI, MILITIS,
Judicis & poëtæ.

Id quod es, antè fui, quid sim post fata, requiris?
Quod sum, quicquid id est, tu quoq; lector eris.
Ignea pars cælo, casæ pars ossea rupi,
Lectori cessit nomen inane Lupi.

D. M.

Mors mortis, morti, mortem si morte dedisset;
Hic foret in terris, aut integer astra petisset:

Sed quia dissolvi fuerat sic juncta necesse;
Ossa tenet saxum, proprio mens gaudet in esse.

V. F.

Obiit anno nati Christi 1309. septimo die intrante Martio.

IN DOMO MANTUAE J. C.

Cui renidet hortus undiquaq; floseulis,
Animumq; nullis depositum dotibus
Squalere patitur; is præposteré facit.

IN HORTI MEDICI VESTIBULO.

I. Portam hanc decumanam ne pulsato ante diem Marci Evangelistæ, nec ante horam XXII.

II. Per decumanam ingressus, extradecumanam ne declinato.

III. In viridario scapum ne confringito, néve florem decerpito, ne semen fructúmve sustollito, radicem ne effodito.

IV. Stirpem pusillam, succrescentemq; ne attrectato: néve areolas conculcato.

V. Viridarii injuria ne afficiuntor.

VI. Nihil invito præfecto attentato.

VII. Qui secus faxit, ære, carcere, exsilio mulctator.

AD EREMITANORUM.

Heu pascor á latere.
Heu lactor ab ubere.
Positus in medio,
Quó me vertam nescio.

AD FRANCISCANOS.

MESSIAE HOC EST.

Sum quod eram: nec eram quod sum: nunc dicor utrumq;

ALIBI HOC:

Censum ne superet sumtus.

EPITAPHIUM HECTORIS Pyrgoteli.

Virtuti æquales annos quia Parca putavit,
Te rapuit juvenem, dum putat esse senem.

Pectore

Pectore ſervabas memori crinitus Apollo
Ad medicam quicquid contulit unus opem.
Sed quia temporibus ſuperis neq; ſubdita virtus;
Hector eris, donec lumina Solis erunt.

D. M.

Franciſci Curtii Ticinenſis Juris interpretis. Vixit annos LXX. Jus profeſſus Ticini & Patavii.
Solius temporis honeſta avaritia.

ALIUD.

Jo. Baptiſtæ Amyco Coſentino, qui cúm omnes omnium liberalium artium diſciplinas miro ingenio, ſolerti induſtria, incredibili ſtudio, Latiné, Græcé atq; Hebraicé feliciter percurriſſet; ipſo adoleſcentiæ, ſuorumque laborum & vigiliarum curſu pené confecto, á ſicario ignoto, literarum, ut putatur, virtutisq; invidia interfectus eſt. N. F. amico opt. ſtudioſſ. omnibus, totaq; civitate Patavina mœrente, triſtiſſ. P. Anno M. D. XXXVIII.

Præmia quæ referunt aliis, vitamq; perennem
Virtutes: uni huic cauſa fuere necis.

In imaginem Sirenum canentium.

Gaudia qui nunquam quæris peritura, loquaces
Has fuge, quæ dulci triſtia voce parant.

TUMULUS JACOBI VENETI *Architecti.*

Jacobo Veneto, horologii miræ pulcritudinis, cum totius cæli curſu, magiſtro, æſtuariis exhauriendis, fluminibus regendis, multum á principe & patribus exhibito, quem civitas univerſa faciebat plurimi: viro ingenii magni rectiq; Jo. Paul. F. Patri B. M. P. M. D. XXXIII.

Quicquid habes hodie, cras te fortaſſe relinquet,
Aut modó dum loqueris deſinet eſſe tuum.

IN D. SOPHIAE TUMULUS ELISABETHAE Bonfiæ in partu unâ cum fœtu extinctæ.

Insigni probitate jaces fidissima conjux
Elisabetha, meæ maxima pars animæ.
Mors tulit una duos: te prima parte juventæ,
Et nondum natum morte necat puerum.
Quid moror, infelix? cur non & vestra secutus
Fata, cado, heu bis virq; paterq; miser?
Bonfius extremum vobis hæc munera tristis,
Et pater & conjux reddit Aloysius.

IN AEDE SERVORUM MARIAE.

TUMULUS *PAULI DE CASTRO* J.C.

Paulus de Castro J. C. disertiss. maximæ authoritatis apud omnes habitus; quod Florentia testatur, cujus jus municipale innovavit, & in ea conjugatus Petræ uxori, Vicariatus officium in spiritualibus Rom. Pont. decreto exercuit, ubi etiam in Bononiensi & Patavino Gymnasiis publicé profitendo floruit, æternamque sibi gloriam comparavit, relinquens consiliorum & in Jure volumina plurima edita, quæ inter manus versantur, & ipsius Angelus filius, clarus ingenio, amborum Jurium tenens fastigia, XL. annos Patavii Jura docuit, eoq; Nicolaus Canonicus Paduanus, qui ab his processit, utramque & ipse parentum virtutem adeptus, hoc immortalitatis opus ipsis

Consecravit anno M. CCCC. XCII.
Paulo de Castro avo, & Angelo patri,
Nicolaus suo ære donavit. 1499.

IN D. PETRI.

Wolfgango Schurfio Germano, adolescenti optimo, quem non sine magno dolore suorum, quibus præclaram spem nominis sui excitaverat, mors immatura sustulit: Sebastianus Zottus á Pernegk, studiorum socio, de se B. M. P. Ob. III. non. Sext. Anno 1537.

IN S. MARIÆ.

FRANC. CASSANI MEDICI.

Hic dedit antiquæ quod erat mortale parenti,
Cassanus medicæ maximus artis honor.

D

Is Pedemontana tantum decus attulit oræ,
Quantum olim Cois civibus Hippocrates.
Ecce senescenti inferior, sed magnus Apollo
Dum timet, heu cælo maluit esse parem.
Conditur hic corpus, terreno carcere liber
Spiritus astra colit, fama per ora volat.

Ob. anno M. D. XLI. XX. Octob.

Cassanus liquit corpus mortale sepulcro,
At laus præstantis non peritura viri est.

IN SANCT. ANTONII.

Tumulus Gabrielis Fallopii Mutinensis.

Fallopi hoc tumulo solus non conderis, unâ
Est pariter tecum nostra sepulta domus.

Gabrieli Fallopio Mutinensi, viro omnium doctrinarum, tum præcipuè utriusq; Medicinæ laudibus ornatissimo, eidemq; stirpium & Anatomiæ publica professione clarissimo, Franciscus Fallopius Canonicus Mutinensis, patris ejus patruelis, mœstissimus, pro tempore, posuit. Vixit annos XXXIX. Obiit VII. Id. Octob. M. D. LXII.

Ad imaginem P. Bembi.

Petri Bembi Cardinalis imaginem Hieronymus Quirinus Ismerii F. in publico ponendam curavit: ut cujus ingenii monumenta æterna sint, ejus corporis quoque memoria ne á posteris desideretur. Vixit annos 76. m. 7. d. 29. Obiit 15. Kal. Februarii. Anno 1547.

Raphaelis Fulgosii Jurisconsulti.

Fulgosus Raphaël virtutum jaspis, utroq;
Jure stupor, tantus qui fama, quantus & orbis,
Scriptis morte vacat, tam parvo clauditur antro.

Eidem.

Emerita prædigna gerens cognomina laudis
Fulgosus Raphaël conditur hoc tumulo.
Consuluit nemo melius, fulsitq; docendo
Cæsareas Leges, Juraq; Pontificum.

Claruit eloquio, quem blanda Placentia forma,
Et genere insignem, mente piumq́, dedit.

Cujus anima in pace quiescat.

Leonici Thomaei.

Leonico Thomæo Veneto, mitioribus in literis, pangendisq; carminibus, ingenio amabili, Philosophiæ veró in studiis, & Academica Peripateticaq; doctrina præstanti. Nam & Aristotelicos libros Græco sermone Patavii primus omnium docuit publicé, scholamque illam á malis Latinis interpretibus inculcatam, perpolivit: & Platonis majestatem nostris hominibus jam propé abditam restituit: multaque præterea scripsit, multa interpretatus est, multos claros viros erudiit. Præter virtutem bonasq; artes, tota in vita nullius rei appetens. Vixit autem annos LXXV. m.I. d.XVII.

P.Bembus amico incomparabili P.C.ascripto carmine quod sibi vivus fecerat.

Νῦν ὄνλως ἀδεὴς καὶ ἄελπις ἐπὶ πλάκι τῇδε
Ὕπνον ἐκοιμήθην πᾶσιν ὀφειλόμενον.

Aliud.

Henrico á Cram, Germano, Saxoni, ex nobili familia, summæ pietatis, raræq; modestiæ adolescenti continentissimo, ingenio humano erga omnes, & præcipué pauperes liberali, optimarum artium cognitione, & Juris Civilis sciētia ita instructo, ut suis magno decori esset, Reip. ornamento maximo futurus. Postquam absoluto pené studiorum cursu, in ipso reditu ad suos, acerbissima febri oppressus, animam Deo, corpus terræ, amicis summo sui desiderio relicto, reddidisset; Ascanius frater pientissimus, cum sorore mœstissima posuēre. Ob. anno M. D. XLV. Octob. XXIX. Vixit annos XX. Procurabant Bartholdus á Mandeslo, Conr. Filius, & Nævius.

O spes fallaces, curæ, vaniq́, labores!
Omnia mors abolet, anxia vita nihil.
Disce mori, nec te ludat spes vana juventa.
Nam nescis statuant quem tibi fata diem.

For-

FORMULA DEDICATIONIS ARAE ANTIqua, propè pontem D. Benedicti, ubi etiam aræ illustrium virorum Andreæ Naugerii, & Hieronymi Fracastorii imagines conspiciuntur.

L. Ælio Cæsare Imp. P. C. Ælio. P. E. Balbino Vibullio. Pio. Coss. VII. Idus Octobres. Cn. Domitius. Valens. II. Vir. I. D. Præeunte C. Julio. Severo. Pontific. legem dixit in ea verba, quæ infrá dicta sunt.

Juppiter Optime Maxime. Quandoq; tibi hodie Aram dabo dedicaboque: ollis legibus, ollisq; regionibus dabo dedicaboq;, quas hîc hodie palám dixero, ut infimum solum hujus Aræ est, si quis hîc hostia sacrum faxit, quod magmentum nec protollat, idcirco tamen probé factum esto. CE. RA. Leges huic Aræ eædem sunto, quæ aræ Dianæ sunt in Aventino monte dictæ, hisce legibus, hisce regionibus, sicuti dixi, hanc tibi aram Juppiter opt. max. dico dedicoq;, uti sis volens propitius mihi, collegisq; meis, decurionibus, colonis, incolis Coloniæ Martiæ Juliæ Salonæ, conjugibus liberisq; nostris.

IN PORTA OMNIUM SANCTORUM.

M. ANTONIO LAUREDANO
Præfecto.

Hanc antiquissimam urbem, literarum omnium asylum, cujus agrum fertilitatis sumen natura esse voluit, Antenor cõdidit, anno ante Christi adventum C C. XVIII. Senatus autem Venetus his belli propugnaculis ornavit, Leonardo Lauredano Duce Venetorum invictissimo, cujus Principatus varias fortunæ vices fortiter superavit. Anno Christi natalis M. D. XVIII.

Ibidem legitur.

Tardiús Deo videtur veniã peccatori dare, quám peccatori veniam accipere.

AD VIRGINEM MARIAM.

Nascèris ô cæli jubar, ô spes unica mundi,
Nascèris ut victo dæmone regnet homo.

Tecum omnis pietas, tecum omnis gratia virgo
Est nata, ex te omnis, quam miser opto, salus.
Culpa mea heu magna est, tua major gratia, veré
Dulcis amor, pendes in cruce ⌣ vita mea.
Ut nasci pro me voluisti conditor orbis;
Orbis ita assertor vis patiendo mori.

EPITAPHIUM REINERII ARSENDI, qui fuit Bartoli præceptor.

Lucia quem genuit Reinerius alma quiescit ⌣
Hoc saxo legalis apex, venerabile ⌣ numen.
Legibus in mundo, Juris summusq; Monarcha;
Fidum consilium dubiis, rationis amicus.
Hoc pereunte perit legum veneranda potestas:
Virtus strata jacet cælo viduata paterno.
Huc huc verte oculos, lacrymas hîc funde ⌣ benigno
Plebs studiosa patri. quia vix, hanc passa ruinam,
Heu tantum seclo damnum relevare ⌣ futuro
Compos eris, natumq; fleas Arsenda propago.

AD S. ANTONIUM IN LAPIDE LYDIO.

Hanc Alexandri Contareni Venetæ Classis cum summa potestate fortissimi Legati, Divi Marci procuratoris, quem nec venti in periculosissimis Reipub. temporibus retardarunt unquam, & Hariadenus Barbarossa Othomanicæ classis Imperator potentiss. sæpé timuit: tam admirabili artificio ductam effigiem, magni indicem animi, præclarumq; totius maritimæ disciplinæ simulacrũ, ut posteritas haberet, quod instar immortalitatis ac gloriæ unicé coleret; nec quicquam Patavino splendori deesset: Petrus & Randulphus frat. op. p. Vixit an. LXVII. dies VIII. Obiit Kal. April. M. D. LIII.

IBIDEM.

Francisco Robortello Utinensi, Rhetoricæ artis moralisq; Philosophiæ Professori clarissimo, qui in florentissimis quibusq; Italiæ Gymnasiis magna famæ celebritate triginta totos annos publicé docuit: Natio Germanica præceptori bene merito, in perpetuam grati animi memoriam

moriam unanimis P. Vixit annos L. menses VI. dies IX. Obiit XV. Kal. April. M. D. LXVII.

Consiliario Carolo Frolich á Frolichsberg.
Procuratoribus Georgio Rotmairo, & Hugone Jacobi Roterdamo.

D. O. M.

Nobilissimo Juveni Alexãdro Tertio Bergomati, summæ in Deum pietatis, Legumq; ac cæterarum virtutum omnium studiosissimo, mira sui expectatione relicta: Ludovicus Tertius Jureconsultus, ac Ludovica Tertia mœstissimi parentes posuerunt. Vixit annos XXIII. menses V. & dies III. sanctissimé obiit in Domini DEI Jesu invocatione, XXIV. Martii, hora XXII. M. D. LXX. ea fuit sacra dies Dominicæ passionis.

ALIUD.

HIERONYMO LOSETTO Bergomensi, quem repentè ornatum Doctoris insignibus mors invida eripuit, ne optimo Juvenis ingenio, arte medica sibi obsisteret. Joh. Bapt. pater mœstiss. P.

Vixit annos XXVIII. m. I. d. VIII.
Obiit ann. M. D. LXXII.

D. O. M.

Anton. Bona Nob. Ragusin. cúm per aliquot annos in celeberrimis Italiæ Gymnasiis, Philosophiæ maxima civium suorum spe operam dedisset; fortunæ, corporis & animi dotibus ornatissimus, atq; unicum matris solatium, morte immatura sublatus est. prid. Id. Maji. M. D. LVIII. annos natus XXI. menses IX. dies XIX.

ALIUD.

Illustri & probatiss. Juveni Alopsio Vici Comiti, cúm propediem multis ac magnis virtuti suæ ac studiis debitis honoribus decorandus honestandusque videretur; præmatura morte surrepto, Joan. Gaspar pater mœrens P. Obiit anno ætatis suæ XXIII. VII. Cal. April. M. D. LXIII.

S. D. G.

Non ſum Ulyſſes Venturius, ſed fui, & ero. Nec Senæ amplius, nec Roma, ſed cælum patria eſt. Eques fui D. Pauli, in equitem nunc Chriſti commutatus. Quos non conſpecturus in terris dereliqui mœſtiſſimos, expectabo conſpecturus in cælis lætiſſimos. Jure Cæſareo ſupra ætatem fui ornatiſſimus: cupiensq; ejus ſcrutari originem; ad naturam acceſſi, primamq; ejus implevi legem: Orta moriantur: idque feci: Anno ſal. M. D. LXX. ætatis verò XXIII.

D. O. M.

Philippus de Gregoriis Siculus, claro inter Meſſanenſes genere natus, U. J. D. juvenis egregia doctrina, ſumma ſuavitate morum, omnibus naturæ fortunæq; bonis cumulatiſſimus hîc ſitus eſt. Qui cúm á præſtantiſſimę utriusq; laudis faſtigio ob divinum, quo pollebat, ingenium, proximé abeſſet, fati importunitate omnibus lugentibus, ætate florente ſublatus. Vixit annos XXIX. menſes III. dies V.

D. O. M.

Janua gloriæ virtus eſt; per hanc ingreſſus Jo. Paulus Conradus ætate adoleſcens; morum integritate & ſtudiorum maturitate ſenex, citó eam aſſecutus eſt. Propterea Talleacotio ſui generis patria derelicto, Patavium ſtudiorum ſibi ſimilium patriam attingens, in eoq; impurum, non niſi purum repetiturus, exuens, in patriam æternæ gloriæ evolavit. Præcox ingenium præcocia cuncta ſunt ſubſecuta. Diuturniorem tamē hanc in terris memoriam fieri M. Propertius mœſtiſſimus curavit. Sexto Kal. Octobr. hora XXIII. ſatisfecit naturæ M. D. LXX.

D. O. M.

Alexandro Sirenæ Fulginati generis nobilitate & morum elegantiâ ac probitate ornatiſſimo, aliarumq; bonarum artium, ac potiſſimúm Latinæ Hetruſcæq; Poëticæ peritiſ-

peritissimo. cum quo totius Sirenæ familiæ, cujus unicũ erat germen, spes omnis extincta est. Baptista Sirena, & Columna Pontana parentes mœstiss. turbato heu naturæ ordine filio optimo & dulcissimo P. C. Vixit annos XXV. menses V. dies XXIV. Obiit III. non. Febr. M. D. LXIV.

Lactantius Brunas & Jo. Bapt. Elmus procurabant.

IN FRANCISCI.

D. O. M.

Erasmo á Kretchovv, Polono Palatinidæ Brzesten. Castellano Gnesnen. Pisdren. &c. Qui ann. ætatis suæ quinquag. obiit Patavii, die Maji XVI. M. D. LIIX. Amici P. P.

Hîc te Cretcovi mors & tua fata manebant;
Cúm terras omnes, & cúm maria omnia circum
Lustrares, nullo defessus membra labore.
Te rapidus Ganges, gelidæq; Borysthenis undæ,
Te Tagus & Rhenus, te ripa binominis Istri,
Et septemgemini noverunt ostia Nili.
Nunc concessisti magnum visurus Olympum,
Æthereasq; domos, ubi Diis immistus inanes
Et curas, & spes hominum, lamentaq; rides.

Et hoc de consensu nobilium de Lanzarotis, & ex eorum liberalitate.

IBIDEM.

Lazaro Bonamico Bassanensi, in quo uno totius antiquitatis memoriam, eruditionem, judicium & eloquentiam sibi redditam putans Europa, per annos XX. & I. Patavii admirata est. Catharina conjunx, & Lucretia senis animula, benemerenti posuere. Vixit annos LXXIII. Obiit III. Id. Febr. M. D. LII.

APUD EREMITANOS, UBI GERMANICÆ nationis sepulcretum.

Ne plores hîc amissos Germania natos,
Tempore quemq; suo fata locusq; manent.
Felices, ne conspiciant incendia mundi,
Ante mori summum qui potuere diem.

Cùm nutante brevi calum dabit axe ruinam:
Et tandem falsum non sinet esse Deum.

Anno Domini M. D. LXI.
Consiliario Nicolao Ribeysen. Procuratoribus Melchiore Haintzel, & Carolo Bambergo.

AD FRANCISCI.

Hieronymo Cagnolo Vercellensi, viro optimo, & in Juris Civilis scientia inter nostræ ætatis doctores eminentiss. & proptrea Taurini primùm, deinde Patavii, majori stipendio quàm quisquam alius Jus Civile magna cum laude atque omnium admiratione professo, nob. gen. ill. Ducis Subaudiæ munere Senatorio & Equestri dignitate perfuncto: fil. summa erga talem patrē pietate hoc mon. pos. Vix. ann. LIX. Obiit Kal. Februarii M. D. LI.

ALIUD.

Zacharias Delphin. præfectus Ci. pat. bello laboranti, in ipso hostium concursu animi magnitudine adductus, magistratum alacriter ingressus: mox accedēs collega Petrus Balbi, cunctæ civitati velut duo lumina fulserunt: sub eorumq; accuratissima administratione, discussis & feliciter fugatis tenebris, quibus urbs premebatur, confœderati exercitus Pontificis, Imperatoris, regis Gallorum & Hispanorum civitas acerrima obsidione liberata est. M. D. IX.

ALIUD.

Petrus Aponus Pat. Philosophiæ Medicinæq; scientissimus, ob idq; conciliatoris nomen adeptus: astrologiæ verò adeò peritus, ut in magiæ suspicionem inciderit, falsoq; de hæresi postulatus, absolutus fuerit.

ALIUD.

Albertus Pata. Eremitanæ religionis splendor, continentiss. vitæ, sumta Parisiis insula magistrali, in Theologia tantum profecit & profuit, ut Paulū, Mosen, Evangelia, ac libros sententiarum laudatissimè exposuerit: facundis-

cundissimus ea ætate concionator. immortali memoriæ optimo jure datur.

ALIUD AD S. ANTONII.

Dux bello insignis, dux & victricibus armis
Inclytus, atq; animis Gattamelata fui.
Narnia me genuit, media de gente, meoq;
Imperio Venetûm sceptra superba tuli.
Munere me digno & statua decoravit equestri
Ordo senatorum, nostraq; pura fides.

Ibidem.

ALVAROTORUM MONUMENTUM.

Amice qui istac transis, etsi properas, lapis hic te rogat, ut paulisper inhæreas, & hæc scripta legas. Hac in Basilica beati Joan. Baptistæ sunt Jacobi Alvaroti insita ossa. qui dum vixit suo studio & doctrina post susceptas doctrinales insulas, cōmentarios utiles, cū Repertorio, in Jus Feudale formavit, eosq; venerandæ Universitati Juristarū donavit. Volui ut ista non ignores, & pro anima ipsius ores.

Θ.18. Julii M. CCCC. LIII.

IBIDEM.

Hoc Aicardinus situs Alvarotus in antro,
Ingentes meritis tam brevis urna capit.

Hos fratres ex utroque parente nobiles, genere de Alvarotis, ambos dd. & qui Jus C. in b. studio, gloria ingenti docuerunt, ut idem quondam venter, ita unus nunc tumulus habet.

ALIUD.

Marino Zabarellæ summo J.C. maximeq; memorando, & ob id indigno cujus sepulcrum tamdiu malé neglectum ignoraretur, grata agnatorum posteritas H.M.B.M. restituit. Θ.1427.

AD S. SOPHIAE.

Andreæ Taurello Fanensi, patre Lælio J.C. matre Lia Marcolina Fanensibus, qui dum Patavii honesto studio

operam navat; ab amico clám hoſte, nulla cauſa interemptus eſt, annum agens XXI. m. II. d. 27. fratri frater mœſtiſſ. P.C.

AD S. JUSTINAM.

Nihil dulcius bene impenſi temporis memoria.

Sub Meleagro moriente.

Nuper victor apri, moriturus ſtipite tantum
Igne ⌣ dato, en, pereo, matre jubente, focum.

Mater Coriolani venit in caſtra filii, dicens: Sine, priusquam complexum accipiam, ſciam an ad hoſtem, an ad filium; captiva matérne in caſtris tuis ſim?

Sub Cleopatra admovente uberibus aſpidem:

Delicias Cleopatra tuas ferus abſtulit aſpis.

Patientia eſt ornamentum, cuſtodia & protectio vitæ.

Et ultorem ultus eſt David, & ulti mortem lacrymatus eſt David.

Sapientior eſt, qui quod novit abscondit, quám qui propalat quod neſcit.

Blatta ſua ſponte lumini involando comburitur. *& additur hoc ſcriptum:* Non ſecus á tactu muliebri corda virorum.

IN INGRESSU EJUSDEM MONASTERII *legitur hæc ſententia Bernardi, in appenſa parieti tabula:*

Bonum eſt nos hîc eſſe, quia homo vivit puriús, cadit rariús, ſurgit velociús, incedit cautiús, quieſcit ſecuriús, moritur feliciús, purgatur citiús, & præmiatur copioſiús.

IN

IN S. LUCIAE.

Lucida lucenti luceſcis Lucia luce.
Mens mea luceſcat Lucia luce tua.

EPITAPHIUM SCIPIONIS.

[*Scipionis Africani ſepulcrũ & ſtatua olim Linterni in Campania fuiſſe dicuntur, cujus rei nulla ibidem jam ſunt veſtigia, niſi quód Epitaphium adhuc celebre eſt, quod Patavii in domo Prætoris ſub ejusdem imagine legitur:*]

Devicto Hannibale, capta Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europe, non obſtitit Africa quondam.
Reſpice res hominum; quám brevis urna premit!

IN EREMITARUM.

D. O. M.

Theodoro Moller, nobili Germano, ex Gambriviis oriundo. Qui ſumma ingenii felicitate, doctrinarum orbe ante annos abſoluto, cúm Jurisprudentiæ ſacris initiatus, magna Germaniæ & Galliæ parte peragrata, excellentis doctrinæ & ſingularis judicii rectitudine, viros principes in ſui amorem & benevolentiam certatim adduxiſſet; in Italiam profectus, dum indefeſſo conatu ſtudiorum metam conſequi properat, immatura morte præventus, ingenti patriæ, familiæ & amicis ſui deſiderio relicto, feliciter decedit. JOACHIMUS J. C. EBERHARDUS Reip. Gambr. Coſ. Heinricus D. & Johannes V V. Ampliſſ. FRS. Germani, deſideratiſſ. FRI. hoc amoris & pietatis extremum officium exoluerunt. Vixit ann. XXIIX. m. II. d. XXIV. Moritur an. noviſſ. temp. M. IↃ. LXIIV. Conſobrino S. B. merito Eberhard. Tvveſtrengh. procur. M. IↃ. LXXV.

PETRO BAROTIO

Bellunenſi, primúm Antiſtiti, Pontifici dein Patavino, ſanctimoniæ, pietatis, eruditionis, beneficentiæ incomparabilis, Senat. Venet. M. H. F. curavit.

Is Barotius cúm pertinaciter urgeretur ad condendum teſtamentum tale condidit:

Ego Petrus Barotius Episc. Patavinus, relinquo animã meam Deo: corpus terræ: facultates veró quascunque possidebam, si quæ restant, relinquo, quibus de jure debentur.

Rolando & Aycardæ indolis optimæ, Rolandinus Placiola, filiis sarcophagum.

Præter amare Deum, cúm cætera deleat ætas;
Hîc fere, quod plena postmodo falce metas.

MARCI GRYBBIAE.

Si vel nobilitas, vel opes, probitásve, fidésve,
Prima vel immunis morte juventa foret;
Qui jacet hic longos superesset Nestoris annos,
Conditus angusta Grybbia Marcus humo.
Sed quod cuncta rapit nulli evitabile fatum,
Si tuus es hodie, cras meus, inquit, eris.

JACOBO ROSEO

Theologo Minoritæ, patria Dandaco, natione Siculo, animi candore, Christianæ religionis studio, morum integritate, doctrina, prudentia, & charitate insigni; qui variis laboribus, ærumnis, & morbis in Concilio Tridentino confectus, hîc tandem, quod semper optaverat, obdormivit in Domino. Cornelius Mussus Placentinus, Episcopus Bitontinus, illi uni proximé & secundúm Deum, virtutes, honores, fortunas, omniaq; deniq; acceptа referens, tanquam patri de se optimé merito, perpetuum sanctissimæ educationis monumentum posuit.

Mortali optasset tecum Cornelius unâ
Carcere ad ætherias Rosa redire domos:
Non licuit. quando ergo tibi summa omnia debet,
Formasti enixu quem pater ipse pio.
Cúm nunquam posset meritas tibi reddere grates,
Virtutis tantæ tempus in omne memor:
Hunc tumulum extruxit, morientem flevit, acerbum
Vulnus adhuc animo nocte dieq; gerit.

Vix. ann. LXXV. m. X. Obiit anno Domini M. D. XLVII. Calend. Junii.

JOA

JOAN. LUDOVIC. GREMPIO

á Freudenstein Germano, eximiæ virtutis & nobilitatis, nec non singularis eruditionis juveni, qui cùm Alsatia patria sua dulcissima relicta, præcipuas feré totius Galliæ Italiæq; urbes perlustrasset; ardentissima tandem febre in itinere correptus, hîc Patavii in fata concessit. Vixit ann. XXIV. Obiit M. D. LXXVIII. Ludovic. Gremp. pater J U. D. filio unico & longé cariss. M. P. C.

PIERIO VALERIANO

Bellunensi, Poëtæ, Rhetoriq; amplissimo, cujus pia umbra non pœnitendum hîc tumulum sortita est. Nam ut optabilis in patria, ita speciosius Patavii supremi officii decus fato amissum, virtute recuperavit. Petrus Carrarius, ac Joannes Baptista Rota, Patavini, unanimes, grato hospiti pos.

Pieridas dum Pierius sectatur, & Orci
Nil timet insidias, hunc fera mors rapuit.
Illa necem, aternæ ostentant hæ munera vitæ,
Hinc medius vitæ Pierius q; neci.
Abstulit hæc annos tristes: at præmia laudum
At q; animam hæ servant, invida mors moritur.

IN BASILICA D. JOANNIS
Præcursoris in viridario.

LAZARI BONAMICI.

Quantum ager Arpinas Ciceroni, atq; inclyta quantum
Palladis urbs debet Socratis ingenio:
Bassani & Patavi debent tibi mœnia tantum
Lazare, quando illis unus utrumq; refers.

Lazari Bonamici, Catharinæq; uxoris cariss. in secundum Redemtoris adventum quietis sedes. D. H. M. D. M. A. Obiit M. D. LII. ætat. LXX.

FRANCISCO CURTIO

Ticinensi, solius temporis honesta avaritia extincto, vix. annos LXX. Jus professus Patavii & Ticini.

DUORUM JUVENUM GALLI & Poloni.

Siste, legas juvenum crudelia fata duorum,
Alter aqua periit turpiter, alter equo.

M. D. XXXIX.

ALIUD.

M. Mantua Benavid. Patavinus J.C. Joan. Petri filius ex præsentibus futura prospiciens præter cætera monumentum hoc S.V.P.C. mense Majo M. D. XLVI.

IN CATHEDRALI.

Francisco Zabarellæ Florentiæ Archiepiscopo, viro optimo: urbi atq; orbi gratissimo; divini humaniq; Juris interpreti præstantissimo: in Cardinalium Collegium, ob summam sapientiam cooptato: ac eorundē animis Pontifici propé Max. Joan. XXIII. ejus Senatu abdicato, ante Martinum V. ob singularem probitatem, in Constantien. Concilio destinato: Joannes Jacobi viri clarissimi filius id monimenti ponendum curavit. Vixit annos 78. Obiit Constantiæ anno 1417.

ISABETHAE BONFIAE.

Insigni probitate jaces fidissima conjux
Isabetha, mea maxima pars animæ.
Mors tulit una duos; te prima parte juventæ,
Et nondum natum ventre necat puerum.
Quid moror, infelix? cur non & vestra secutus
Fata, cado? heu bis virq; paterq; miser.
Bonsius extremum vobis hæc munera tristis
Et pater, & conjux, reddit Aloysius.

CASSANI MEDICI.

Hic dedit antiquæ quod erat mortale parenti
Cassanus medicæ maximus artis honos.
Is Pedemontanæ tantum decus attulit oræ,
Quantum olim Coïs civibus Hippocrates.
Ecce senescenti inferior, sed magnus Apollo
Dum timet, heu cælo maluit esse parem.

Condi-

Conditur hîc corpus, terreno carcere liber
Spiritus astra colit, fama per ora volat.

M. D. XLI. die Octob. XX.

Portitori Plutoni, & Proserpinæ hanc Julia C.F. Maxima felix domini tormentum. Salve animula dulcis, animula suavis, animula in deorum numerum recepta, unde tale, quando tale, & cui tale? Vix. an. LIX. mens. VI. dies XII. hora noct. IX. T. Scibonius Barbula conjugi incomparabili benem. P.C.

ALIUD.

Nicolaus Catarus vir optimus, in amicos officiosissimus, rei bellicæ ita peritus, ut exemplũ desit, & in Remp. Venetam adeó fidelis, ut parem fortassis aliquem, superiorem veró habuerit neminem. Is Veneto Senatui, sub cujus imperio per XL. annos militavit, adeó carus fuit, ut nec pace, nec bello ab expeditione unquam vacuus fuerit: & ubi majus periculum instaret, ibi fuit præsidio: Cúm summis militaribus honorib⁹ functus esset, obiit á Christi natali die M. D. XL. ætatis autem suæ LXXVII.

Brixia oppido
Hujus cineres, & ossa hunc in locum ab Antonio
filio Jureconsulto relata.

SUPRA FORES PRAETORII.

Dant Bernarde tibi duo munera Teutones; illud
Quod patet é saxo, quod latet ex animo est.
Mors veniet saxis. animis haud. ergo fatiscat
Hæc nota, mens semper grata superstes erit.

Germanica natio anno
M. D. LXXXIV. p.

Maximum malorum est, si vitam diligit is, qui vita dignum nescit aliquid agere.

INSCRIPTIONES ARCUUM TRIUMPHALIUM.

In ingressu arcus.

Mariæ Austriæ Rom. Imper. Piæ, Aug. Divûm Imppp. Caroli v. filiæ, Ferdinandi I. nurui, Maximil. II. conjugi, Sen. Ven. majestatis ergó.

In exitu.

Mariæ Rom. Imp. Piæ Aug. Rudolphi II. Imp. matri, Philippi II. Hispan. Omn. Siciliarum, Algar. Indiar. Max. Regis sorori, Sen. Ven. honoris ac dilectionis ergó.

In prima facie secundi arcus.

Sublimi Regum & Imperatorum natæ, sorori, nurui, conjugi & parenti, Præsidentes Divi Antonii exiguis viribus hæc humilia erexere trophæa.

In secunda facie.

Exultat Divus Antonius adventu sereniſſimi luminis in urbem hanc, mox Hispaniam suam patriam illustraturi; & sui gaudii hæc externa edit signa.

In prima fronte tertii arcus.

Mariæ Austriæ, reginæ piæ, Catholicæ, Imperatrici semper Augustæ, Respub. Ven. probitatis ac amplitudinis causſa.

In posteriore parte.

Reginæ Christianiſſimæ Imp. Regum Imperator: longo & perpetuo ordine filiæ, nepti, nurui, conjugi, matri, sorori, Respub. Ven. religionis ac dignitatis causſa.

IN VICINIA PATAVII.

In pago Arquato non ita procul ab urbe Patavio, visitur in cœmiterio Franciſci Petrarchæ sepulcrum marmoreum, quatuor columnis sustentatum, & superiùs ejusdem imago ex ære, cui inferiùs hæc sunt inscripta:

Fr. Petr. Paul. Valdezucus Pat. poëmatum ejus admirat. æd. agrorum posſessor, hanc effigiem P. anno M. D. XLVII. Idib. Septemb. Manfredino Comite Vicario.

Ejusdem

Ejusdem

EPITAPHIUM.

Viro insigni Franciſco Petrarchæ, Poëtæ Laureato, Franciſcolus de Borſano Mediolanenſis gener, individua converſatione, amore, propinquitate & ſucceſſione, Memoria.

Inferiús hi verſus tres marmori inciſi:

Frigidá Franciſci lapis hic tenet oſſa Petrarchæ.
Suſcipe virgo parens animam, ſate virgine parce.
Feſſaq; jam terris cæli requieſcat in arce.

Moritur anno M. CCC. LXXIV. XIX. Julii.

IBIDEM.

Danti Aldigerio, Franciſco Petrarchæ, & Joanni Boccatio, viris ingenio, eloquentiaq; clariſſimis, Italicæ linguæ parentibus, ut quorum corpora mors & fortuna ſejunxerat, nomina ſaltem ſimul collecta permanerent: Johannes Bfevius Canonicus Cenetenſis, hujus Baſilicę Rector, in ſui erga eos amoris obſervantiæque teſtimonium poſuit. M. D. XXIV.

Ibidem in aditu horti.

Impuné hinc Cererem ſumas, impuné Lyæum.
Intactas habeat dum mea laurus opes.

Inſcriptio fontis, ibidem.

Fonti nomen ineſt, hoſpes venerare liquorem,
Unde bibens cecinit digna Petrarcha Deis.

MONTERTONAE NON PROCUL
á thermis Aponenſibus.

Triſtis eram, longo tenuit me Gallia bello,
Nulla erat in medico ſpes neq; multa Deo.
Corripuit cuſtos audacter me meus. heus tu
Conſule te, & mentem volve nefande tuam.
Virgo tuis poterit ſuccurrere maxima votis.
Cur dubitas teneras ſolvere dure preces?

Filia, ſponſa patris, mater ſpes unica noſtra,
Oranti priſcam reſtituet faciem.
Tunc ego ſingultu & lacrymis pia vota reſolvi.
Suſcepit voces diva Virago meas.
Latus ago ingentes pro tanto munere grates
Virgo tibi, vita ſola medela mea.

BONONIENSIA.

IN BONONIAM J. CÆSAR SCALIGER.

Poſt diras rerum clades, Fatiq; ſuperba
Imperia, & Martis quæ fera juſſa tuli,
Hic primùm meq; atq; alios cognoſcere cœpi:
Depoſuiq; animi barbara ſceptra mali;
Et didici, quàm non fueram, quàm deinde futurus:
Quem bona abortivum ſic tuerere parens.
Quæ cauſas, quæ cunctarum primordia rerum,
Quæ divini operis prima elementa doces.
Cæleſtesq; plagas, & ſanctæ commoda vitæ,
Et ſi qua é numeris nata figura latet.
Cùm reliquas ſuperes divinis legibus urbes:
Non ſulci omnigeno germine cedit honos.
Arma viris connata: animus conterminus aſtris:
Atq; ardens vitæ ſtat melioris amor.
Si cives dederas, ſi magna Hetruria leges:
Accipe, quæ poſſis dicere: reddo libens.

INSCRIPTIONES BONONIENSES.

EPITOME PRIVILEGII THEODOSII *Imp. in templis D.D. Petronii & Dominici lapidi inciſa.*

Ne bonæ artes, cunctaq; diſciplinarum dogmata depereant; cùm mores, ſanitas, judicia, cæteraque id genus optimis

optimis doctrinis gubernentur: NOS THEODOSIUS Dei gratia Rom. Imp. Augustus, commoditate & fertilitate loci capti, v. ac XX. mensium pensitato consilio, indignitatis nostræ solio sedentes, generali Christianorum convocato concilio, summo Pontifice Cælestino, Cardinalibus XII, Archiepiscopis Episcopisq; innumeris, aliisq; in variis dignitatibus constitutis Principibus ac Ducibus Christianis, Balduino quoq; Flandren. ac Gualterio Pictavien. Comitibus legatis, quorũ alter Ludovici Franciæ, alter Philippi Angliæ regum, illis arduis negotiis addictis vicem gessere, sedente etiam centum Senatorum collegio, BONONIAM omnium scientiarum fontem, arcanorum nostrorum armarium, perennem studii sedem fore, hac inviolabili indulgentia decernimus; volentes insuper, ut omnes sententiæ, á judicibus, qui in alma hac civitate per quinquennium saltem non studuerint, latæ, nullæ penitus existant: & si quis ad magistratus promotus dignitatem, ab alio quám ab Archidiacono Bononiensi librum magistralem susceperit; quanquam id quarumlibet facultatũ periti præstiterint, approbaverintque; eum auctoritate nostra omni dignitate privamus. Si quis verò Scholasticos ad studium hoc euntes abeuntésve ausu temerario offenderit; capite puniatur. Hoc ni Præses exequatur, eâdem illum pœna affici jubemus. Hujus autem sacræ constitutionis exemplar, Bullâ aureâ majestatis nostræ munitum, manuque Ciceronis curiæ nostræ notarii scriptum, ad perpetuam rei memoriam, Petronio Episcopo Bononiensi, ex Cæsarum Constantinopolitanorum sanguine orto, idem summis precibus efflagitanti ac procuranti, gubernandum, custodiendum, omnibusq; viribus exequendum tradimus ac concedimus. Romæ in Capitolio, Anno Dominicæ nativitatis CCCC.XXIII. die IX. Maji.

Joan. Franciscus Aldrovandus VII. Dictator æ rep. pub. P. 1510. prid. Kal. Martii.

IN ALIA TABULA AENEA.

CHRISTO OPT. MAX.

Viator, quisquis es, siste gradum, & quod scriptum est

perlege: ubi perlegeris; penſita. Hoc is cujus cauſa ſcriptũ eſt, fieri rogat.

Orto inter Bononienſes & Mutinenſis bello, Cæſar Fridericus II. Rom. Imp. filium Hentium Sardiniæ ac Galuriæ inſularũ regem, Mutinenſibus ſuppetias ferre mandavit, qui inito apud D. Ambroſii pontem certamine, á Bononienſibus capitur, nullaq; re, ut dimittatur, impetrat, cúm pater minis, dein precibus & precio deprecatoribus uteretur; cúm tantum auri pro redimendo filio polliceretur, quantum ad mœnia Bononiæ circulo aureo cingenda ſufficeret; ſic captivus XXII. annos, menſes IX. dies XVI. tenetur, aliturq; regio more, publica Bononienſium impenſa. ſic defunctus magnificentiſſ. ac pientiſſ. funeratus hîc tumulatur. Præterea ſimulacrum hoc in perpetuum, & hoſti, & captivo monimentum S.P.Q.B. poſuit. Anno ſalut. MCCLXXII. II. Id. Martii. Hoc volebam ut ſcires. abi & vale.

Poſitum ære pub. Joan. Franciſco Aldrouando Dictatore.

Monumentum Gratiani *Decretalium compilatoris.*

Gratiani Cluſini Cæſarei Juris & Pontificii enucleatoris propé divini, qui Monachus in Martyrũ Felicis & Naboris ędc abſolutiſſ. ibidem opus Decretorum, anno gratiæ M. C. LI. compilavit, monimentum, quod illic caric obſorduerat, hîc magnificentius renovatũ eſt. Joan. Franciſcus Aldrovandus Bononienſis IIII. Dictator ære publico inſtauravit. Anno ſalut. 1498. Idib. Junii, Johanne Bentivolo II. P.P. Remp. feliciter gubernante.

In S. Francisci.

Franciſcus jacet hoc Giſelerus marmore, cujus
Nulla unquam in ſanctis lis periit manibus.
Perdidit hanc unam tantúm, quam ferrea movit
Atropos. aſt extra lis fuit iſta forum.

Tumulus Saliceti J.C.

Hoc tumulo legalis apex, dulciſſimus ore,
Et patria lux alma ſua, pietatis amator,

Juſtitiq́

Justitiáq; sacra clypeus, baculusq; cadentum,
Qui juvenis multoq; etiam venerabilis ævo
Edocuit, superavit eum nec pœna laboris
Scribendo & pariter Juris nucleando tenebras,
Dœ Saliceto requiescit Bartholemæus.

Ob. an. 1412. die 25. mens. Decembris.

Ad S. Gervasii.

TUMULUS AZONIS J.C.

Azoni Jurisconsultorum numini, Anno gratiæ M.CC. hîc tumulato, in sepulcro vetustate collapso, ac inter rudera vix agnito, Joan. Franciscus Aldrovandus Dictator & Cos. Bononiensis, pub. impensa concivi suo B.M. memoriam posuit. Anno sal. 1496. v. Id. Octob.

In Palatio Bononiensi.

Clementis VII. Pontif. Max. et Caroli

V. Cæs. Imp. unanimitas, stabile firmamentum.

Clemens VII. P.M. ut Christianæ Reip. statũ reformaret, cum Carolo v. Cæs. Imp. Bononiæ congressus est. In hanc urbem Cæsar non. Novemb. anno Christi 1529. introiit, pro templi foribus, de more, Pontificem M. adoravit: ejus authoritate & consilio, cúm restituto in avitum regnum Francisco Sfortia, ac Venetis pace data, cunctæ Italiæ otium ac tranquillitatem diu optatam reddidisset, Imperii coronã hoc pompæ ordine accepit. Fenestra hæc ad dextrã fuit porta prætoria, ea ingressus Cæsar per pontem sublicium, in ædem D. Petronii deductus, sacris ritè peractis, á Pont. Max. auream coronam, & Imperii cætera insignia accepit. Inde cum eo triumphans, exercitu ornatissimo præeunte, urbem perlustravit, cúm ambo in eodem prætorio, totam hyemem conjunctissimè de summa rerum deliberantes, egissent. Cæsar post suum adventum mense v. in Germaniam, ad tumultus impiorum civium sedandos, & bellum Turcicum cum Ferdinando fratre Pannoniæ rege apparandum, profectus est. Hujus rei monumentum hoc, Innocentio Cibo Cardinale legato auctore, Uberto Gambara urbis præfecto, referente S. P. Q. B. extare voluit. Non. Novemb. 1530.

In Monasterio D. Victoris extra urbem.

Ugolini antiqui LL. Gloss. Epitaphium.

Transiit ut vivat mundana legis alumnus,
Mors sit ei requies, ultima vita Deus.
Urbis honor, mundi speculum, jacet hîc Ugolinus;
Spiritus astra tenet, corpora signat humus.
Cui fortuna manum revocans concessa tetendit,
Cui lex uberiús ubera plena dedit.
Mens legum cecidit, reliqui latitant Pharisæi,
Christus qui novit parcere, parcat ei.
Mens respondebat veraci consona linguæ,
Et par affectus cordis & oris erat.
Fraudis, nequitiæ, livoris & ambitionis
Inter concives unicus hostis erat.
Mors voluit mundum sub certa lege teneri.
Nam cinis est hodie, qui fuit ignis heri.
An. Dn. M. C. LXVIII.

Extra portam S. Mariæ Annunciatæ.

Si tibi pulcra domus, si splendida mensa; quid inde?
Si species auri, argenti quoq; massa; quid inde?
Si tibi sponsa decens, si sit generosa; quid inde?
Si tibi sint nati, si prædia magna; quid inde?
Si fueris pulcer, fortis, divésve; quid inde?
Si longus servorum inserviat ordo; quid inde?
Si doceas alios in qualibet arte; quid inde?
Si faveat mundus, si prospera cuncta; quid inde?
Si Prior, aut Abbas, si Rex, si Papa; quid inde?
Si rota fortunæ te tollat ad astra; quid inde?
Annos si felix regnes per mille; quid inde?
Tam citó, tam citó prætereunt hæc, ut nihil inde.
Sola manet virtus, qua glorificabimur inde.
Ergo Deo *servi, quia tot tibi provenit inde,*
Quot fecisse voles in tempore quo morieris;
Hoc facias juvenis, dum corpore sanus haberis.

A»

AD DOMINICI.

Tu quicunq; ſagax veterum monumenta revolvis,
Te ſi forte mei nominis ardor habet;
Hæc lege: Janus eram dictus cognomine Volſus,
Arctooq; meum claruit orbe genus.
Limpergo fueram, quod Chiron juſtus Achilli,
Et quod Pellæo Stagiritanus erat.
Ad Romam admiſſa dum forte piacula labis
Accepturus eo, contegor hoc tumulo.

Georg. Limperger, Dei gratia Epiſcopus Bambergenſis, Joanni Voltz præceptori ſuo hoc ſepulcrum poſuit.

AD PETRI.

Viator ſi cupis ſcire qui ſim? Johannes Plateus Civilis Pontificiiq; Juris cultor & ſcriptor. Monumentum enim vetuſtate corruptum deſtructumque, renovatum decreto Cardinalis Juliani Reveren. Bonon. Epiſcopi ac Principis, virtutum bonorumq; virorum fautoris, cui Bononia patria debet permaxima. Concives mei rogatos vos volo, ut pacem habeatis: Deum timete, dateq; illi honorem, juſtitiam colentes, adverſa proſpera tolerate, & bene erit.

Procurante Franciſco Guidizono Cardinalis familiari, An. ſal. 1502. 13. Cal. Feb.

D. M.

Ælia Lælia Criſpis, nec vir, nec mulier, nec androgyna, nec puella, nec juvenis, nec anus, nec caſta, nec meretrix, nec pudica, ſed omnia. Sublata neq; fame, neque ferro, neq; veneno, nec igne, nec peſte, ſed omnibus. Nec cælo, nec aquis, nec terris, ſed ubique jacet. Lucius Agatho Priſcius, nec maritus, nec amator, neq; neceſſarius, neq; mœrens, neq; gaudens, neq; flens, hanc nec molem, nec pyramidem, neque ſepulcrum, ſed omnia ſcit, & neſcit cui poſuerit.

Hoc eſt ſepulcrum intus cadaver non habens: hoc eſt cadaver extra ſepulcrum non habens. Sed cadaver idem eſt, & ſepulcrum ſibi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

[*NB. In hoc Epitaphium commentarios scripserunt Joan. Turius Brugensis & Ricardus Vitus, editos Patavii apud Laur. Pasquatum.*]

EPITAPHIUM JO. BRANDI
Hildesiensis.

Calum animam Brandi, nomen Germania servat,
Quod mortale fuit conditur hoc tumulo.

IN COLLEGIO.

J. Cæs. Arantio Bonon. Philosopho & Med. erudito: qui hum. corp. anatomen maximo studiorum concursu & plausu primus post exæd. aca. publicé est professus.

IN PROCULI GASPARIS CONTARENI.

Contarene tuo docuisti Magne libello,
Extinctis animas vivere corporibus.
Ergó jure tui vivunt monimenta libelli,
Et vivent seclis innumerabilibus.

IN COENOBIO S. DOMINICI, HIERONYMI
Boraginei Lubecensis, Physici Germani,
ad lectorem querela.

Me Lubeca tulit, docuit Germania linguas,
Ad studia huc missum mors truculenta rapit.
Non ferrum, non ulla Venus, Bacchusq; peremit,
Sed studii nimius proh dolor hausit amor.
Nam dum Phœbe tuas æstivis solibus herbas
Persequor, invasit pectora æva febris.
Jam ter forté novem, studio quæ vita peracta est,
Annos attigeram, cùm rapit hora nocens:
Ah tua, qui fueras meditus, vestigia frustra
Insequor, ô genitor, cùm necer ante diem.
O patria, ô germana vale soror una relicta,
Quæ fueras: hac me mors tumulavit humo.

An. sal. M. D. XXXV. d. 27. Aug.

D. O. M.

Thomæ Claricino Gammaro, Canonico ad S. Petro-

nium,

nium, ſumma virtute, pluribus bonis artib⁹ prædito. nam ad Philoſophorum & Juriſconſultorum diſciplinas, quibus in omnibus excellebat, pingendi, ſculpendi & excudendi, atque ex omni materia fingendi, & præter has cognoſcendi ex inſpectione vultus, hominum mores vitasq; incredibilem peritiā adjunxerat. qui obiit an. LXXI. m. VIII. d. I. & Diamentæ uxori, cum qua annos XXXX. amantiſſimé cōjunctiſſimeq; vixerat. P. Claricinus Gammarus dupliciter mœrens, fratri & conjugi bené meritis P. M. D. XXVI.

Petro Fliſco ſplendidiſſimis natalibus orto, Lanuviæ Comiti, Juris Civilis Pontificiiq; conſultiſſimo, multijugis animi & corporis dotibus ornato, in primo juventæ flore extincto, fratres pietatis ergó monumentum hoc dicarunt. An. Dn. M. CCCC. LXXXXII.

Hominum luxus, faſtus, deliciæ, quæ vitam vitalem eſſe non ſinunt, hem quó redeunt?

Sub monimento Iſotæ Calderinæ.

Regi, cui omnia vivunt, ſacrum.

AD S. MARTINUM.

Philippo Beroaldo ſeniori, civi Bonon. viro omnium, quos ætas ſua tulit, eruditiſſimo atq; eloquentiſſimo, ideméq; humaniores litteras Parmæ, Lutetiæ atque in patria, ſumma cum ingenii laude, atq; audientium admiratione profeſſo, Phil. & Vinc. filii hæredes, ex ipſius teſtam. P. P.

I nunc & vigila, noctesq; abſume legendo.
O hominum curæ, cœptaq; vana nimis!

Vixit ann. LI. m. VIII. Obiit an. M. D. IIII.

AD PROCULI.

Si procul á Proclo Proculi campana fuiſſet,
Tunc procul á Proclo Proculus ipſe foret.

IN SCHOLA HISPANORUM.

Ægidius Albornatius ſanctæ R. E. Cardinalis primas

Hiſpaniarum, totius Italię legatus, qui ſedem Romanam diu Avenioni exulantem Italiæ reſtituit, hasce ædes publicæ juventutis Hiſpanæ commodo conſtrui juſſit; quas Ferdinandus Hiſpalenſis præſul á fundamentis perfecit, anno poſt C.N. 1365.

Theodoro Portę eq. Bonon. qui Caroli v. Imp. Auguſt. deinde Pauli III. Pontif. Max. auſpiciis mira virtutis & prudētiæ indole cúm pedeſtres tum equeſtres ord. duxit, poſtremó ſub Julio III. in obſidione Mirandulana ictu glandis ſublato: hæredes P.P. M.D.LII. Vixit annos XXXII. Occubuit XVII. Cal. Januarii, An. M. D. LI.

AD S. DOMINICUM.

D. O. M.

Joanni Crotto Monferrato, Pont. Cæſq. Juris Monarchæ, qui diu Bononiæ floruit in utraq; palæſtra. Inde Piſas evocatus, deſerti jampridem Gymnaſiii reſtaurator, fato conceſſit. Magdalena Landa viri B.M. oſſa referens, ære proprio hoc monumentum faciendum curavit.

Scopus vitæ, Chriſtus.

D. O. M.

Qui vixit bene, mortuus beaté.
Nox mea lux animi eſt.
Ampliſſimi ordinis ſimul nomen magiſtratus merui.
Aſtreæ heîc ratio decens laborq;.

DEO TRINO ET UNI.

Pyramidem & ſepulcrum vetuſtate corruptum, quæ Albertus genitori ſuo Odofredo Legum parenti, Anno ſal. M, C C. LXV. II. non. Sept. defuncto poſuerat, Laurentius Odofredus Dominici filius, Odofredi poſterior, Albertiq; trinepos, ſua impenſa in meliorem faciem opere & cultu ſplendidiore reſtituit. Anno Gratiæ M. C C C C. XCVII. Kal. Sept.

ALIUD.

Hîc ſita ſunt oſſa Marci Antonii Flaminii Forocornelienſis,

lienſis, de utraque lingua bene meriti. Vixit ann. menſ. Obiit anno

---

ALIUD.

Hieronymo Prividello Rhegienſi, Jureconſulto clariſſimo, ab impio ſicario injuſtiſſimé transfixo, fratres mœſtiſſimi poſuere. Oct. Id. Novemb.

Martini Sulimanni, cujus præclara in Jure opera extant, humana hîc oſſa quieſcunt: lapidea hæc memoria illi poſita eſt. Anno ſalutis M. D. XXVI.

D. O. S.

Joannis de Imola, Pontif. Cæſ. q. Jurisconſulti oſſa, in ſuppoſito Geriſendorum ſepulcro requieſcunt.

Minus Geriſendus LL. & ipſe interpres, amicæ ſuæ conjugi fecit.

ALIUD.

Ludovico Bolognino Jurisc. & Equiti: qui cúm Bononiæ Ferrariæq; Jura interpretatus, & ab Innocent. VIII. Pont. Carolo Gallorū VIII. Rege, Ludovico-Mar. Sforr. Inſub. Duce ad reſpondendum ſibi de jure aſſcitus, Florentiæq; litibus judicandis V. vir & prætor fuiſſet; ab Alexandro VII. Pontif. XL. viratum adeptus, ab eoq; legatus ad Ludovic. Franc. XII. Regem Romam legationem attuliſſet: Bonon. rediens An. LXI. ætat. An. M. D. VIII. Florentiæ obiit. Bartol. Eq. & Senat. Bon. f. patri, Joan. Mar. Eq. patruo F. CC. M. D. LIII.

Omnia mea mecum porto. Vix ſola fama remanet.

D. O. M.

Jacobo Bonio Juriscõſulto clariſſ. Pontificii Senat. Advocato eloquentiſſ. ad Alex. VI. Julii II. Leo. X. Pont. Max. legation. munere, cum Senatoria poteſtate, vera cum laude perfuncto, cui porró Card. Coll. S. P. Q. R. memores ejus inclytæ juſtitiæ comitatisq; iterum Senat. pot. Adri-

ani VI. jussu mandand. cur. sed ipse morte præventus inenarrabile sui desiderium reliquit. M. D. XXII. Vixit annos 67. mens. 10. dies 16. Vincent. Prot. Apost. & Jo. Landa Juriscon. patri dulciss. pp.

IN PHILIPP. BEROALDI *sepulcro.*

O literæ, ô cantus, ô Apollines. vobis in posterum heu quid fiet?

BAPT. BARTHOLOM. CLARICINI

Aliás de Gambaro, vivens sibi posterisq; paravit M. D. LXXVI.

Qui speculum hoc cernis, cur non mortalia spernis?
Tali namq; domo clauditur omnis homo.

PETRUS CLARITIANUS

Gambarus, pro se & suis posteris vivens P. M. D. LIII. Perpetuæ dormitionis domus.

S. DOMINICUS LOQUITUR:

Hæc sunt, ô filii, quæ vobis hæreditario jure relinquo. Charitatem habete, humilitatem servate, paupertatem voluntariā possidete, & ut carnis munditia in vobis immaculata permaneat; suspecta fœminarum omniū consortia evitate. Feliciter decessit S. Dominicus non. Augusti. M. CC. XXI.

CÆSAR NAPÆUS,

Matthæi filius, vivens sibi posterisque suis & conjugi s. Anno M. CCCC. XCIIII. Cal. Julii. Peto ne quis nos inquietet, alitérve ponat, neq; commutet, néve etiam alius inferatur, ut die cēsoria hîc unâ resurgamus. quid ad vos?

IN SCHOLA PUBLICA BONON.

Gregor. XIII. Pont. Max. annuarum revolutionum felicissimo restauratori:

Tempora qui seros Phœbi referentia gyros
Toto, sancte senex, orbe venire facis,
Scilicet ut redeat nunquam revocabilis annus,
Atq; suum teneant festa sacrata diem:

Nam

Nec tu cœlicolis gratum, atq; perutile nobis,
Immortale tibi conficis autor opus.

Sub felicibus auſpiciis magnificorum D.D.D. Joannis-Baptiſtæ Beigarotti Parmenſis, & Domini Viti Antonii, Horatii de Curtis Murſonenſis, Univerſitatis patronorũ medicorumq; priorum meritiſſimorum die XXX. menſ. Decembr. Anno Domini M. D. LXXXII.

IN AUDITORIO MAGNO
Jurisconſultorum.

Principem Gymnaſii claſſem, urbis ornamẽto, civitatis ſplendori, & poſteris incitamento, conſiliariis bene geſtæ adminiſtrationis memoriæ relinquendæ, ac bene meritis ſe officiis devinctos oſtendendi ſtudio; eorundem generis, nominis & honoris inſignibus placuit exornari. Anno ab ortu Chriſti M. D. LXIX. Pii V. Pont. Max.

ITEM.

Univerſitas Legum ſtudioſa, veterem hujus Auditorii dignitatem animo repetens, atq; eidem in poſterũ, quoad poſſit, conſulere cupiens; novis his inſignium ſuorum ornamentis cohoneſtandum curarunt, annuente Dn. Joanne-Baptiſta Salvago Genuenſe Univerſitatis Priore digniſſimo. Anno á Chriſto nato M. D. LXXI. Gregor. XIII. Pont. Max.

IN AUDITORIO JURISCONSULT. III.

Bononien. Gymnaſii adoleſcẽtes nobiliſſimi, utramq; Juriſtarum Univerſitatem conſilii prudentia & fidelitate gubernantes, ſui præceptoris nomen honorificé illuſtrare, harum ædium ſplendorem magnificentiús augere, bene geſtæ adminiſtrationis memoriam relinquere, ac ejusdem muneris vicarios ad honeſtam æmulationem excitare ſtudentes, ad claſſem hanc publicam ſuæ familiæ ac nobilitatis imaginibus publicis exornandam, æs publicum erogari juſſerunt. Anno Dom. M. D. LXXVII.

IN MEDICORUM AUDITORIO.

D. O. M.

Gaſpari Talcacotio civi Bononien. Philoſopho ac Me-

dico ætatis noſtræ celeberrimo, cúm univerſam humani corporis anatomen in doctiſſ. virorum frequentiſſ. conventu publicé adminiſtratam, facundia, methodo ac doctrina admirabili explicarit; ejusq; incompertas adhuc partes in lucem prodiderit; animi grati & perpetuæ memoriæ ergó Lect. medicíq; pp. ordinariæ anatomes ab illo adminiſtratæ monumentum.

In Auditorio inferiori.

Summa privilegii ab Imp. Caes. *Fl. Theodoſio juniore Aug. Gymnaſio Bononiæ conceſſi.*

Qui Prætor, Judéxve quinquennio in Bononien. Gymnaſio ſtudiorum cauſſa non conſumto, ad judicandum acceſſerit, ejus decreta ſententiáve irrita ſunto.

Qui Doctor in ordinem aſſcitus, libro á majoris Eccleſiæ Archidiacono non accepto, fuerit; ejus dignitas, licet peritorum omnium ſuffragiis comprobata, prorſus nulla eſto.

Qui Scholarem aliquem ad Gymnaſium Bononienſe pergentem manu verbóve offenderit, capitis reus eſto.

Qui Magiſtratus, prout Magiſtratus, injuriam ſcholari illatam perſequi prætermiſerit, eâdem pœna tenetor.

Anno Domini M. D. LXVII.

Qui honeſtiſſimi hujus conſilii participes erunt facti, inprimis operam dent, ut jura, inſtituta, mores, conſuetudinesq; omnes, quæ ad hujus Scholæ commoda authoritatemq; tuendam pertineãt, ſumma cura cuſtodiantur.

Rectori Scholæ maximus idemq; meritus honos ab omnibus habeatur.

Legitimi publicarum profeſſionum dies diligentiſſimé obeantur.

Profeſſorum ipſorum dignitas quám maximé obſervetur.

Inter Scholaſticorum nationes æterna piaq; pax concordiaq; conſervetur.

Exornatus, ad urbis & Scholæ dignitatem, ex authoritate eorum quorum inſignia circumpicta ſunt, & extotius conſilii, locus eſto. Anno Domini M. D. LXVII.

IN

IN ALIO AUDITORIO.

Este pares, & ob hoc concordes vivite, cùm vos
Et decor, & studium, & munus sociarit, & ætas.

IN PORTICU INFERIORI.

D. O. M.

Moderatoribus optimis assidua cogitatione curãtibus, ut inclytæ hujus Academiæ splendor, & dignitas, ad utilitatem juventutis ex cunctis regionibus studiorum gratiâ confluentis, incrementum accipiat; Priorum, ac Consilii Universitatis Philosophorum & Medicorũ illis diutinam Majestatis felicitatem, sibiq; patrocinium precati, exiguam hanc, sed quam præ imbecillitate sua possunt, maximam grati animi significationem memores officiorum pp.

Procurante hanc memoriam Magnifico ac generoso viro D. Josepho Zacconio de Fano Priore dignissimo. Anno Domini M. D. LXXXIII. die XXIV. Decembris.

IN AUDITORIO INFERIORI.

I.

Magister esto diligens, doctus, vigil,
Veriq; amator, & alieni commodi:
Auditor at tu sis laboris appetens,
Magistri amator, & imitator sedulus.

II.

Consultor hìc utcunq; tempus postulat,
Adesto, semper publicum negotium
Curato, agendum quid sit in præsentia
Videto, longè providens in posterum
Caveto, partes sic tuas tuebere.

ANTE CONCLAVE
Decemvirorum.

Privatorum obliti, publica curate.

ALIBI.

GREGOR. XIII.

Ad summum Pontificatum ob maximas virtutes eve-

&to, Reipub. Christianæ bono ac pené splendori nato, civi optimé merito, S.P.Q.Bon. statuam hanc erigendam curavit, quam jussu Pontificis Petrus Donatus Cæsius Caroli legatus hîc collocandam, fulcroq; muniendam, decreto interposito, sanxit, Anno Dominicæ Nativitatis M. D. LXXX. mense Octob.

IN PRÆDIO EXTRA URBEM.

Achilles Alexandri fil. Volta á Clemen. VII. Pont. Max. in collegium fratrum gaudentium cooptatus, domum ad ædem Marię cum porticu & viridariis, item hortum & ambulationes cum Ornithone & Leporario, nec non aquis salientibus & piscina ad revocandã Collegii memoriam, fratrum commoditati fecit assignavitque. M. D. L.

ANTE HORTUM QUENDAM.

Urbs habeat curas; qui me mihi reddit agellus,
Exigit ingenuis gaudia mixta jocis.

ANTE ALIUM.

Hortule fac placeas, fac hortule dulcis inemtas
Ut fundat domino libera mensa dapes.

ANTE ALIUM.

Has ædes genio sacravimus, utere quisquis
Hospes es, at lingua & moribus esto probis.
Uti cuiq; suis licet. hæc ne carpe, voluptas
Ingenua est animi quantulacunq; mei.
Si quæ forte juvant oculos, ne parce viator;
Quilibet hac uti commoditate potest.

AD HOSPITES.

Invide quod nequeas imitari, carpere noli.
Nil nisi cum sumtu mentem oculosq; juvat.

AD OSTIUM HORTI.

Garrule contineas linguam, tuq; invide dentem.
Hoc volui. cœptum carpe viator iter.

IN SUMMO TEMPLO.

Hoc tumulata jacent Bassani membra lapillo,
Quis sit, metra docent quæ subscribuntur in illo.

Huic

Huic legum latis patuit victoria castris,
Nunc cedens fatis socialibus insidet astris.
Canonica coluit scriptura pleniùs ortum,
Qua duce promeruit cælestem cernere portum.
Hic erat Italiæ sydus, reverentia fratrum,
Flos roseus patriæ, decus orbis, gloria patrum,
Obsequiis promtus, humilis, jocundus, apertus.
Si tres excipias annos de mille ducentis,
Terminus occurret, quo mortis jura subivit.

M. C. XCVII.

In eodem lapide.

Invidus é medio Basianum finis ademit,
Cujus membra brevis hîc sita petra premit.
Summus in alterutro Doctoris Jure peregit
Hactenus officium, quem lapis iste tegit.
Jura duo potuit natura jus superare,
Hæc duo de proprio mors fugat una lare.
Istius meruere sinu duo jura locari,
Solus in Italia qui fuit absq; pari.
Non sibi sed vitæ moritur fons juris, & aret,
Non is eâ, sed eo vita moderna caret.
Quisquis in istius cathedram succedere quærit,
Fontis respectu rivus ineptus erit.
Hunc sociat summis Pauli conversio turmis.

IN PETRONII.

IN LAPIDE ADMODUM MAGNO ET INAURATO, *parieti infixo, hæc privilegia Pontificia Bononiensibus indulta majusculis notis erant incisa.*

S. L.

Huc usque licet, si commoda hæc grandia spectatum venis, quæ Julius II. Pontif. Max. Trib. Pleb. Tabel. ac mercatoribus, cæterorum nec non opificum Collegiis probitate sua, indulsit.

Frumenta omne genus á XIIII. Calend. Januar. M. D. usque ad Calend. Januarias M. D. XI. immunis molito.

Ultra verò illud tempus singulis corbibus librarum CXL. precium duorum soidum argenteorum maneto.

Portarũ vectigalia dimidio minora quám anteá sunto.

Summa pecuniarum ex agro boum causa quotannis erogari solita, in aliud munus, agricolis non perinde grave, commutator.

Et, attrito castrensibus stationibus agro, inde nec fœnum militibus, nec paleæ venuntor.

Causæ civiles & capitales ab ordinariis judicibus solúm & solenniter audiuntor.

Captivi publico tantúm carceri addicuntor.

Municipaliaq; passim omnia tam foro civili, & capitali quám mercatorio & fabrili deservientia, ne omittuntor.

Ac nemini, præterquám publico exactori, mulctantium æs asservandum dator.

Prolatæ post semestrem á Criticis civibus in Prætorem semel sententiæ firmæ & ratæ habentor.

Oppida arcesq; extra pomœrium sitæ, biennio tantúm, & á Bononiense duntaxat cive custodiuntor.

Cuncta insuper sacerdotia exteris alienigenisq; ne cõferuntor.

Nemo Judici, Prolegato, Legatóve his Apostolicis indultis privilegiis adversator.

Et, si secus factum fuerit, infectum esto.

IBIDEM.

D. M.

Amelienſis Pontifex Naccius hîc est Cæsar, qui vicem gerens legati Bononiensium, summa æquitate civibus jus reddidit, mox annum agens tertium & sexagesimum concessit orco.

Vixit, dum vixit, bene.

PROPE SCALAS, UBI ASCENSUS EST AD *sacellum, in quo sepulcrum divi Dominici marmoreum cernitur.*

Clemens VII. Pont. Max. habito secundo cum Carolo V. Imp.

v. Imp. hac in Bononia urbe colloquio, Romam profecturus, auditis ante Divi Dominici sepulcrum sacris, adstantibus pluribus Cardinalibus, ac aliis Prælatis, populique multitudine, singulis annis omnibus prædictum sepulcrum, ubi sacra ejusdem ossa quiescunt, nonis Augusti, quo die obiit, visitantibus, plenariam omnium peccatorum remissionem, & qualibet vice anni unius indulgentiam in perpetuum concessit. VI. Id. Mart. M.D. XXXIII.

IN DOMINICI.

Hîc jacet Canolinus, Canolinorum gente ortus, annos LXXIII. natus, cujus in aurificina mirifica fuit ars, in sermone facundia, in forma dignitas, in vivendo integritas singularis, Anno Domini CIↃ CCCC. LV.

IBIDEM AD MONUMENTUM Anglicæ nationis.

Hoc situs in tumulo est Gulielmus gloria gentis
Anglorum, quem mors traxit ad Elysios.
Nam modó festivos dum spectat ludere bombos,
Bombarda fractus viribus occubuit.
Proh dolor ergo homini quænam fiducia Mortis,
Si jugulant etiam quos putat ille jocos?

ARTURO COO ANGLICO.

Quid fles viator; an quód agnoscis tui
Civis sepulcrum patrio procul solo?
Nil nostrum ob hoc malignum fatum fuit:
Eadem, undecunq; prorsus in cælum est via.

III. non. Aug. Anno Domini M. D. V.

IN SERVORUM.

In obitum Scipionis Bargelini Jurisconsulti Carmen ad Mortem.

Mors dicam tibi veriora veris:
Nunc quanquam tumulo cadaver hocce
Claudis, id nihil, id nihil putamus:
Virtus, fama, scientia hujus, & spes
Non possunt tumulo profano claudi.
Quid mors ergo tenes? quid assequuta es?

ITEM:

Quiq; tibi est genitor, quó sit tibi filius, idem
Et sibi sit natus, quó sibi sit genitor.
Quaq; sibi est genitrix, quó sit sibi filia, sitq;
Nata sibi hæc eadem, quó sibi sit genitrix.
Qua sit alumna sibi, quó sit sibi dulcis alumnus,
Dulcis alumnus & est, quó sit alumna sibi.
Nec genitor, genitrix, nec natus, filia, alumnus,
Et nec alumna, alter Scipio semper eris.

IN MARTINI.

Ioanni Baptistæ Civiatorio Bononiensi, J. U. consultissimo, qui, funere mersus acerbo, vix annos XXXXIIII. implerat: Joannes pater mœstissimus, permittentibus Elephantuciis, posuit, Anno salutis M. D. XIII. Prid. Calend. Decemb.

I nunc & vigila, noctesq; absume legendo.
O curas hominum, cœptaq; vana nimis!

Σπυμὴ χρόνῳ πᾶς ὄξιν ὁ βίος.

IN ÆDE SACRA MONASTERII *Misericordiæ.*

Joanni Gozadino viro cúm Juris Civilis prudentia, tum rerum gerendarum solertia præstantissimo; qui cúm in Archidiaconatu Bononiæ, & Protonotariatu Apostolico, in Præfecturis & Legationibus aliquot, egregiam Julio II. Pontifici Max. operam navasset, in ipso laudum suarum progressu est hominum expectationi ereptus: fratris filii patruo optimé merito P. P. Vixit annos XL. Obiit anno á partu Virginis M. D. XVII. IV. Cal. Sextilis.

IN LAPIDE TUMULI.

Joannes Gozadinus Jureconsultus, Archidiaconus Bononiensis, Apostolicus Clericus, & Referendarius ac Protonotarius, parentibus, sibi, fratri, & posteris.

Vanitas vanitatum & omnia vanitas.

IN VILLA SUBURBANA,

CANIS.

Latrai á ladri, & á gli amanti tacqui.
Onde á Messeri & á Madonna piacqui.

Quod Germanicé, interprete Samuele Fabricio, sic sonat:

Wann dieb vnd mörder brachen eyn/
So thet ich weidlich bellen dreyn:
Wann aber buler kamen an/
So schwieg ich still/vnd ließ sie gan.
Derwegen ich von grossen Herrn/
Vnd auch von meiner Frawen gern
Gesehen/vnd gelitten ward/
Vnd ohn schlege gehalten zart.

Latiné veró sic:

Furem allatravi, parcens taciturnus amanti,
Sic placui dominis, sic placui dominæ.

IN CURIA.

Ad statuam Giganteam Herculis.

Hæc finxit novus ora mî Prometheus.
Alcides vocor. heus abite monstra.

Responsio viatoris:

Nec finxit faciem tibi hanc Prometheus
Monstrosam novus, illa cúm deorum
Non sit effigies, vetus Prometheus
Cui vultus similes creasse fertur.
Alcides neq; tu lapis vocaris
Immotus, rigidus, tacens, tricorpor.
Sed nec iure homines vocare monstra
Monstrosus potes ipse saxeusq;,
Vel monstri soboles, vel ipse monstrum.

EPITAPHIUM CUJUSDAM PYRRHI.

Terreno Pyrrhus properavit carcere ad astra.
Quid mirum est? semper τῦς loca summa petit.

IN FORO AD FONTEM.

Pius IV. Pontif. Max. in majorem civitatis usum deductam in forum ex montibus scaturiginem, illinc quoque in plateam hanc derivandam atq; exornandam mandavit. P. Donato Cæsio Episcop. Narn. Bonon. Gubernatore. M. D. LXV. ære pub. S. P. Q B.

Felicitas publica.

ALIUD.

Incomparabile ô viator exemplum constantiæ atque continentiæ sancta integritate & inclyta fide illustre, bonarum & artium, cippus en aspice ut parvus tegit. Quid hoc quæris? Wencelaus Bernardus Olmonte ortus (Moraviæ ea urbs est, Julium montem vocant Latini) is unicus patri, nuper Bononiæ unico unicé salutem optans adferre amico, peste mortuus occumbit. Plura iste non capit lapis. Vale igitur, atq; his pia ossibus dic verba, si es pius. Vixit annos XXVIII. menses X. Obiit M. D. XVII.

ALIUD.

Hîc ossa Augustini Cianzon Corsici Sardinienſis quiescunt, qui ob armorū tumultus in foro Bononiensi excitatos, ex lege vivere desiit. Tibi pax viator. M. D. XVII.

IN SACELLO VIRGINIS MARIAE.

Si pius es, perlege. Infelix aleator, amissa pecunia, Deiparæ imaginem in fronte templi repositam, pugione ita percutit, ut Servatoris filioli pedis digiti sint excussi. Ob facinus, immobile corpus repente concido; rumor increbuit, ab offensa imploro auxilium, exaudit cum filio pientissima, venia dignum faciunt. Vota ad S. Jacobum & Antonium persolvo. Populus hoc sacello virginem collocat. Anno 1405. 3. Octobr.

AD DOMINICI.

Ascanio magistro curiæ Rom. qui decimo octavo ætatis suæ anno in singulari certamine cúm victor clementissimo animo hosti vitam donasset, de improviso ab eodem ingratissimo percussus, vitam amisit. Anno Domini 1551. 8. Julii.

IN

IN S. MARTINI.

Tumulus Alex. Achillini Bononiensis, Professoris Patavini.

Hospes Achillinum tumulo qui quaris in isto,
Falleris: ille suo junctus Aristoteli est;
Elysium colit, & quas rerum hic discere causas
Vix potuit, plenis nunc videt ipse oculis.
Tu modò per campos dum nobilis umbra beatos
Errat, dic longum perpetuumq; vale.

IN S. PETRI.

Hic Vilhelmus erat Lucensis origine dictus,
Cui meritò nomen lucis origo dedit.
Sacra & trina titulis & honore magistri
Lucem Italicis lucifer alter erat.
Quod priùs in speculo cernebat; lumine vero
Nunc cernit, & vitas nunc patet ipsa sibi.
Post vitam vita fruitur, Mors pocula mortis
Huic dedit: ad vitam sumsit & hausit ea.
Augusti sibi prima dies fuit ultima vitæ,
Hujus & ad vitam maxima prima fuit.
Anno milleno centeno septuageno
Octavo Domini, mors sibi vita fuit.
Ut moriens semper vivas:
semper vive ut moriturus.

IBIDEM.

Si doctrina, vigor mentis, facundia, virtus
Jus in fata habeant, salvus Agrippa fores.
Heu quàm rara ad eos solet adventare senectus,
Qui nimiis animi dotibus exsuperant.

AD S. MARIAE ANNUNCIATAE.

Parma parens, primos Mirandula cessit honores,
Declarat civem me Imola grata suum.
Ad se docta vocat me tandem Felsina; deflent
Artes me Medicæ, docta cohorsq; virûm.
Deflent mœstæ urbeis ipsæ, civemq; reposcunt
Imola, Mirandla, Felsina, Parma parens.

Joh. Baptistæ Theodosio Medico F.F. pientissimi P. P. Vix. ann. LXIII. Obiit M. D. XXXVIII. mens. Septemb.

AD PETRONII.

Aug. Zanettus Bonon. Pont. Cæs. q. Juris Doctor, Episc. Sebasten. Episc. Bonon. Suffr. & Vic. post graves & diuturnos labores, de sempiterna quiete cogitans, Melchiori patruo causid. insigni, sibiq; ac post. S. O. M. P. Anno á Natali DEI & hominis 1512.

LEGES VILLICÆ SEU GENIALES, PROpe Bononiam in amœnissimo prædio, dicto Casalvetula, foribus inscriptæ.

Hanc villulam, atq; hunc agellum, o[illegible] animi aut valetudinis caussa inviserint, ne voluptas valetudinem, corporisve curatio voluptatem corrumpat; néve locus quâ sacer est, violetur, aut quâ cultus est, deseratur; hasce observanto leges.

DEUM Opt. Max. proxima in æde primúm venerantor. Quidvis postea lustrando, se ubivis exercento, ubivis quiescunto, sed hoc citra languorem, cis sudorem illud. Servorum greges importunorum non modó á pomariis, sed procul ab utroque pomœrio interea excluduntor. Si quos tamen ministerii caussa voluerint, paucos & modestos introducunto, qui nec hilum attingunto, inconsulto villico. Eis abeuntibus, pro anni tempore, pro rerum copia & inopia, pro cujusque persona, flores, frondes, ramusculos, poma, olera, viritim villicus distribuito. Quos ruris dominus ad prandium cœnámve invitarit, curæ, mœrores, tristitiæ in urbem remittuntor: voluptates honestæ, jocus, hilaritas remanento. Mensæ eleganter & splendidé sine luxu ac pompa, aprico opacóve loco pro anni tempore parantor. Dapes solito lautiús ac copiosiús, sed ad vitam vivendam, non ad mortem maturandam, apponuntor. Pocula, quæ sitim pellant, non quæ hospitem obruant, potantor. Interim avium concentu & aquarum murmure se oblectanto. Iis silentibus, Jopæ, Amphiones, Orphei, loquaces compescendo, aureis mulcento.

cento. Remotis mensis atque arbitris suis, cuiq; convivarum mores paulo liberius pati, seni, juveni, faceto, dicaci vel ad ineptias usque, fas esto. Si qua licentiús poti dixerint, fecerint; ea in urbe aliis narrare, aut omnino in memoria habere fas non esto. Scortæ, scurræ, parasiti, præstigiatores, arioli, ac ejusmodi impurum & profanum genus procul arcentor. Aleis, latrunculis, scrupulis, talis, si qui se oblectare maluerint; nemini tunc vitio dator, modó fiat modicé, ne forte jacturæ dolor in gaudii, cui hic locus á majoribus dicatus est, sedes mœrorem induxerit. Hisce actis, in eodem sacello Deo item Opt. Max. gratias agunto. In urbem læti ludibundique abeunto.

IBIDEM.

Gaudentum locus hic; procul hinc discedite tristes.

MUTINENSIA.

IN MUTINAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Nescit quo potius tumeat Rangonia tellus:
Tot se fama nova vertit in ora vetus.
Fama vetus, tot fama recens se vertit in ora:
Ut tituli numeros nesciat ipsa sui.
Mars catus invictis admiscet viribus artem:
Ardua sic gemino nomine bella docet.
At Venus atherias cúm finxerit aurea formas:
Verborum adjunxit pondera picta modis.
Inde triplex liquidos animos inspiret Apollo:
Inde triplex nitida gratia juncta manu.
Nulla deest Erato. capiet te candida Pitho,
Ut mox oblitus tu videare tui.
Nescit quo potius tumeat Rangonia tellus,
Ergo nec dignum velle tumere putat.

IN CATHEDRALI.

FRANCISCI CASTALDI

corpus hîc jacet, cui exulanti, quoniam afflictæ bello patriæ cum lectissima manu militum opem attulit, jure patria fuit restituta. Sed fata caveri nequeunt: eum namque nocte quadam domum redeuntem, plures, & armati, solum & inermem adortum, multis vulneribus confectum trucidarunt.

Ibidem

BARTHOLOMAEI PRIGNANI.

Callimachum facili vicit qui Pindarum & ore,
Cognitus & plené cui situs orbis erat,
Bartholomæus in hac Prignanus clauditur urna,
Qui tamen invita morte superstes erit.

IN CARMELITARUM.

LUCRETIÆ PARMENSI

Bergontiorum familiæ, splendore formæ, ac venustatis decore clarissimæ; verùm pietate, & morum probitate, reiq; familiaris cura quàm longiss. clariori: Jacobus Molza conjugi amabilissimæ, cum qua per annos XXIV. conjunctissimé vixit, mœstiss. pos. Vix. ann. XXXIX. Ob. non. Cal. Majas M. D. LXXII.

Qua mortalis eram hîc jaceo, at qua nescia mortis
In prole, in claro sum rediviva viro.

Si nullæ adfuissent deliciæ; nullæ adessent miseriæ. Quia deliciæ miseriis; miseriæ deliciis commutantur.

IN AEDE DOMINICI.

GASPAR PETRAZANUS

Petra Petri Gratiani & Geminiani Pontifex, pro templis, cum templis, in templis, natus, educatus, exercitatus, vixit, egit, cecidit. Si patriam cernis, huic diversos decrevit honores. M. D. ICVIII. Cald. Decemb.

Flamma sacri juris, Flamen Jovis, optimus ossa
Petrazanus habet Gaspar in hoc tumulo.
Mactabat superis; cecidit mactatus ad aras,
Ut cecidit pro diis, stat Deus ante deos.

IN

IN AUGUSTINI.

SMERALDA MATELA,

quæ virum habuit Joannem Sadoletum, Jacobi amplissimi Cardinalis ex fratre nepotē, cum quo vixit annos XV. mens. VI. & cum matrimonii nobilitate formā, cum forma pudicitiam, difficillima omnium societate conjunctam, virilemq; rerum adversarum tum in conjugio, tum post conjugium tolerantiam constantissimé servavit, & adversus primarios civitatis competitores viduitatem: hîc sita est, post annos ætatis XXXVI. viduitatis III. VI. Calend. Sextil. ex testamento.

IN PETRI.

NICOLAI MACHELLÆ
monumentum.

Medicorum scientiâ, bonorum probitate omnium sui temporis præstantissimi; quorum utris longiore spatio antecelleret, dubium semper extitit. Vixit annos LX.

Alta cadunt vitiis, virtutibus infima surgunt.

IN FRANCISCI.

Sic ure, sic seca, ut in æternum parcas.

Ex constanti præteritorum memoria, & diligenti præsentium observatione, rerum futurarum cognitio adipiscenda.

Rerum amissarum summa sapientia oblivio.

Sumtus ne censum superet.

Diu apparandum est ædificium, ut ædifices celeriús.

D. IMM. S.

Joanni Sadoleto Ja. f. Juris utriusq; scientia omnibus plané antecellenti, memoria incomparabili, ingenio præstantiss. fide, religione, temperātia supra vel eximiam laudem ad usq; dies extremos incolumitate perpetua & integra provecto: Jac. Sadoletus, ob pietatem & reverentiam, quód ex eo nihil unquam aspexit, quód imitando non opt. & temperatissimé se gereret: caro apud cives, memorato apud exteros: opt. patri vita functo, bene merenti: & Franciscæ Machiavellæ ejus unicæ uxori, matri suæ caris-

simæ viventi,& sibi fecit. Vixit pater annos LXXI. & obiit anno M. D. XI.

Locus decreto Collegii sacerdotum datus,
Senatu Populoq; Mutinensi procurante.
Huic monumento præter tres hosce inferatur nemo.

RAVENNATIA.

IN RAVENNAM J. CÆS. SCALIGER.

PRima per Æmathias quondam vetus edita silvas
Adriacum secuit Thessala prora sinum:
Desertumq; solum, tristiq; informe palude
Muniit: atq; urbis nomen habere dedit.
Hæc belli sedes, gelido cùm miles ab axe
Proruit, & Grajos expulit inde duces.
Hinc sedet Illyrica prospectans prælia Nerei:
Ionius reduci cùm tumet æstus aqua.
Hinc oculus superiq; maris, terræq; jacentis
Excubat: hinc duris utraq; meta viris.
Si jungas solidæ liquentia marmora terræ:
In medio tanquam cor metuenda jacet.

INSCRIPTIONES RAVENNÆ.

Ad Sebastiani.

Ante portam templi S. Vitalis.

Ἐνταῦθα κεῖται ὁ στρατηγήσας καλῶς,
Ῥωμήν τε φυλάξας ἀβλαβῆ, καὶ τλὼ δύσιν
Τεὶς ἐξ ἐναυτοῖς τοῖς γαλήνοι * δεσπόταις
Ισαάκις τῶν βασιλέων ὁ σύμμαχος.
Ὁ τῆς ἁπάσης ἀρμενίας κόσμος μέγας.
Ἀρμένιος ἦν γὰρ ἔτος ἐκ λαμπρᾶς γένους.

Τοῦτ

Τέτε θανόντος δ'ηλεῶς ὁ σύμβιος
Σωσάννα σώφρων τεύχον σεμνῆς τρόπῳ
Πυκνῶς σενάξει ἀνδρὸς ἐσερημένη.
Ἀνδρὸς λαχόντ' ἐκ καμάτων δ'δοξίαν
Ἐν ταῖς ἀγαλλομέναις ἡλίου, καὶ τῇ δύσει.
Σπατὸς γὰρ ἦρξε τῆς δύσεως καὶ τῆς ἑῴας.

PORTÆ MARMOREÆ
versús mare.

CLAUDIUS SEVERUS CÆSAR AUGUST.
Germanic. Pont. Max. TR. Pot. II. Cos. desig.
III. Imp. PP. dedit.

A RAVENNA DUOBUS VEL TRIBUS MILIARIbus est columna saxea, cui insculpta sunt sequentia.

In latere quod respicit Ariminum.

Heu cladem horrendam! hîc ille percelebris ager est, viator, in quo acerrimé utrinque pugnantes viginti pené hominum millia conciderunt.

Inferiús ibidem hoc distichon.

Hac petra Petrus donat Donatus Iberos,
Gallosq; hîc cæsos, Cæsius hæc memorans.

Versús Ravennam.

Rejectus ab oppidanis amnem illac trajicit, acies instructas huc ductitat, cum prorege Hispano, Pontificioq; exercitu, indicto bello confligit.

Pauló inferiús.

Paulo IIII. Pont. Max. sedente.

P. Donatus Cæsius Episc. Narnutriusq;, Signaturæ referendarius, dum Æmiliæ præsideret, locumq; hunc conflictus, Ravennatis celebritate clarum diligenter explorasset; ne tantæ rei memoriam vetustas temporum aboleret, hoc erecto marmore conservandum curavit.

Versús flumen.

Heus viator, illic trans flumen castra metatus OLGA-

STUS FOISSEIUS Gallorum Ductor Ravennam oppugnat, murum aperit tormentis, & conatur irrumpere.

Senarii infrá scripti.

Videbis hospes huc parum attollens caput,
Inscriptus iste quid velit lapis sibi.
Recenset illam nempe cladem maximam
Galli atq; Iberi exercitus Æmilliam,
Quæ pené totam maculavit sanguine.

In quarto latere versús Forum Livii.

Hinc post cruentam Gallorum victoriam GASTONE peremto, Hispanorum reliquiæ evaserunt. Postremó capitur Ravenna á victoribus, ac diripitur. Abi.

Inferiús.

Gesta fuerunt hæc prid. Id. April. anno á partu Virg. supra sesquimillesimum duodecimo. Jul. II. Pontif. Max. Christianam Rempub. gubernante.

AD SEBASTIANI.

Vas hoc Porphyriacum olim Theodorici Gothorum Imp. cineres in rotundo apice recondens, sub Petro Donato Cæsio Narniensi Præsule Raven. tralatum, ad perennem memoriam sapientes Reip. Ravennatis P.C C. 1564.

IN IMAGINEM MORTIS.

Excipit innumeros hominum brevis hora labores,
Et redit in cineres vita caduca leves.

PHOENIX AVIS.

Securus moritur, qui scit se morte renasci;
Mors ea nec dici, sed nova vita potest.

PELICANUS.

Magnus amor, per magna fides, quam maxima virtus,
Alterius vitam morte parare sua.

DANTIS.

Jura Monarchiæ, superos, Phlegethonta, lacusq;
Lustran-

Lustrando cecini, voluerunt fata quousq;.
Sed quia pars cessit melioribus hospita castris,
Auctoremq; suum petiit felicior astris;
Hic claudor Dantes patriis extorris ab oris,
Quem genuit parui Florentia mater amoris.

VIRTUTI ET HONORI.

Exigua tumuli Dantes hic sorte jacebas,
Squallenti nulli cognite pene situ.
At nunc marmoreo subnixus conderis arcu,
Omnibus & cultu splendidiore nites.
Nimirum Bembus Musis incensus Hetruscis
Hoc tibi, quem inprimis hæ coluere, dedit.

Anno sal. 1483. 6. Kal. Jul. Bernard.
Bembus prætor ære suo P.

ALIUD.

Alexandro Trabero, nat. Suevo, Equ. Cæsareæ militiæ & Pontificis in Provincia Flaminia duci solertissimo, qui per annos 40. virtute avita, generis antiquitate & prudentia, Regum Principumq; in Italia & Germania indefesso studio castra secutus est, cum laude victoriæ signa reportans, fato Ravennæ extinctus, hîc summo mœrore, sexagenario major, deponitur. Tota cohors Germanica officii ergo B.M.F.C. M. D. XLI. XII. Cal. Jan.

TVMVLVS

P. NUM. CAR.

Linguam habui Charitum, cor Palladis, ora Diones.
Non perii, mors est splendida vita bonis.

AD VITALIS.

Jac. Arigonius heîc situs est. Hominem mors exstinxit anno ætat. suæ 53. sed exstinxit uno in homine multas virtuteis: artis medicæ scientiam eximiam: perpetuam in omni vita continentiam: denique pietatem in Deum, humanitatem in omnes homines mirificam: quæ sublata ex oculis vigebunt in animis memoriaq; multorum. Jo. Arigonius nepos ac Medicus P. &c.

AD APOLLINARIS.

Propagatori Rom. Imperii: Fundatori quietis pub. D. Fl. Constantino, Max. Victori. semper Aug. divi Claudi Nepoti: Divi Constantini F. Sertorius Silanus v. P. Præpositus Fabricæ devotiss. N.M.R.E.

LORETANA.

TEMPLI PORTÆ INSCRIPTUM LEGITUR:

INtrantes cum armis, excommunicati sunto.

IBIDEM.

Hæc est sancta domus, tenuit quam virgo Maria,
Cum puero Jesu pauper in orbe manens.
Hæc est sancta domus, lustrat quam virgo Maria,
In cælo residens, gloria magna Deo.
Felices illi queis tantum visere templum
Contigit, & gratias obtinuere Dei.
Vos ergo pueri Christum, vos læta juventus
Ducite, cantantes carmina læta, choros.

ITEM.

Hoc est sacellum, quod Mariæ matris Dei cubiculum fuit, ex Asia per immensum mare angelorũ opera in Europam tralatum: in quo & nata Maria, & educata ad annum XII. cæleste in eo accepit nuncium, atque ex Deo concepit.

Ferdin. Rom. Ung. Bohem. rex, Arch. Austr. ex voto pro salute, & in memoriam dulcissimæ conjugis Annæ, hanc ejus argenteam effigiem D. Mariæ virgini dedit consecravitq;. Θ. Anno sal. 1547. d. 27. Jan. æt. 43. m. 7. d. 5.

ANCO-

ANCONITANA.

IN ANCONAM JUL. CÆS. SCALIGER.

DEvictrix pelagi tutis anfractibus Ancon
Oſtentat placidi commoda rara ſinus.
Nimirum Dea, quæ voluit capere urbis honores,
Lenia ſic voluit reddere ſceptra maris.

INSCRIPTIONES.

In Palatio Gubernatoris.

Sint procul inſidiæ, fraudes, discordia, bellum.
Hac honor & virtus cum Jove carpit iter.

Item.

Alma fides, proceres, veſtram quæ condidit urbem,
Gaudeo in hoc ſociam vivere poſſe loco.

IN PORTU

Arcus Trajani.

Imp. Cæſ. Divi Nervæ F. Nervæ Trajano opt. Aug. Germanico, Dacico, Pontif. Max. Trib. Pot. XVIII. Imp. XI. Cos. VI. PP. providentiſſ. Principi, S. P. Q. R. quód acceſſum Italiæ, hoc etiam addito ex pecunia ſua, portum tutiorem navigantibus reddiderit.

MARMOR DACICUM Trajani.

Providentia Aug. veré Pontificis, virtus Romana quid non domet? ſub jugum ecce rapitur & Danubius.

Manilii Marulli tumulus.

Manilio Marullo patria Conſtantinop. vetuſtiſſ. Marullorum genere nato, qui ex D. D. Gordianis Marullis Rom. Imp. originem ducunt, omnibus virtutibus honeſtisq; moribus prædito: á Turcis fortunis ampliſſ. ſpolia-

to, patriaq; ejecto: summis magistratibus, legationibusq; variis, terra mariq; laboribus, vita denique Idibus Novembr. Anconi defuncto, Philippus, Theodorusque filii parenti pientiss. qui vixit annos LXXXXV. pos. An. sal. M. CCCCC.

ALIUD.

Flens primùm has auras hausi puer omine diro,
Flebilis erepta vita fuit patria.
Nunc quoq; flens morior, ne quid non flebile restet:
Hæc est humani conditio generis.

EUPHROSYNES TARCHANIOTÆ, Man. Marulli uxoris.

Quænam hoc in tumulo tegitur matrona? venustam
Ille pudicitiam dixerat, hæc eadem est.
Quod genus? Inachidi. generis fortuna? beata.
Sed cecidit patria deficiente sua.
Quis torus? unus. & hic felix sine lite, Marulli.
An mater? sero pignore fecit avum.
Quæ vita? in tenebris. quæ causa indigna doloris?
Occasus patriæ, servitium q; grave.
Ecquem cum patria luxit? fratrem q; patrem q;:
Sed quas felices diceret esse animas.
Felices nimirum animæ, sed & hæc quoq; felix
Fœmina tam rari pectoris in tenebris.

PHILIPPI MARULLI MANILII patris.

Siste hospes, atq; hæc verba, si placet, lege.
Neq; enim rogamus nisi lubentem quempiam.
Ego Philippus hic Marullus contegor.
Posuit superstes filius Manilius,
Uxorq; Thomæ. hoc satis, cætera alii.
De Marullo ulterius proloqui nefas.

MICHAELIS TARCHANIOTÆ Euphrosynes patris.

Parce hospes, cineresq; pios ne læde profanus,
Si nescis, castis hæc loca sola patent.

Nec

Nec te privata moveat quód claudor in urna,
Hæ quoq; fortunæ non mea cura fuit.
Longé, hospes, longé tamen erras, si mea credis
Nomina in exiguo tota reposta solo;
Quæq; tot ob patriam pugnando vulnera passus,
In cineres mecum versa abiisse leves.
Atq; utinam ob patriam tantúm, nec dicerer hospes
Cum patria & natis oppetiisse tribus.
Quos ego suprema comites hortatus in hora,
Vincere dum nequeo, pro patria perii.

TVMVLVS

MICHAELIS TARCHANIOTÆ MARULLI, EUPHROSYNES TARCHANIOTÆ ET MANILII MARULLI F. Philosopho & Poëtæ præstantissimo.

Dum floruit magni decus Byzantii
Marullus, alti lucidam Jovis domum,
Laudesq; factaq; omnium extulit Deûm.
Visa suorum cæde, patriæ ignibus,
Leto parentum, fortis exilium tulit,
Sacris operatus Musicis; fluvio perit,
Aliis dolendus. ipse quæ præviderat,
Æternitatis templa, non miser, colit.
Plectro & decorus aureo, & tota gravis,
Grajam facit cantu stupere Pierin.

PAULI TARCHANIOTÆ EUPHROSYNES fratri, Marulli avunculo.

Quód procul Inachiis tegeris carissime ab oris,
Desine de fato Tarchaniota queri.
Una eadem terra est, quam cernis, abiq; locorum,
Nec minus Elysium hinc, aut minus inde via est.
Nam nobis mandata satisq; superq; dedisti,
Tot rerum invictus pondere & exilii.

ANTE TEMPLUM CORPORIS Christi.

Hic est cibus, qui plené reficit nõ corpus, sed animam;

non ventrem, sed mentem. Si quis ex hoc comederit, vivet in æternum. Christi Dei Opt. Max. Eucharistiæ honori Collegium hoc templum dicavit M. D. LVI.

IN HOSPITIO MERCATORUM.

Hic cives complector, opum quos cura fatigat.

IN S. CYRIACI.

Solus in obscuris degens Hieronymus antris,
Hic recubo montis accola Cimmerii.
Vnde mare & terras tenebrosumq; aëra circùm,
Et video cœlum, quod colo, sydereum.

PISAURENSIA.

IN PISAURUM JUL. CÆS. SCALIGER.

HIc Roma fulsit primùm spes ultima vitæ:
Unde loco atq; urbi nomina ducta canunt.
Dum Gallus Romana actis imitatur avitis
Arma, premens arma Romula victor adest.
Postquam é sollicita posuit discrimina mente:
Torpuit occulto dextra soluta metu.
Ah quid agis soboles priscorum invicta deorum?
Rerum, non auri summa petenda tibi est.

IN PALATIO FRANCISCI FRONTINI.

Consule anté opus.
Ne cede malis.
Nemo sibi nascitur.
Quod adest boni consule.
Delibera tardé.
Patientia finit opus.
Omnia potest exercitatio.
Vigilias lenit quies.

Regium

Regium est posteris illustrasse.
Nihil sine numine divûm.
Labor ex nihilo aliquid.
Virtus est os animæ.
Perseverantia coronatur.
Sollicitudini omnia prosperé.
Senesco addiscens.
Mortalium vita brevis.
Nosce te ipsum.
Nihil citra pulverem.
Somnus ab oculis.
Verum decus in virtute.
Amicus usque ad aram.

In ædibus supra januam.

Hîc in te descendens tecum semper habita.

LABORUM QUIETI: REFOCILLATIONI SPIRITUS.

IN HORTO DUCALI.

Statua loquitur.

Veneri vixi æmula. Saxo occuluit delicias livor. Pietate artificis æternúm vivebam, nisi me vidisset marmoream Venus.

IN VILLA DUCIS.

Fr. Mariæ Duci Metaurensium á bellis redeunti, Leonora uxor animi ejus caussâ villam exædificavit, pro sole, pro pulvere, pro vigiliis, pro laboribus, ut militare negotium, quiete interposita, clariorem laudem fructusq; uberiores pariat.

ARIMINENSIA.

IN ARIMINUM J. CÆSAR SCALIGER.

PRisca fui quondam civilis meta furoris:
Sed non fortunæ meta futura fui.
Non tum arma togæ, non cessit laurea linguæ.
Cæsaris est facere, haud sub Cicerone loqui.

INSCRIPTIONES.

IN PUBLICI PALATII CAENACULO QUODAM, *in parietibus circumquaq; historiæ depictæ visuntur, cum subjectis inscriptionibus.*

I. Ariminum á Comitibus Herculis conditum. Cato de orig.

II. Lucius Ausaponius bonus civis, deduxit coloniam Ariminum.

III. Annibale victore, Imperium populi Rom. stetit Ariminensium subsidio, inter XVIII. Rom. colonias.

IV. L. Sempronius Cos. compositis Siciliæ rebus oram Italiæ legens, Ariminum pervenit.

V. C. Cæs. militibus præmissis, mulis ad vehiculũ junctis, nondum die illucescente Ariminum occupavit.

VI. Inter meliores, ditiores, pulcriores Italiæ civitates, Ariminũ á III. viris militibus in prædam concessum.

VII. Augustus Cæsar, quó urbs faciliús adiretur, Arimino tenus Flaminiam munivit.

VIII. Vespasianus & Titus Cæsares Arimini invenere, M. Aponium C. & L. Tertalam CXXXVII. annos vixisse.

IX. In Ariminensi agro, in villa Galerii, loquutus est gallus gallinaceus.

X. Concilium, cui beatus Hieronymus interfuit, Arimini est celebratum.

XI. Arimi-

XI. Ariminum á Gothis obsessum, per Bellisarium & Narsetem Duces Justiniani liberatum.

ALIA VETUS INSCRIPTIO.

Cajus Marius Cos. VII. Pater Trib. Pleb. Q. August. Tribunus militum. Extra sortem bellum cum Jugurtha Rege Numidiæ postquam gessit, eum cepit, triumphans in secundo consulatu ante currum suum duci jussit. Tertiúm consul absens creatus est. IV. Consul Teutonorum delevit exercitū. V. Consul Cimbros fudit; ex illis & Teutonis iterum triumphans, Remp. turbatam seditionibus Trib. Pl. & Prætorum, qui armati Capitolium occupaverant, VI. Consul vindicavit. Post LXX. annum patria per arma civilia pulsus, armis restitutus, VII. Cos. factus est. De manubiis Cimbricis & Teutonicis ædem Honori & Virtuti victor fecit, veste triumphali, calceis patriciis, &c.

IBIDEM.

Q. F. Maximus Dictator, bis Cos. V. Censor. Sacrorum II. Æd. Cur. Q. II. Tr. Militum. II. Pont. Augur. Primo consulatu Ligures subegit, ex iis triumphavit tertió & quartó. Hannibalem compluribus victoriis ferocem subsequendo coercuit. Magistro equitum Minutio, cujus populus imperium cum Dictatoris imperio æquaverat, exercitu profligato subvenit, & eo nomine ab exercitu Minutiano pater patriæ appellatus est. Consul V. Tarentum cepit, triumphavit. Dux ætatis suæ cautissimus, & rei militaris peritissimus habitus est. Princeps in Senatu duobus lustris lectus est.

AD FRANCISCI.

Sigismundus Pandulfus Malatesta Pandulfi F. ingentibus meritis, probitatis, fortitudinis, generi suo, majoribus posterisq;.

Sum Sigismundi Malatestæ é sanguine gentis
Pandulfus genitor, patria Flaminia est.

FONTIS.

Pauli III. P.M. munus.

TUMULUS

THEMISTII BIZANTINI, Philosophorum sua tempestate principis; reliquum Sigis. Pandulfus Malatesta, Pand. F. belli Pelopon. adversus Turcarum regem Imp. ob ingentem eruditorum, quo flagrat, amorem, huc adferendum, introq; mittendũ curavit. M. CCCC. LXV.

INSCRIPTIO AD RUBICONEM FL.

Jussu mandatúve P. R. Cos. Imp. Trib. mil. Tiro, commilito armate, quisquis es, manipulariéve centurio, turmæve legionarie, hîc sistito, vexillum sinito, arma deponito, nec citra hunc amnem Rubiconem signa, arma, exercitum, commeatúmve traducito. Si quis ergo hujusce jussionis adversus præcepta fecerit; adjudicatus esto hostis P. R. ac si contra patriam arma tulerit, penatesq; é sacris penetralibus asportaverit. Sanctio plebiscíti Senatúsve consulti. Ultra hos fines arma aciesque proferre liceat nemini. S. P. Q. R.

IN TEMPLO MALATESTARUM.

Σιγίσμυνδ⊙ παυδ́λφ⊙ μαλτέσας, παυδ́λφ⊙, πλείσων τε κὴ μεγίσων κινδύνων χ͞ρ̃ ἡ ἰταλικ* πόλεμον ἀσφαλεσθεὶς νικηφόρ⊙, ὑπὲρ πᾶσ́ πωσεὶ πεφυχθέντων ἀνδρείως καὶ δ'τυχῶς θεῷ ἀθανάτῳ, καὶ τῇ πόλει, ὡς ἐν τῇ ἀυλῇ ἀσφαλείᾳ τυχὼν, δ́ξάμεν⊙, μεγαλοπρεπῶς ἀναλώσας ἤγειρεν, καὶ μνῆμα κατέλιπεν ὀνομασόντε καὶ ὅσιον.

FULGINIAE.

SAlve stella maris, lucens per secula cunctis,
Qua geris in gremio qui Deus est & homo.

IN ADITU TEMPLI.

Pulcrum fuit nasci, sed salubrius redimi.

ALIUD.

Ad mortem properas, vel si hîc paulúm ipse moreris,
Siste gradum, cœptum tutius ut sit iter.

Tutius

Tutum iter ad mortem, tutum si vivere temnas
Ut vivas. vitæ hæc cura sit una tuæ.

Ugolino Crispolto Perusia genus & nobilitatem, Vectonium sedem & honestas opes, Fulginia uxorem & urnam dedit.

FANENSIA.

IN CATHEDRA JUDICIS.

SUB GIGANTE PORTANTE
cœlum in humeris.

NOn levius fert pondus optimus Senator. Loquuntur multi, pauci dicunt.

AD CAMILLI.

Justitiam rectumq; sequi monstrante Camillo
Discite: sitq; dolo vincere turpe viris.

ITEM.

Impietas pietate nova depulsa parentis
Pro patria in patriam nos docet esse pios.

ITEM.

Pugnant tergemini per mutua vulnera fratres
Asserere imperium, non sibi, sed patriæ.

ITEM.

Pro patria certamen obi, tibi candidus ales
Fiet, opemq; feret, sit licet ipse niger.

ALIUD.

Mollit, agit, nectitq; aures facundia, sed non
Labem animi eloquio tollere lingua potest.

Quod si Reipub. opes tum in sua quisq; privata commoda, tum in cuiusvis gratiam profundere decrevistis; ad illum saltem P. C. angulum reservate.

SENENSIA.

IN SENAM JUL. CÆSAR SCALIGER.

Cum premere invictis vicinas viribus urbes
Martius imperii sollicitaret amor;
Abstinui, & justam colui sub pace quietem:
Summaq; judicii maxima, nolle, fuit.
Quot nam oblita sui, quæ regna aliena petebant?
Ut mea sim, pro me sit potuisse satis.

INSCRIPTIONES.

IN LITHOSTROTO SUMMI TEMPLI *imagines Sibyllarum positæ, an. 1482.*

I. SIBYLLA ALBUNEA, *seu Tiburtina, quòd Tiburi pro Dea coleretur.*

Nascetur Christus in Bethlehem, annunciabitur in Nazareth, regnante Tauro Pacifico, fundatore quietis. O felix mater cujus ubera ipsum lactabunt!

II. SAMIA, *de qua loquitur Eratosthenes.*

Tu enim stulta Judæa, DEUM tuum non cognovisti, ludentem mortalium mentibus, sed & spinis coronasti, horridumq; fel miscuisti.

III. PHRYGIA, *quæ Ancyræ vaticinata est.*

Tuba de cælo luctuosam emittet vocem: tartareum chaos ostendet dehiscens terra; venient ad tribunal DEI reges omnes: DEUS ipse judicans pios simul & impios, tum demum impios in ignem & tenebras mittet; qui autem pietatem tenent, iterum vivent.

IIII. HELLESPONTICA, *in agro Trojano nata, quam scribit Heraclides tempore Cyri fuisse.*

In cibum fel, in potum acetum dederunt; hanc inhospitalitatis

ſpitalitatis monſtrabunt menſam. Templi veró ſcindetur velum, & medio die nox erit tenebroſa tribus horis.

V. LIBYCA, *cujus meminit Euripides.*

In manus iniquas veniet: dabunt DEO alapas manibus inceſtis: miſerabilis & ignominioſus, miſerabilibus ſpem præbebit.

VI. CYMEA, *quam Piſo in annalibus nominat.*

Et mortis fatum finiet, ſomno trium dierum ſuſcepto; tunc á mortuis regreſſus in lucem veniet, primus reſurrectionis initium oſtendens.

VII. DELPHICA, *de qua Chryſippus.*

Ipſe tuum cognoſce DEUM, qui DEI eſt filius.

VIII. CUMANA, cujus meminit Virgilius.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

IX. ERYTHRÆA, *quam Apollodorus ſuam ait eſſe civem.*

De excelſo cœlorum habitaculo proſpexit Dominus humiles ſeruos, & naſcetur in diebus noviſſimis de virgine Ebræa in cunabulis terræ.

X. PERSICA, *cujus meminit Nicanor.*

Panibus ſimul quinque, & piſcibus duobus hominum millia quinq; in eremo ſatiabit, & reliquias tollens duodecim cophinos implebit, in ſpem multorum.

AQUILÆ lemma.

Invicto poſita heic Carolo ſum Cæſare Quinto.

IN SERIE PAPARUM JOAN. IIX.
inſcriptio.

Femina de Anglia.

IN DOMINICI.

Quisquis ab Hesperiis venisti sedibus hospes,
Accipe quæ referas, si redituras ades.
Perpetuó flendus jacet hîc Antonius atra
Morte Dias. hoc te nolo latere, vale.

Ob. Ant. Dias Lusitanus 6. Id. Jul. an. 1541.

SYLVII, PII. II. P. M. PATRIS, ad Mariæ.

Sylvius hîc jaceo, conjux Victoria mecum est.
Filius hoc clausit marmore Papa Pius.

AD DOMINICI.

D. O. M. Angelo Placito juveni Græcæ Latinæque linguæ peritiss. mira animi, generis & corporis nobilitate clariss. sexta ætatis suæ Olympiade defuncto, cujus mores, virtutesque omnes, intuentes Parcæ, senem putavere: Jo. Bapt. pater omnium infeliciss. æternúm lacrymans B.M. P. An. sal. 1522.

IN SACELLO UBI OLIM FUIT BIBLIOTHECA *Æneæ Sylvii, qui postea dictus est Pius II. hæc ipsius elogia leguntur.*

Æneas Sylvius Picolomineus natus est patre Sylvio, matre Victoria, VIII. Octobr. Anno M. CCCC. V. Corsiani, in fundis gentilitiis.

Basileam ad Concilium contendens, vi tempestatis in Libyam propellitur.

Æneas Sylvius á Basilienſi Concilio in ulteriorem Britanniam orator, ac Scotiam ad regem Calixtum missus, á tempestate in Norvvegiam pulsus, & per Britanniam, regios speculatores eludens, Basileam revertitur.

Hic Æneas á Felice V. Antipapa legatus ad Fridericum III. Cęsarem missus, laurea corona donatur, & interamicos ejus & secretarios annumeratur & præficitur.

Æneas á Friderico III. Imp. legatus ad Eugenium IV. missus, non solúm ei reconciliatus est, sed hypodiaconus & secretar. mox Tergestinus, deinde Senensis antistes creatus.

Æneas

Æneas Friderico III. Imp. Leonoram sponsam exhibet, & puellæ ac regum Lusitanorũ laudes complectitur.

Æneas Senensis antistes ad Calixtum III. orator á Friderico III. missus, Pontif. ad bellum Asiaticum armat, & Patrum Principumq; omnium rogatione Cardinalis efficitur.

Calixto mortuo, Æneas Cardinalis Senensis acclamatione Patrum, apertisq; suffragiis Pontifex deligitur, & Pius II. nominatur.

Pius II. Pontif. Max. á Ludovico Mantuanorum Principe, classe in naumachiæ speciem exceptus, v I. Kal. Junii Mantuam ad indictum de expeditione in Turcas conventum ingreditur.

Pius II. Pontif. Max. Catharinam Senensem, ob innumera ejus miracula, inter divas retulit.

Pius II. cúm Anconæ expeditionem in Turcas acceleraret, ex febre interiit: cujus animam Eremita Camaldalensis in cælum efferri vidit. Corpus veró Patrum decreto in urbem deportatum est.

SUB SOCRATE ET CRATETE.

Huc properate viri: salebrosum scandite montem:
Pulcra laboris erunt præmia, palma, quies.

Sub quadam pictura.

Deum maximum & posteros offendi.
Utrisq; debeo; neuter mihi.

ALIBI.

Hoc hospes potes æstimare saxo,
Humani nihil esse non caducum.

ITEM.

Domenico da Siena, testa matta,
E qui sepolto, un huom senza vergogna,
Nacque, risse, & mori con tanta rogna,
Che cosi morto, morto ancor si gratta.

IN ARCE NOVA.

Cosmus Medices Dux Florentiæ & Senarum, Arcem & unâ Senensium quietem & securitatem fundavit. Anno 1561.

AD S. MARIÆ.

Castissimæ virginis templum casta mente ingredere,

IN TURRI.

Petrus Antonius de Allegretis hujus turris sublimitatem vetustate consumtam instauravit an. 1566.

AD FRANCISCI.

D. O. M. Quisquis es, si pius es, ne parcito lacrymis. Hieronymus Saracenus hoc paruo contegor tumulo: quidum ab hostibus obsessam patriam liberarem, pectus clypeum pro civibus offerens, victoriam & immortalem mortem reportavi. Quæ superis, naturæ, patriæ, amicis, parentibus debui, persolvi. Si pié patriam amas, quæso ne invideas. In acerbissimam pietatem mœstiss. parentes P. P. quarta Olympiade nondum peracta. An. 1526. m. Quinct. d. 27.

IBIDEM.

Camillo Saraceno indolis ingeniique egregii puello, unico amplarum fortunarum hæredi, ex ponticulo á parietum structoribus malé fulcito delapso, & exanimato, Virginea mater, nunc vidua & infausta, fecit. cujus orbitate luctum nunquam finiendum, puerique casum lector condoleas. Vixit an. 9. m. 3. dies 8. & 20.

IBIDEM.

D. O. M. Nannem Marsilium, ne immortalis fieret (id enim de se promittebat) in XII. ætatis suæ anno immatura mors exstinxit: præclara Camilla, illa inquam Marsilii conjunx, delicias suas heîc posuit, quæ generosæ puellis studiosa, dum mortaleis immortaleis Nannem & Mutium filios faceret, quod diis proprium; humano invidens ingenio, mors præripuit. An. 1533. d. 11. Novembr.

AD

AD AUGUSTINI.

Heleonoræ Piccol. Hieron. F. pudicitia inenarrabili, egregiaque forma præditæ, prudentia veró plus quám fœminæ, diem suum obeunti, Augustus Chisæus uxori carissimæ suavissimæq; P. C. Ob. 3. Id. Febr. 1561.

IBIDEM.

Servatori Deo pacis custodi. Genio, Manib. & umbræ Georgii Ecard. civis Inspruchensis: Erasmi Mani de Fuchstadt Germanicæ cohortis præfecti primipili subcenturionis, qui illustriss. Joh. Baptista Archii Comite Prætore, Tribuno, Senensi bello, Cæsaris secutus militiam, clarissimum decus sibi suisq; peperit. Prælio veró quod apud Marcianum depugnatum est, pro sua virili Germanum nomen insigni gloria præstitit inviolatum. Decessit ann. sal. 1556. prid. Kal. August. æt. suæ an. 30. d. 7. flentes P. P. commilitones.

IBIDEM.

Margaritæ Griffolæ incomp. prudent. integrit. q. matronæ, conjugi cariss. qua cum 2. & 20. ann. conjunctiss. amantiss. q; vixerat: filiosq; 20. ex ea suscep. Scipio Verdellus, non tam senio quám mœrore confectus, P. C. Vixit ann. 66. Obiit Kal. Jul. 1563.

IBIDEM.

Euphrasiæ ex Illiceor. Comitũ gente, Claudio Socino juveni nobiliss. desponsatæ, quæ, egregiam teneris in annis corporis pulchritudinem senili prudentia superabat. Hanc, dum illi Hymenæus lætus frequenti pompa jam-jam nuptiales tædas accenderet, invida Mors atras faces præferens, in quarto decimo heu nefas ætatis suæ anno extinxit. Achilles Illiceus Comes, & Catharina Burghesia parentes mœstiss. P. P. III. Non. Mart. 1554.

IBIDEM.

Porciæ Saracenæ Jul. F. prole ac virtute fœcundæ, 7.

superstitib. lib. diem pudiciss. functæ, Virginia mater domo ejus penitus destituta, & Claud. Ptolemæus conjunx, omnium mœstiss. pié P. P. Vixit annos 32. m. 4. d. 7. Ob. prid. Kal. Jul. 1553.

Vixit tanquam moritura.
Mortua est tanquam victura.

IBIDEM.

Aureliæ Petrucciæ Burghesii filiç, cui nihil defuit quod fas esset optare, post annum alterum & 30, quám terris ostensa est, cælo redditæ, Camillus conjunx lacrymans P. 4. non. Novemb. an. Dn. 1542.

IBIDEM.

Lact. Lucarinus causid. Senensis, spiritum Deo, prolem Naturæ, labores Forti, probitatem Famæ, nefas herebo, ossaq; sepulcro. sibi vivens ac posteris D. an. sal. 1558.

IBIDEM.

Non ita multum curandum est eis, qui necessarió morituri sunt, quid accidat ut moriantur: sed moriendo quó ire cogantur. Christophorus Franciscónius, hoc sibi & posteris dicavit monimentum.

AD CARMELITAS.

Hieronymus Sermoneta Jo. F. hac urna trimulus conditur. Parentũ vita, dum vixit; dum moritur, mors. Nunc orbi urbem & orbem, fastus & festa fastidiunt. 1501.

IN TEMPLO XENODOCHII.

Jo. Bucius Eques, hujus Xenodochii rector, Jacobusq; Pius frater, Gneaq; utriusque dilecta mater, ut domi in vita, sic post obitum heic unâ esse voluerunt. An. 1519. d. 24. Aug.

ITEM:

Joannes Ugurgerius decreto publico heic situs est. Decessit montis aperti clade an. sal. 1260. Is adeó auri abundans fuisse fertur, ut necessitatis tempore ultró reip. duos currus

currus auro refertos Reip. obtulerit, tantundem, aut plus etiam, sibi in ædib. reservans. Ob id etiã ædes in foro reliquis omnibus prominentiores ædificare cõcessum est illi. Item, ut primus civiũ in summo hoc templo sepeliretur.

D. O. M.

Campanus jacet hic nostri clarum decus ævi,
Eloquio resonans, carmine, & historia.
Nec tamen hic totus. sola hic sunt ossa. petivit
Cælum anima, ast orbem gloria, corpus humum.
Interiit corpus: vivit sed gloria: vivit
Spiritus. in solo corpore mors potuit.

Vixit an. L. Ob. an. sal. 1477.

ALIUD.

Humanis nulla est rebus fortuna perennis;
His mundi vicibus denique, finis erit.
Ne quererere afflictus, neu tu confide secundis;
Omnia sub parvo dispereunt tumulo.
Sed venerare Deum, si mox cupis esse beatus.
In cæca heu transfert tartara nos vitium.

Bonsignor de Celsa Canon. Senen. & Doctor Pontificius hoc sibi mon. vivus P. 1505.

ITEM:

Illustri Joan. Bentivolo II. cujus si virtutem spectes, satis vixit; si ætatem, parum. Is cúm in exercitu Henr. II. Franc. regis alæ equitum magna cum laude præesset; ad paludem Clavis á copiis Florẽtiæ Ducis oppressus, in bello quod pro evertenda Senen. libertate gerebat, maluit in prælio fortiter occumbendo egregiam sui memoriã linquere, quám fugiendo turpiter avitæ gloriæ deesse. Cornelius Bentivolus, & Anton. Gal. fratres mœstiss. P. P. An. Dn. 1554. Vix. ann. xx.

AD DOMINICI.

Impia mors rapuit quos huc Germania misit.
Et dedit his requiem relligionis amor.

D. O. M.

Nobilis ex claro majorum sanguine cretus,
Nicolaus Reibeis hac tumulatur humo.
Cui fortuna favens dederat naturaq; dextra,
In magno quæ sunt cunq; petenda viro.
Qui studii longi jamjam petiturus honores,
Præripitur patrii spesq; decusq; soli.
Sed mortalis erat, tumulus mortalia condit,
Spiritus in Christi vivit agitq; sinu.

Nic. Reibeisen Germanus Bavarus decessit an. Dn. M. D. LII. XXIV. m. April. ætatis suæ XXIIV.

AD DOMINICI.

Johannes Trugses, ex Waldersvvalde, nobili ortus genere, Juris Pont. Doctor, heic situs est, numerans annos suæ ætat. 33. quũ Friderico Saxoniæ Duci Senę famulatur, diem clausit. An. sal. 1494. Jan. die 24. prosecutus domini, & civium & confamulorum lacrymis piiss.

IBIDEM.

Heic jacent ossa Georgii Franchi U. J. D. anima verò ubi in vita præparavit. Ob. 8. d. Maji, h. 14. An. sal. 1545.

ITEM:

Nemo me lacrymis plorat, nam mortua non sum.
Vivo sed in superis læta beata locis.
Marmore tu cinerem claudis Hieronyme conjux,
Ipsa sed ante Deum supplico ut astra petas.

Montanimæ Laurentii Boninsignii Equitis F. gratia & decore supra cæteras insigni. quæ vix. an. 25, cum viro 9, trib. liberis superstitibus decessit. Hieron. Petruccius uxori honestiss. & concordiali B. M.

Cur turbata fremit Pallas? cur Delia clamat?
Cur lacerat sævo nunc Venus ungue genas?
Occubuit quoniam sapientia, forma, pudorq;,
Cuncta puellari corpore juncta simul.

Prob

Proh mala ſors hominum! nam quæ precioſa ſuperſunt,
Continuó properat impia mors rapere.

EXTRA PORTAM CAMULIAM.

Cæſ. Fridericum III. Imperat. & Leonoram ſponſam Portugal. Regis F. hoc ſe primùm ſalutaſſe loco, lætisq; inter ſeſe conſultaſſe auſpiciis, marmoreum poſteris indicat monumentum. An. Dn. 1451. 7. Kal. Martias.

AD S. MARIÆ.

Hermes Triſmegiſtus, contemporaneus Moyſi. Suſcipite literas & leges ô Ægyptii. Deus omnium creator ſecum Deum fecit viſibilem, & hunc fecit primum & ſolum, quo oblectatus eſt, & valde amavit proprium filium, qui appellatur ſanctum Verbum.

IN S. DOMINICI.

GERMANI CUJUSDAM EPITAPHIUM.

Vina dedere neci Germanum, vina ſepulcro
Funde, ſitim nondum finiit atra dies.

IN S. AUGUSTINI.

Quid lacrymis opus eſt conjux, quid plangere prodeſt?
Sunt ſacrata Deo cantica grata magis.
Eſt commune mori, nulli vitabile. quid vis?
Hunc paſſum ſemper mors comitata fuit.
Pignus amoris habes noſtri pro morte relictum,
Cujus prima dies hæc mihi ſumma fuit.

IN S. SPIRITUS.

Alexandro Ugolino, peditum Præfecto, ſuæ vitæ brevitatem in patriæ obſidione rerum geſtarum magnitudine compenſante, acerrimo tormenti ictu tandem ſublato, Julius & Nicolaus fratres mœſtiſſimi poſuerunt, ſuæ ætatis anno XXIX. Idib. Aprilis M. D. LIV.

POTATORIS.

Vina dabant vitam, mortem mihi vina dedere;
Sobrius auroram cernere non potui.

Ossa merum sitiunt, vino consperge sepulcrum,
Et calice epoto care viator abi.
VALETE POTATORES.

IBIDEM.

Honorata Ursina puellarum decus, matronarum splendor, conjugum honos, pudicitiæ jubar, sanctimoniæ templum, virtutum & formæ cumulus, hoc brevi conditur sarcophago.

AD SANCTUM BERNARDINUM
extra muros.

PAULO VITELLIO,

A quibus non debuit injustè confosso, post condonatam, ut Christianum decet, injuriam religiosissimè mortuo, Anton. filius piiss. patri benemerenti. Vix. ann. LXII. mens. VIII.

IBIDEM IN CELLA.

Grata domus, genitor, frater, cariq; sodales,
Et quondam preciosa mihi terrena valete.
Sat me lethifera mundus dulcedine lusit,
Sat tenuit me falsus amor, discedo solutus
His laqueis, secura juvat jam claustra subire.
Nudus ab hoc pelago veniens ad littus amœnum,
Te bone Christe sequor; solus mihi sufficis unus.

IBIDEM.

In mundo spes nulla boni, spes nulla salutis.
Sola salus servire Deo, sunt cætera fraudes.

IN PRÆTORIO SENENSI AD IMAGINES
Julii Cæs. & Cnei Pompeii.

Hos pietate viros animis infigite cives:
Publica concordi dum sunt bona mente secuti;
Majestas Romana duces tremefecit & orbem.
Ambitio sed cæca duos ubi traxit ad arma;
Libertas Romana ruit, scissoq; Senatu
Heu licet & puero caput alta ascendere Roma.

VITER.

VITERBII

IN CURIA.

PRodesse velis semper: præesse raró: obesse nunquam.

IBIDEM AD REGUM ET PRINCIPUM *Viterbiensium imagines.*

1. Magnus Osyris, primus heîc coloniam P.
   Constantia civium arx munitiss.
   Florente repub. omnia bona suppetunt.
2. Atilas ab Osyride rex Coloniæ institutus.
   Bene gestorum memoria non senescit.
   Virtutes urbi vera sunt ornamenta.
3. Coriadus in principatu Atilanti successit.
   Honestum & decorum expetendum.
   Nefarium, remp. habere quæstui.
4. Jasius ex Coriado Jasiellas thermas invenit; & Cibellarium coluit.
   Seniorum vitæ Juniorum mores
   Publicum auget, Privatum disipat.
5. Hercules nos Arbano Herculis oppido, ac insigni leone decoravit.
   Bonum consilium consultori optimum.
   Felix respub. ornata bonis civibus.
6. Tyrrhenus Derbus, Herculis nepos, á quo Tyrrheni & Derbienses dicti.
   Vir sapiens est civitatis splendor.
   Saluti pub. semper consulendum.
7. Janus horum omnium pater.
   Præmia magistratus, honor & gloria.
   Servata pace restituta felicitas.
8. Darron é Tyrrheno XII. oppida hac in regione condidit.
   Nihil præclarius, quám bene de rep. mereri.
   Præferre patriam liberis regentem decet.

9. Desiderius Rex fecit fanum almæ Vulturniæ Lucomonæ, Hæc 1 v. castella muro cingens, Viterbium appellavit.
   Summum bonum civitati, optimé gubernari.
   Fortis & prudens.
10. Joan. Palæologus Viterbiensis Constantinop. Imp.
   Dux bonorum omnium veritas.
   Ab optumo longé ambitio relegata.
11. Joan. Palælogus junior familiæ ultimus heîc moritur.
   Frugalitas commune præsidium.
   Fama virtutum, tuba perennis.
12. Joan. Annius Viterb. historiam patriam illustravit.
   Labor æterni sator.
   Concordia civium firmamentum Reip.

DECRETUM JUL. CÆSARIS DE M. TUL. *Cicerone, inventum Viterbii.*

M. Tullium Ciceronem, ob egregias ejus virtutes, singulares animi dotes, per totum orbem nostris armis virtuteq; perdomitum, salvum & incolumem esse jubemus.

C. Jabolenus.

SUPRA JANUAM QUANDAM CURIÆ.

Modesté accedendum: Modesté recedendum.

IN ALIO CONCLAVI.

Semper adesse Deum cogita.
Nulla pallescere culpa.
Divinum semper excipito.
Tranquillitati comes unanimitas.

TICI-

TICINENSIA.

IN TICINUM J. CÆSAR SCALIGER.

Qua citus Eridani ditat Ticinus arenas,
Gratus honoratas hospitis hospes aquas:
Lux studiorum ingens: regum pulcherrima sedes,
Signat inexhausti jugera plena soli.
Devicta Italia, reliquis voluere relictis
Magnanimi hac potius parte sedere Duces.
Pace tua, Hesperia alma parens, hæc dixero: quanta es?
Quantáve sum? totum es: pars tamen una placet.

INSCRIPTIONES.

In Francisci.

Baldus editiorem sortitus locum, hîc octo & decem supra centum annis obdormierat. M. D. XIX.

In novo monumento Epitaphium Baldi J.C. clariss.

Vita, labor, studium, divini cultus amoris,
Artes naturæ, regis fulgentia dicta,
Legales norma, pastorum cælica jura
Ornant Baldi animam, quæ pandent dogmata clara.
Quisquis nunc linquit mortalia pondera carnis,
Dulcia jam gestans auctoris pascua sumit.
Conditur hic Baldus, Franciſci tegmine fultus,
Doctorum princeps, Perusina conditus arce.

Obiit 1400. die 28. April. in aurora.

Aliud ejusdem.

Filius Astræa, morum pater, artis alumnus
Cæsareæ, verus relligionis honos.
Baldus Perusii ducens cognomen ab urbe,
Clauditur hîc, animam sidera summa tenent.

FRANCISCI CURTII.

Sacrarum interpres legum, sanctissimus olim
Franciscus, patriæ gloria magna suæ.
Quem probitas, quem cana fides, pietasq; decorum
Fecerat, hoc positum marmore corpus habet.
Obiit 1495. 3. Julii. Bernardinus Curtius gratus filius fieri jussit.

ALIUD.

Luitpardus Longobardorum Rex inclytus, ob translatum D. Augustini corpus, templum hoc simul & Abbatiale cœnobium religiosé inibi degentibus, cum dote instauravit. Anno DCC.XVII. *Infrá*. Hîc jacent ossa Regis Luitprandi.

EPITAPHIUM ALCIATI, IN *ade D. Epiphanii.*

D. M.

Andreæ Alciato, Mediolanensi J.C. Comiti, Protonotario Apostolico, Cæsareoq; Senatori, qui omnium doctrinarum orbem absolvit, primus legum studia antiquo restituit decori. Vixit ann. LVII. mens. VIII. d. IV. Ob. prid. Id. Januarii, anno M. D. L. Franciscus Alciatus J.C. A.B.M.P.

Ad sinistram: μηδὲν ἀναβαλλόμενος.

Ad dextram: ἀνδρὸς δικαίου κάρπος ὁ πόλυτος.

ALIUD.

Christophoro Truchses, sacri Rom. Imp. hæreditario Dapifero, Baroni in Walpurg, Trib. milit. Cæs. in expeditione Africana ornamentis Equitis donato, D. Caroli V. Imp. manu.

Austriacum in Turcas bellum, Caroliq; triumphum,
Tunisia fauces salsaq; stagna maris,
Virtutis monumenta tuæ immortalia præstant,
Corporis hîc tantum stat fugitivus honos.
Otho Gymnasiarcha Fr. carissimo.

M. D. XXXV.

Ad

AD ARAM.

Si miraris opus, tantiq; hæc ſigna decoris;
Qualia ſidereis ſedibus eſſe putas?

EXTRA URBEM AD JACOBI
Jaſonis J.C. tumulus.

Jaſon Mainus Jurecõſultus, Eques & Comes, quisquis ille fuerit, hîc requieſcit.

Materia vincor. & tu vis ire viator,
Expediam. jacet hîc ille Maynus. abi.

EPITAPHIUM FRANCISCI BORSANI
nepotis Petrarchæ, infantis.

Vix mundi novus hoſpes eram, vitæq; volantis
Attigeram tenero limina dura pede:
Franciſcus genitor, genitrix Franciſca, ſecutus
Hos, de fonte ſacro nomen idem tenui.
Infans formoſus, ſolamen dulce parentum;
Hinc dolor. hoc uno ſors mea læta minús.
Cætera ſum felix, & vera gaudia vitæ
Nactus, & æternæ tam citó, tam facilé.
Sol bis, luna quater flexum peragraverat orbem,
Obvia mors, fallor, obvia vita fuit.
Me Venetûm terris dedit urbs, rapuitq; Papia.
Nec queror. hîc cælo reſtituendus eram.

IN ACADEMIA.

Quæ pater Wilhelmus, S. R. Imperii hæreditarius Dapifer, Baro in Waldpurg, cúm hujus Academiæ Rector eſſet, gentilitia inſignia facienda curaverat; Otho filius, in eodem magiſtratu poſt ann. XXXVI. reſtaurari juſſit. Anno Dom. 1535. Scholares Acad. tum habebat 500. ex his Jurisprud. Studioſos 350.

IN MONASTERIO CARTHUſianorum.

Joannes Galeacius Vici Comes, Magni Matthęi pronepos, ſub Galeacio patre ad magna inſtitutus, rem militarem primus in Italiam reduxit, bellator indefeſſus, ſuo

auſpicio,& aliorum ductu, barbaros & hoſtiles exercitus, ſive injurias ulciſceretur, ſive ſocios & amicos defenderet, ſive regni fines ampliaret, occidione devicit. Regum gener atque ſocer, affinitates, amicitiam & ſocietatem cum potentiſſ. Regibus junxit; Religionem Dei amplexus, collapſa templa reſtituit: nova magnificé & opulenta extruxit; Hieroſolymis ſacellum & aras erexit: domi & bello diſceptator prudens, juſtus, magnificus, Papiæ Scholas, cujuscunquè ſcientiæ Doctoribus annua ſalaria inſtituit: arces, partim * partim ſitu & natura validas munitiores, alias manu & opere inexpugnabiles fecit, gentes omnes á mari Tyrrheno ad Venetorum uſque littora ſub fidem & imperium redegit, ex gubernatore regni dominus & Dux creatus, ad excelſa rerum humanarum faſtigia viam affectabat, niſi in Italię jacturam fata interceſſiſſent. Conſtituit moriens cor Viennam Allobrogum, reliqua inteſtina ad Gallæcos deportari, & in ædibus divorum Jacobi & Antonii, oſſa verò in cœnobio Carthuſienſium juxta Papiam condi teſtamento juſſit. Vixit annos 47. m. 10. d. 19. Obiit 1402. Mediolani. Regnavit annos 24.

ALIUD.

Jo. Galeacio Vici Com. Duci Mediol. primo, ac priori ejus uxori, Carthuſani memores gratiq; poſuerunt. M. D. LXII. die 22. Decemb. Vixit annos 47. m. 10. d. 19. Obiit M. CCCC. II. Regnavit annos 24.

AD SIMULACRUM DEIPARÆ.

Corpus virgineum Chriſti ſpectator adora,
Victima qui pro te ſanguinolenta fuit.
Hic tibi vitalis liquor eſt prægratior illo
Nectare, quod veteres anté bibere patres.

AD AUGUSTINI.

Michaëli Zieglero patritio Suevo. Qui plurimis cùm Germaniæ & Galliæ, tum Italiæ civitatibus peragratis, ob præclaras animi ingeniiq; dotes multorum gratiam conciliaverat, demum hoc Ticinenſi Gymnaſio adeó in omni virtutum genere excelluerat, ut non minús in Philoſophia

sophia quám in Jurisprud. atq; in Musicæ modulis floreret. quiq; cúm in Syrii ardoribus æstus leniendi causa Ticino amni natans se credidisset; ejus vorticibus involutus, diem obiit. Anno 1564. Non. Quinct. æt. suæ XXVII. Jo. Corradus Cotvvitz, cui flebile desiderium reliquit, socius socio carissimo atq; opt. merito mœstiss. P.

Suevia me genuit, rapuit Ticinus, habet nunc
Urna brevis. calidis te lave⌣ lector aquis.

ALIBI.

Tegitur hoc lapide Joach. Curtius J. C. patriæ decus. vitæ speculum, pacis amator, præcipuus vitiorum osor. 1502. 3. Novemb.

AD CARMELITAS.

Hieronymo Tornello Jureconsulto maximo, quem ad intimam arcanamq; Juris sapientiam enucleandam, & ad totius exemplum sanctitatis & justitiæ, natura pepererat, hæredes Opt. M. mœstiss. ad tempus pp. Vixit annos LXX. Obiit anno M. D. LXX. X. Cal. Novemb.

Credite nunc vati augusto posse æquora claudi.
Cúm quicquid legum est, hæc brevis urna tegat⌣.

ALIUD.

N. Ripæ Jureconsult. primi nominis Senat. Duc. Com. Palat.

Helis Gentilis uxor, & sex liberi.

Hoc hospes potes æstimare⌣ saxo,
Humani nihil esse non caducum.

ALIUD.

Vita bonum mendax. longo dignissime⌣ seclo,
Hîc tegit extinctum te Nicoline lapis.
Heu quantos Ticino luctus lacrymasq; relinquis,
Interpres legum consiliiq; pater!

AD CERTOSAM.

Jo. Galeacio Vici Comiti Duci Mediolan. I. ac priori

ejus uxori, Carthusiani memores gratiq; P P. An. 1562. a. d. x x. Decemb.

Tituli rerum ab eo gestarum.

1. Imperio auspicioq; suo hostiles exercitus debellat.
2. Præturam militarem à patre accipit.
3. Finibus prolatis Dux Mediolanēsis ab Imp. Wenceslao creatur.
4. Papiæ liberalium artium scholas exstruxit.

AD CARMELITARUM.

Reverend. Carmelita D. Archangelus Lafraconus Papiensis, infula Theologorum redimitus, Ticinensi Gymnasio vivens legit, legens obiit. legebat ut doceret, sciebat ut bene ageret. Anno M. D. LXV. VII. Cal. Decemb.

IN FRANCISCI.

Tegitur hoc lapide Luchinus Curtius Jurisconsl. patriæ decus, vitæ speculum, pacis amator, præcipuus vitiorum malleus. Ob. M. D. II. III. Novemb.

BOSCI.

AD S. CRUCIS.

PIus V. Gislerius Boschensis, ex ordine Prædicatorum Pont. Opt. Max. à fundamentis erigi curavit. An. 1571.

IBIDEM.

Pius Papa V. Boschensis, ex familia Gisleriorum oriundus, ordinem Prædicatorum professus, diem mortis universalisq; resurrectionis præ oculis habens, á die assumptionis suæ ad apicem Apostolatus, monumentum istud erigi mandavit, pro cadavere suo reponendo, quomodo divinæ clementiæ visum fuerit, ipsum ab hoc seculo nequam eripere.

CEN-

CENTUM CELLIS.

Pius Papa V. P. M hanc turrim S. Michaëlis, cum aliis XV. in littore maris pro communi securitate á fundamentis erigi & muniri mandavit. An. 1569.

PISANA.

IN PISAS.

Pisa vetus, victi spoliis Orientis onusta,
Invidiæ armavi livida tela trucis.
Sic nocuit vicisse. aliis sic vicimus ergo.
Sic res est humili tutior arcta loco.
Mortales, sperate vices, nec credite Fatis.
Nam quod nos aliis, illa dedere mihi.

INSCRIPTIONES PISANÆ.

TUMULUS HENRICI VII. IMP.

Hoc in sarcophago non quidem spernendo, Henrici olim Lucenburgensis Comitis, & post hæc septimi ejus nominis Rom. Imp. ossa continentur, quæ secundo post ejus fatum anno, videlicet 1315, die veró 25. Sextil. Pisas translata summo cum honore fuere, hoc in fano ad hanc usq; diem collocata permansere.

Quidquid facimus, venit ex alto.

ALIUD.

En Catacusinus jacet hîc Demetrius heros,
Martis honos Graji gloria magna soli.
Æacides alius, Pylius quoq; & alter Ulysses,
Florentinorum præsidium á; ducis.

PROPE PISAS VIA FLORENTINA *in ponte.*

Siccitati paludum, agrorum cultui, cæli salubritati con-

fulens Cosmus Medices, Florentiæ & Senarum Dux, á partu virg. Anno 1558. Cal. Novemb.

IN CAMPO SANCTO.

Philippus Decius, sive de Dexio Mediolanensis J.C. celebri fama notiss. cúm primum locum studii in Jure Canonico & Civili tenuisset, Pisis, Senis, Florentiæ, Paduæ, Papiæ, & demum ultra montes in Gallia, revocatus in Italiam ab excelsa Florentinorum Rep. posteaquam stipendium 1500. aureorum in auro pro lectura consecutus fuisset; de morte cogitans, hoc sepulcrum sibi fabricari curavit, ne posteris suis crederet.

IN HANC INSCRIPTIONEM DECII epigramma Jani Vitalis.

Dum curat Decius sibi sepulcrum
Clarum marmore ponere eleganti,
Inscripsit titulos ineruditos,
Ut risum magis excitare possint,
Quám laudare hominem undecunq; clarum:
Quod si non sibi cultius sepulcrum
Quám doctos titulos & elegantes
Curasset, modó molliús jaceret.

IN SUMMO TEMPLO.

Imp. Federici III. Leonoram, Portus Galliæ regis filiam, conjugem, excipiente Wladislao Duce Slesiæ, Steriæ, ac Domino Texinensi comitante; invento hoc suæ antiquitatis tumulo, innovata sunt hæc insignia. Anno Domini M. CCCC. LII. IIII. Id. Febr.

ALIUD.

Matt. Curtio Ticinensi, qui Hippocratis Galenicq; vindex, salutis augurium egit, medicinamque exercendo & docendo, ipse valens semper, excoluit; monumentū hoc amplius quám F.F.T.P.I. Cosmus Med. Florentiæ Dux II. ære suo P.C. An. 1564. Vix. ann. LXX.

Ἀγαθῇ ὑγιείᾳ ἀλεξινόσῳ. ἱερὸν καὶ καθάρσιον πῦρ.

ALIUD

ALIBI.

Matthiæ regis posita heîc sunt ossa, probant quem
Fata fuisse hominem, facta fuisse Deum.

IN ÆDIB. MILITIÆ S. STEPHANI.

Cos. Med. Flor. & Sen. Dux II. sacram D. Stephani militiam, Christianæ pietatis, & virtutis bellicę domicilium fundavit. Anno Christi M. D. LXI.

IN CAMPO SANCTO.

D. O. M.

Franciscus ill. gentis, nomine olim Sanseverinus, posteaquam ejus majores stuprum per vim oblatum ulti, occiso Regis filio, Neapoli Pisas migrarunt, ex fuga, Martius Jureconsult. Canonicus Pisanus, Eques pius, gentis suæ solus superstes S.P. Kal. Mart. M. D. LXIX.

Gregorius XIII. Pont. Opt. Max. Patr. Bononien. antea vocatus Ugo de Boncampagnis, Pontificii & Cæsarei Juris consultiss. in cathedra interpres eximius: in foro Judex integerrimus: in Synodo Tridentina Catholicę fidei Præsul studiosiss. in Senatu Cardinalis graviss. in omni vitæ gradu eodem tenore probitatis, prudentiæ, & humanitatis, nec non constantis & moderati animi fama præclarus: Joanni de Boncampagnis fratri patrueli J. C. præstantiss. probatiss. moribus, eximia pietate, omnibus deniq; animi dotibus ornatiss. Pisis cúm primo loco max. celebrate Jus interpretaretur, an. æt. suæ XLI. Sal. hu. 1544. exstincto, hoc ad retinendũ jucundiss. agnationis memoriam, fieri mandavit. An. sal. 1575. Pontific. III.

SEPULCRUM NICODEMI.

Gamalielis, Nicodemi & Abidæ, patris, filii ac nepotis, ut Ecclesia docet, civium terrenæ ac cælestis Jerusalem, felici tempore Pisanorum traducta corpora, marmore sub novato conduntur.

D. O. M.

Bartholomæo Medici, Cēturioni fortiſſ. qui cúm multa multis in bellis præclara facinora edidiſſet, á Coſmo Medice Florentinorum Duce Aretii primúm, mox Piſis tuendæ arci præf. eſt. Ibi cúm ſe ſtrenué fideliterq; gereret, incredibili ſuorum mœrore ob. annos natus 54. m. 4. d. 14. An. 1555. Kal. Decemb. Alexandra Bartholomæa, uxor mœſtiſſ. viro optimé de ſe m. volens p. ann. 1573. Coſmo Medice magno Hetruriæ Duce imperante.

BAPTISTERII S. JOANNIS antiqua epigraphe.

An. Dn. 1246. ſub Jacobo rectore loci, Guido
Pegarelli fecit opus hoc, quo gaudia cæli
Dat baptizatis totius fons bonitatis.
Et qui tam miro lavacro pia dona dedere,
Et qui conſilium, precor hos Baptiſta tuere
Per Dominum Chriſtum, fontem qui protegat iſtum.

IN BENEDICTI.

D. O. M.

Scísne viator? hos eſſe cineres Antonii Florentini, Philoſophi ſuæ ætatis minimé ſecundi, Philoſophiam hoc in gymnaſio publicé profitentis: qui dum annū ageret LII. proh dolor, bonorum cum lacrymis, obiit II. Id. Sextil. M. Bartholomæus Paciatetus Florentinus amico opt. P. M. D. LIII.

ANONYMI.

Dum parat hic ſtudiis Aſtræam inducere mundo,
Aſtræa infertur raptus amore polo.

ALIBI SUB PICTURA SACRIFICII ABELIS & Caini, ille hunc hoc verſu compellat.

Sacrum pingue dabo: non macrum ſacrificabo.

Cainus veró reſpondens Abelo, hexametrum hunc retrorſum legendo, ſic in pentametrum commutat.

Sacrificabo macrum: non dabo pingue ſacrum.

IN

IN CATHEDRALI.

Quod vix mille boum possent juga juncta movere,
Et quod vix potuit per mare ferre ratis:
Busketi nisu, quod erat mirabile visu,
Dena puellarum turba levabat onus.

IBIDEM.

Si probitas, sensus, virtutum gratia, census,
Nobilitas orti, possent resistere morti;
Non foret extinctus hic præsul, qui jacet intus.

Iidem versus Panormi Siciliæ urbe, in sepulcro Friderici II. Imp. legi perhibentur: pro præsule hoc legendo, FRIDERICUS.

IN CAMPO SANCTO.

Quid spectas volucres, pisces, & monstra ferarum,
Et virides sylvas, æthereasq; domos?
Et pueros, juvenes, matres, canosq; parentes,
Quis semper vivum spirat in orbe decus.
Non hæc tam variis finxit simulacra figuris
Natura ingenio fœtibus apta suo:
Est opus artificis, pinxit viva ora Benozzus.
O superi vivos fundit in ora sonos.

VERONENSIA.

IN VERONAM JUL. CÆS. SCALIGER.

ITalia canimus semper florentis ocellum,
Calliope nequeat grandius ulla loqui.
Aucta Deis, auctura poli Verona Quirites:
Quot cives, tot habens sidera digna Jove.
Non animi, non ingenii vigor acrior usquam.
Nulla creat plures Martia terra duces.
Transferre in cælum voluit sibi Juppiter. Atqui
Clarior in nostris maluit esse locis.

INSCRIPTIONES VERONENSES.

In nova urbis porta.

Verona non minús nobilis, quám antiqua civitas, ac priſcæ virtutis memor, Venetæ Reip. beneficio, non ſolúm muros, injuria temporis corruptos, in melius reſtituit; ſed ea quoque ſibi templorum, viarum, pontium ac portarum ornamenta adjecit; ut publicorum ædificiorũ magnificentiâ, nulli urbium poſtponẽda videatur. Tantum illi profuit bonorum Principum tutela ac favor.

Ad imaginem Justitiæ in foro.

Verona fidelis, ſecura quieſce ſub numine & juſto imperio Divi Marci.

Fide & charitate in æternum non deficiam.

In ipso Palatio ad imaginem Juſtitiæ.

Vos omnes moneo, cavete ⌣ noſtrum
Numen ladere ⌣. ſum ſevera vindex.

Item.

Juſtitia é cælo terras dum proſpicit alto,
Procedit recto tramite ⌣ judicium.

Item.

Ancipitem timeat gladium, lancemq; bilinguem,
Qui temerat ſanctæ fœdera Juſtitiæ.

In Curia ad imaginem pantheræ.

His maculis quanquam nullos offendo clientes,
Tu tamen ô Judex jus dabis abſq; notis.

Item.

Te nunquam affectus moveant ratione carentes,
Sic erit & juri juſtitiæq; locus.

Ad

AD ALIAM IMAGINEM, ANTERIORI parte virginem, posteriore leænam.

Mira arte artificis jungor regina leæna;
Juncta ut sic placidis jura severa forent.

ITEM.

Qua jus dicentem deceant contabere judex;
Ne quidquam facias á ratione procul.

ITEM.

Incurvos ungues, magnum & ne respice rostrum,
Ante oculos, judex, ora Tonantis habe.

ITEM.

Judicium ex animis purgatis rectiús exit,
Clarior & puro est pectore justitia.

ALIUD.

D. O. M.

Illustri Leonhardo ex antiquiss. Imperialibus Bavariæ regulis, Comiti in Ortenburg, indolis & spei incomparabilis juveni, hanc mœroris & amoris sedem superstites sorores Veronica & Anna-Maria proh dolor contra votum dedicarunt: authore agnato Joachimo, ejusque filio Antonio procurante. Obiit die XVI. Julii, Anno M. D. LXI. Suæ ætatis undevigesimo, cúm ex gymnasio Patavino hanc sibi fatalem auram pauculos dies captasset.

In Amphitheatri, ea parte qua est renovatum.

JACOBO FOSCARENO.

Quód amphith. instaurandum curavit, quodque ejus prudentiâ in max. Italiæ frumēti inopia, una Verona abundavit, Prætori, patriq; opt. Veron. D.P. M. D. LXX.

AD PROCULI.

Quód Nicolai Barbadici operâ, consilio, liberalitate, solertia, difficilimo pestilentiæ tempore, Verona sit periculo liberata: urbano provisum otio: plebis egestati annonæ consultum: prætorium magnificé refectum: obscuriores

carceres illustrati: amphitheatri arena sordibus purgata: prætura deniq; præclarissimé administrata: id Nicolaum Barbadicum bene & de civium commodo, pro sua majorumq; suorum dignitate, posterorumq; exemplo bene gerendæ præturæ feciſſe, sibiq; grata & esse & fore, testatum est D. Zenonis suburbium. 1526.

Ibidem in fano quodam veteri.

An. Dn. 1172. combusta est civitas Verona.
Propter peccata veniunt adversa.

IBIDEM.

Michaël Adosso Pictor, pauper natus, hæc cõmoda sibi suisq; posteris, præcipuis sudoribus & industria, sic annuente Deo, comparavit. An. Dn. 1574.

AD ANASTASII.

D. O. M. Janus Fregosius Ligurum Princeps, ac Venetæ Reip. terrestrium copiarum omniũ præf. ubi fortiss. Ducis officia domi forisq; præstitisset, hæc H. T. F. I. Hercules F. paternæ pietatis memor P.

IBIDEM.

Gerhardo Bolderio, suo tempore Physicorum principi. Francisc. & Matthæus nepp. P. P.

PROPE PRÆTORIUM, IN TEMPLO EXIguo inter D. Scaligerorum monimenta.

Si canis hic grandis insignia facta peregit;
Mantua testis adest, quam sævo Marte subegit.
Scaligeram qui laude domum super astra tulisset,
Majores si Parca dies infida dedisset. An. 1328.

IBIDEM HUMI.

Sepulcrum Comitum de Nogarolis. 1210.

MARCI ANTONII TURRIANI.

Ante annos sciviſſe nocet. nam maxima virtus
Persuasit morti, ut crederet esse senem.

IN

In Amphitheatro.

Hieronymo Mamoreo V. C. cujus incredibili ſtudio dum urbi præeſt, quod temporum injuria huic amphitheatro perierat, reddi cœptum eſt. Veronenſes P P. M. D. LXIX.

In area Prætorii.

Zach. Bar. Eq. Veronen. Præf. nonnullas in agro, tres in urbe arces inſtauravit: Prætorium hoc ſublicium marmoreum fecit, forum ampliavit, curiam ædificavit, in penuria annonæ famem defendit, Rempublicā integré geſſit, æquale jus omnibus dixit. Ejus diſceſſum populus lacrymis declaravit. M. CCCC. LXXVI.

Aliud vetus.

D.M. Mitrius, pius, dives, decrepitus, mendicans, luce carens, á tribus liberis & duabus libertabus expulſus, ſiti perii, ſacrum mihimet conſtitui, hîc humatus ſum, cineres & oſſa. hos natos renuo, in hoc ut requieſcant nolo, ſobolem nego, privo poſteros, omnes me legitote & ſinite. Vix. ann. CXXV. menſ. III. d. II. & nemini poſtero.

PARMENSIA.

IN PARMAM JUL. CÆS. SCALIGER.

INventum mediis præclarum nomen in armis,
Prædita quo ſit gens ignea Marte docet.
Ingenium rapidum facili flammatur ab ira:
Sed viget in patulo pectore purus amor.
Magnanimo, precium eſt, non diſplicuiſſe pudori.
Hoc ſatis. officiis cedere turpe putat.

INSCRIPTIONES PARMENSES.

IN PALATIO AD INSIGNIA *Pauli III. Pont. Max.*

Pro Paulo Deus, pro nobis Paulus.

ITEM.

Qui pro te vis esse Deus, tu lilia serva.

IN TEMPLO B. VIRGINIS.

Flore ævi in primo, primo in certamine Martis,
Beltrandus rapido saucius igne cadit.
Scilicet est longæ contraria gloria vitæ,
Nec nisi difficili quæritur illa via.

IN PALATIO.

Carolo v. Romanorum Imp. victori ac triumphatori semper Augusto, & de repub. Christiana bene merito S. P.Q.P.P.

IBIDEM.

Maximilianus Romanorum Imp. voluntarios labores semper appetens, Reipub. bonum statum, atque dignitatem Imperii privatis commodis præponens, omnibus quietem parat.

AD BIBLIOTHECAM.

Ingredere Musis sacer, nam & hîc dii habitant.

IBIDEM.

Nullus amicus magis libet, quám liber.

AD CAMINUM.

Præcipua domus utilitas & pernicies, ignis & lingua.

ALIUD.

Notus eques populis de Calzanone Joannes
Jurisconsultus conditus hoc tumulo est.
Quem modò prætorem Genua & Florentia, Sena,
Mantua bis vidit, urbs Perusina semel.

Papia

Papia bis, superis gratus pietate fideq;
Possidet æternum gaudia magna poli.
Petrus Joan. & Caspar fratri optimo F. an. 1484. 17. Julii.

ALIUD.

Stirpis Landmariæ divina humanaq; jura,
Bis sex natorum pignora, divitiæ,
Compositum ingenium, gravior facundia, mensq;
Ingenio & probitas integra, munda fides
Joanni Andreæ famam tribuere perennem.
Haud mota his rapuit perfida mors hominem.
Spes fallax, cassusq; labor, fortuna caduca.
Proh dolor, heu non est qui modò tantus erat.

REGIOLEPIDANA.

IN CARMELITARUM.

PROSPERI EPISCOPI.

Hic situs est Prosper, quo sancto Præsule gaudet
Regium, & hîc cineres ossaq; sacra jacent.
Marmoreo monachi condunt pia busta sepulcro,
Namq; vetus turris frægerat alta cadens.

IN DOMINICI.

SIMONIS BRAMI.

Hoc tumulo Brami requiescunt ossa Simonis,
Regia se urbs tanto jactat alumna viro.
Felsina mirata est, Ferrariaq; ipsa docentem
Græca, Latina, artes Pæonis, astra, Deos.

IN FORO.

SUB BRENNI STATUA.

Brennus totius Saxoniæ Rex, Germani exercitus Im-

perator, cúm ea loca teneret, quæ Athesin Padumq́; interjacent; populos, qui adventantis in Italiam Odoacri metu in paludes sese abdiderant, in urbes suas restituit: Odoacrumq́; ipsum persororis nuptias sibi junctum post Orestis mortem Romanis conciliavit. Quibus compositis, cúm oppida ad viam Æmiliam posita, jam Gothorum adventu deprædata, non sine magna tantæ vastitatis admiratione peragraret; Regiũ Lepidi pervenit. Eam cúm, aliarum urbium exemplo, vacuam hominibus molesté ferret; ex duobus ibi Sacerdotibus, quos casu in templo latentes invenerat, certior factus, populum ad petram Scitulam (Bismantuæ petram hodie vocant) confugisse. eum in locum missis actutum legatis duobus, adjunctisque in itinere illis Sacerdotibus, nunciari civibus jussit, Regium ut redirent, ibi Brennum graté eos accepturum esse, defensurumq́; etiam ab injuriis barbarorum. Itaque cúm ipsi tanti Ducis audito nomine, spe pleni in patriam per Clodiam portam redirent; obviam exeuntem in urbis ponte Brennum habuerunt. Tum S. P. Q. Regiensis, qui cum C D. equitum præsidio, M. peditum instructa sub Rom. Imp. signis acie advenerat, moti præsentis Imperatoris majestate, equis descendere. quo spectaculo delectatus Brennus, pari humanitate ab equo desiliens, ingredientem Senatum amicé suscepit: qui portam deinde Clodiam semirutam, per eos feré novem annos, quibus apud eos fuit, instaurandam curavit; adjecitque ab ea parte murum M. cubitorum: eam in posterum, ob gratam rei memoriam, Brennonam portam appellari voluit; pedestremq́; statuam eam ob rem sibi in illa erexit: insculpiq́; ibi præterea familiæ suæ insignia, pardos tres correpentes, jussit, notata literis ejus rei, in præsentem usq́; diem, memoria.

Sub Caroli Magni statua.

Carolus Francorum Longobardorumq́; Rex, qui ob egregia ejus gesta Magni cognomentum tulit, omnibus tum corporis tum animi virtutibus præditus; Romani Imperii moderator opt. veræ religionis observator integerrimus, ejus eximia liberalitate, precibusq́; Apollinei tum

tunc præsulis Regiensis, illi confinium Regii memoriam, in tabulis æneis inciſam, & á Principibus Longobardorum jamdiu comprobatam, offerentis; eosdem fines nedum confirmavit, verúm etiam ultra terminos M. Æmilii Lepidi Regilli, fundatoris Regii Romanor. coloniæ, & sub eorum imperii legibus insignis ab ipsis olim pace belloque moderata, á finitimis ob monumenta & indulta deorum fortuitó flammis consumta, interceptos produxit, finibusque Mantuæ, Bononiæ, Lucæ, Parmæ, Ticini, Novocomi adjunxit; civitatemque ipsam instituendi gymnasii, aliisq; quamplurimis privilegiis decoravit.

IN ARCU TRIUMPHALI
extra urbem.

Sereniſſimæ Margaritæ Gonzagæ optimæ Principis adventu læta cuncta ſperantes, publicæ pietatis & lætitiæ ſignum.

AQUILA.

Auſpiciis manifeſta fides.

ANCHORA.

Tutela præſens.

PLACENTINA.

IN PLACENTIAM J. CÆS. SCALIGER.

NObilis antiquo porrecta Placentia muro
Hinc hoſtem, hinc rapidas fluminis arcet aquas.
Rara artes: gens ſcita, hilari ſed dedita luxu.
Ingenium auguſtæ vix patiuntur opes.

INSCRIPTIONES PLACENTINÆ.

In Sixti.

Multi nimium, nemo satis.
Non refert quá, sed quó.

Ante hospitium Famæ.

Te vivo Octavi timeat quis Martis alumnos?
Quis Cereri metuat, cui noceatq; malus.
Te duce tuta fides, duce te dant roscida mella
Vel rigidæ quercus: te duce jura vigent.

MEDIOLANENSIA.

IN MEDIOLANUM JUL. CÆS. SCALIGER.

Compositos populos, validiq; exordia regni
Excepit facili terra beata sinu.
Creverat Ausonio commistus sanguine Gallus:
Et dabat antiquo fortia jura Pado.
Tertia se adjunxit tantis Germania rebus:
Et stetit audaci fama parata manu.
Quævis simplicibus jactet se gloria signis:
Cùm triplex uni contigit aucta mihi.

INSCRIPTIONES MEDIOLANENSES.

In Xenodochio.

Heus Viator.

Imperatoribus Valentiniano, Gratiano, Valente & Theodosio, quorum tempore Divus Ambrosius Mediolanensi præfuit Ecclesiæ, in catalogo nobilium urbium his versibus Mediolanum celebratur.

Et Me-

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumera cultaq; domus, fœcunda virorum
Ingenia, antiqui mores, tum duplice muro
Amplificata loci species, populiq; voluptas,
Circus & inclusi moles cuneata theatri,
Templa, Palatinaq; arces, opulensq; moneta,
Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaq; marmoreis ornata peristyla signis,
Mœniaq; in valli formam circumdata limbo.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt, nec juncta premit vicinia Roma.

ALIBI.

Franciscus Sfortia Dux Mediolani quartus, qui urbis & gentis imperium soceri morte amissum recuperavit, ad sustentandos pauperes Christi dispersa alimenta congessit, atq; ex vetere arce ædes ampliter excitavit. Anno 1456. Prid. Id. April.

AD S. AMBROSIUM.

M. Antonio Majoragio, dicendi magistro singulari, Latinis Græcisq; litteris perpolito, & libris editis illustri, qui publicè docuit annos IX. Vixit XLI. Bartholomæus Comes uxoris fratri B.M. posuit.

IN SUMMO TEMPLO SFORTIADUM monumenta.

Sfortia avus, pater est Franciscus maximus ille,
Cui virtusq; parens, sors bona amica fuit.
Est Mediolanum patria hæc ditissima rerum,
Atq; hominum; generis nomina fecit avus.
Corpore, mente, manuq; vigens Polydorus in artes
Et generis titulos conspiciendus eram.
Præter spem præstare nihil, sed fas fuit. heu mors
Tam bona vota, heu mors, præcipitata tulit.

Natus an. 23. obii an. 1473. 10. Martii.

D. O. M.

Genitore Francisco sum Elisa Sfortia

Insignis, ut dotes modestiùs bonas,
Natura vel sors quas benigna contulit,
Pertranseam, primus vi opum, & domo, & fide
Baptista Vicecomes thori comes fuit.
Verùm novis me destinante nuptiis
Fato, poli hospes gaudeo in licentia,
Quando nihil nisi quod probum egerim. vale.

Nata annos 16. obii 1471. ult. Junii.

D. O. M.

Mentis consilio, robore dextera,
Et corde intrepido, ac ore alacri valens
Conradus colui militiam, togæ
Cultor, conjugium, progeniem & opes
Sensi, & quæq; aderant munera calitum.
Francisco nimirum Principe Principum
Fratre an glorier? hic omnibus ut bonis
Fortuna, & melior me fuit optima.

Natus an. 60. obii 1470. 23. Decemb.

D. O. M.

Nomen Borsus erat, genus parensq;
Unum, generis origo Sfortia ille,
Ille egregius eques, pedes, ducum & Dux
Me fratris voluit esse glorieſum
Francisco, ubi Mediolanensium auctus
Is re est, fore patriam hic speravi, opes, vitam,
Putem atq; reliqua, quæ abstulit. potéstne
Mors sæva rapere Martios triumphos?

Natus annos 65. obii 1476. 14. Martii.

D. O. M.

Virtutis ergo, sanguine & indole
Clarum Leonartum á titulis avi.
Nec spiritus vim, nec bona corporis
Desiderantem Sfortiadûm domus
Illustris armis ut foret & fide.
Franciscus ingens dux pater & bonus

Christo

Christo dicavit, Protonotarium
Major fati vis properé abstulit.

Obii 1484. anno 18. Septemb.

D. O. M.

Nolito mores, patriam, genus, nec rem
Inquirere hospes, manibus meis tantúm
Lucem precare. orbi ipsa protuli lucem,
Urbi quietem, Sfortiæ dedi magno
Cúm maximum natu. quid astra, quid virtus
Possint, hic ostendit: parentem an agnoscas
Me Luciam Franciſci, & inclytam quam *
Urbs sensit & felicitatis autorem.

Obii anno 1450. 21. Januar.

ALIBI.

Joan. Jacobus Trivultius Magni Filius, qui nunquam quievit, nec alios quiescere passus est, hîc tandem quiescit ipse. Tace.

IN SUMMO TEMPLO.

Marino Caracciolo Neapol. illustri genere orto, qui plurimis pro Pontiff. Cæsareq; functus est legationibus. Primúm Carolo v. Imp. cúm ad Aquisgranum coronam acciperet, Anglos ei adjunxit, & Venetos. ac demum á Paulo III. Pontif. Max. in Cardinalium ordinem receptus, dum provinciam Mediolanensem ab eodem Carolo sibi creditam regeret; importuna morte, maxima cum Reip. Christianæ jactura, sublatus est. v. Cal. Febr. M. D. XXXIII. anno ætatis 69.

ALIUD.

Baptista Bagarottus Episcop. Bobien. & Comes, dum se mortalem animo volvit, vivens sibi P. An. M. D. XIX. Ne quid expectes amicos, quod tu per te agere possis.

BERNARDINI CORII TUMULUS.

Bernardine tibi Insubres debere fatentur,
Non minús ac magno Roma superba Tito.

IN PRÆTORIO.

In controversiis caussarum capitales inimicitiæ oriuntur; fit amissio expensarum, labor animi exercetur: corpus quotidie fatigatur: multa & inhonesta crimina inde consequuntur: bona & utilia opera postponuntur: & qui sæpe credunt obtinere, frequenter succumbunt: ac si obtinent, computatis laboribus & expensis nihil acquirunt.

IN PALATIO CUJUSDAM PRIVATI, *depicta varia animalia, notantia sequentes virtutes, additis elogiis.*

PAX.

Diligite hanc omnes, sine qua via demta salutis.

TEMPUS.

Regna mihi subsunt, reges me principe vivunt.

DESIDERIUM.

Latius imperium nulli, sed fructus inanis.

BENEFICIUM.

Hoc etiam mites gratiâ fuere leones.

NOBILITAS.

Nobilitatis opus, multos nescire, fatendum.

HONOR.

Vir contemnit opes, & vitam, accensus honore.

FAMA.

Quæritur haud nugis, sed factis fama perennis.

VIRTUS.

Fortunam superat virtus conjuncta labori.

POTENTIA.

Tempore succumbet, si justa potentia, nullo.

JUDICIUM.

Rectum ubi judicium non, est discordia fallax.

VICTORIA.

Officio interdum non armis vincitur hostis.

CON-

CONSILIUM.

Consilio quærenda salus, dum bella geruntur.

CLEMENTIA.

Imperii vires, ut res, clementia servat.

INTELLECTUS.

Ars atq; ingenium nubes & sydera scandit.

VERITAS.

Quæ latuere diu mox improvisa patescunt.

MATRIMONIUM.

Hoc mundi interitum prohibet, si lege colatur.

GENUENSIA.

IN GENUAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Ditis opes Asiæ, & claros Orientis honores,
Quantaq; ab Euxino tunditur ora salo,
Pisanas acies, Tuscæ decora inclyta pubis,
Et traxi ad Ligures Gallica signa manu.
Subjectis domitas tenui cervicibus Alpes,
Et tremuit nostras Africa dura trabes.
Afflictus toties Venetus, quæ fugerat olim,
In patriis metuit tela petitus aquis.
Frustra Galle cupis: frustra es frustrator Hibere:
Frustra sæva ferox Insuber arma capis.
Vinco ego; cùm vincor, par est victoria damno:
Sumq; eadem domina, servaq; facta mea.

INSCRIPTIONES GENUENSES.

IN CURIA.

ANDREÆ DORIÆ, quòd Rempub. diutius oppres-

sam in pristinam libertatem vindicaverit, Patri proinde patriæ appellato, Senatus Genuensis, immortalis memor beneficii, viventi posuit.

AD MATTHÆI.

Majorum nostrorum memoriâ Andreas Dorias afflictam patriam non deseruit.

ITEM.

Philippus Doria Comes, vestigia majorum sequēs, sub vexillo Francisci 1. regis Christianiss. propræfecto triremeis Andreæ avunculi in regnum Siciliæ citraduxit. In sinu Salernitano cum hostium triremibus legitimé felicissimeq; vario Marte conflixit, glorioſam tandem mirabilemq; victoriam, Deo auspice, adeptus est. Anno 1528. a. d. 18. April. Maximæ virtutis monumentum.

INSCRIPTIO PORTÆ
Gratulatoria I.

Annæ Austriacæ D. Augusti filiæ, Hispanorum Reginæ, Insubres erigebant.

PORTA II.

Immortalitati Austriacæ.

Divæ Annæ Austriacæ, Divi Maximiliani II. Romanorum Imperat. filiæ, Divi Philippi II. Hispan. Regis Cathol. adoptatissimæ sponsæ, gratulantes expectatum ejus adventum Genuenses pro tempore D D.

In quærendis regum affinitatibus publicæ consulitur felicitati.

A summę cælestis pulcritudinis dignitate maxima nascuntur connubia.

Dii deæq; omnes propinquorum sibi Regum natos muneribus suis alunt.

Ascendas ô virgo, deûm carissima proles.
Nam sumus hic quot habet nostrum tibi numina regnum.
Æquatum est æquor, veniunt ad carbasa venti.

PORTA III.

Divæ Annę, Divi Maximiliani II. Imp. filiæ, ob gratiss.

ad has

ad has ditiones adventum, illiusq; jucundiſſ. in hac civitate præſentiam, Germani gratulabundi liberaliter poſuerunt.

DIVO MAXIMIL. ROMANORUM, UNGARIÆ, BOEMIÆ REGI.

Qui geſtas nomen proavi Rex Maximiliane,
Illius vincas fortia facta tuis.
Auſtriades patruus potuit plus Carolus ultra,
At tu cum divo patre Monarcha manes.
Sis felix, referas patruum virtute patremq;,
Sic te poſteritas fortibus addet avis.

M. D. LXIII.

PORTUS.

Aucta ex S. C. mole, exſtructaq; porta propugnaculis munita; urbem cingebam mœnibus quacunque alluitur mari. An. Dn. 1553.

IBIDEM.

Janus P. M. Italię Rex, de progenie Gigantum, qui fundavit Januam tempore Abrahæ.

Janus Princeps Trojanus, Aſtrologiæ peritus, navigando ad habitandum locum quærens ſanum, durabilem & ſecurum, Januam jam fundatam á Jano rege Italiæ, pronepote Noæ, venit, & eam cernens mari & montibus tutiſſimam, ampliavit no. & poſ.

JOANNIS BAPTISTÆ SPINOLÆ.

Quid miſer incaſſum tantúm te ſponte fatigas?
Cuiq; ſui meritum tale laboris ineſt.
Vermibus hoc corpus, bona linquimus omnia mundo,
At melior cælum pars reſoluta petit.

SUB CRUCIFIXO.

Decerpti ut poſſent ligni mala damna rependi,
Hic fructus ligno reſtituendus erat.

ALIBI.

Corporis ut maculas, animi sic ablue sordes,
Munditia hæc adsit; tum bene lotus eris.

ALIBI.

Ne quid nimis, videto. ubiq; medium servato.
Quod excellat intus est quærendum.
Mané quid facturus: seró quid feceris.

VICETINA.

IN VICETIAM JUL. CÆS. SCALIGER.

BAcche pater, Ceres alma, bonæ bona numina pacis:
Quæ patulos agros, qui juga curva tenes:
Quid rerum, quid amicitiæ cum Marte cruento
Vobiscum? vestrum ut vexet utrunq; furor?
Pulchra racemiferos domitat Vicetia colles:
Lætaq; spicilegi jugera findit agri.
Cædis amor, cædis germana insana cupido:
Nec patrius nato est tutus ab hoste cruor.
Nusquam iter est. vastata jacent latrone proterve
Ruscula: corruerunt ignibus hausta suis.
Parce (nefas) scelerare manus, gens debita cælo,
Imbueq; ignoto pectora digna Deo.
Divinæ facies: regio cælestis: at hujus
In cæli medio tartara dira vigent.

INSCRIPTIONES VICETINÆ.

IN SUMMO TEMPLO.

Semper in adversis tibi sit Patientia Christus,
Cujus ab exemplo regula, Disce pati.

Ecce

Ecce Deus cæli cunctorum conditor, ultro
Probra tulit, colaphos, sputa, flagella, crucem.
Tu quoq; quidquid erit, patiens sufferre memento;
Pro Christo patiens deniq; victor eris.
Ne dubites: spera hunc, quem tu prostratus adoras,
In lætum tenebras vertere posse diem.

IBIDEM.

Hieronymo Soledo Episcopo Vasionensi, Clementis VII. Pont. Max. domus magistro in Hispaniam legato, ab eo ad Car. v. Imp. misso: rebus supra omnium spem ejus prudentiâ celeriter & ex voto confectis; affinitate etiam inter illos conjuncta: Cæsare in Italiam adducto: cum Venetis cæterisq; Italiæ Principibus fœdere inito: Duce Insubrum Cæs. conciliato: in Belgis etiam apud eundem legatione functo: Romæ in majori de se expectatione sublato: Jo. Petrus fratri opt. atq; innocentiss. P. Vix. ann. 52. d. 2 Θ. Non. Jan. 1533.

AD LAURENTII.

Ferreti Brexani, & suorum.

Heîc situs ex clara Ferretus origine vates:
Scaligeros decuit quem cecinisse Duces.
Scripsit & annales, Genuense & in ordine bellum,
Et nova de priscis carmina temporibus.
Et decus hîc patriæ, Ferretæ hîc gloria gentis,
Hîc locat æternúm nomen & ossa lapis.

AD STEPHANI.

V. F.

Q. Julius Q. F. mem. Catullus, III. vir, missus honesta missione coh. VI. pr. sibi & Calvæ Severæ uxori sanctissimæ. post obitum. & Pompeiæ Mansuetæ socrui opt. & Hostiliæ Fortunnæ conjugi cariss. H. M. H. N. S.

IBIDEM COLUMNÆ IN *via inscriptio.*

Questo é il luogho, doue era la casa del sceleratiss. Galeazzo da Roma: il qual con Iseppo Almerigo, & alteri

ſuoi complici, commiſero atrociſſ. homicidii in queſta cittá, dell anno 1548. d. 3. Pugio.

ANTE ÆDES COMITIS
Leonard. Valmaranæ.

Maria Auſtria Auguſta, Caroli v. Maximil. II. Rodolphi II. Impp. filia, uxor, mater, á Philippo fratre Hiſpan. Rege potentiſſ. ad regendum Luſitanorum quondam Regum imperium, nuper partum, é Germania adſcita: per Italiam iter faciens, in his ædibus, quod ipſa, ob veterem Auſtriacorum Principum erga hanc domum clientelam, maximé voluit, cum Margarita, Maximilianoq; filiis archiducibus, á Leonardo Valmarana Comite, ejusdem Philippi Regis Penſionario, ſplendidiſſimo apparatu accepta fuit. Anno M. D. LXXXI. IV. Cal. Octobr.

IN PALATIO MAJORI.
ANTONIO BERNARDO
J. C. præſtant. & patri opt. ob Rempub. domi foriſq; feliciter adminiſtratam: urbe pontibus, carcere, foro, templis, exornata: Judæis & noxiis ejectis: civitate in priſtinam dignitatem & ocium, ſtudiis & ſanctis moribus, reſtituta: monte pietatis fundato; grata Vicentia poſ. M. CCCC. LXXXVI.

AEOLIA.

FRanciſcus Tridentæus, Vicetinus J. C. Hieronymi Equitis F. gelidi venti flatum, in caverna, Cubalo nuncupata, ſpirantem in ædes proprias per hanc cryptoporticum deduxit: ad temperandum ardentes & æſtivos calores: quem tum cohibendo, tum relaxando, novo atque mirabili artificio, per cubicula quæq; ducendo: pro libitu ea refrigerare & calfacere valet; ita ut cuſtodia villa, ejus ingenio, diligentia, impenſa & æmulatione ornatior effecta: inter regia oblectamenta cõnumerari queat. An. 1560. æt. veró ſuæ XXXII.

EPIGRAMMATA PORTARUM *cubicularium & cœnaculorum.*

Mentem fortuna secundet.
Vires animo desunt.
Convivia parca, si frequentia.
A conventu malignantium libera me Domine.
Æolus hîc clauso ventorum carcere regnat.
Temporibus æstivis, ad magnitudinem calorum: sibi necessariis & amicis hoc remedium comparavit.

INSCRIPTIO ANTRI COBOLI: UNDE *venti æstate gelidissimi: hyeme calidi spirant.*

Ad locum istum ædificandum, longum illud tempus quo non ero, magis me movit; quám exiguum vitæ meæ.

PICTURÆ CUJUSDAM ITALICÆ INSCRIPTIO.

DEvorat agricolam rex; regem tyro; sed illum
Usurator edit: comedit sed presbyter istum:
Presbyterum meretrix: meretricem leno remordet:
Lenonem caupo: sed cauponem parasitus:
Istum sextipedes: simia sextipedes.

CREMONENSIA.

IN CREMONAM JUL. CÆS. SCALIGER.

QUis modus esset agris, & quanta licentia frugum,
Verba peregrina Gallica voce notant.
Inde solum nati lætum dixere Cremonam,
Quin Latio vox est delicioſa cremor.
Usq; adeó longo reddit cum fœnore tellus:
Præteritiq; hornus commoda ridet ager.

Deficit & cultrum, & vomer: non deficit vber.
Lassa manus, trita sarcula, fessa Ceres.
Reddant pensum alia: nostra lex unica terra est:
Et votum domini, & spem superare sui.

INSCRIPTIONES CREMONENSES.

Ad Sigismundi.

Franciscus Sforzię F. ex Sforzia familia Mediolan. Dux: Blancam-Mariam Philippi Vici Comitis F. heîc sibi uxorem adjunxit, idq; per verba & annulos ex more significavit, Anno á Christi conceptione 1457.

Camilli Boccatii.

Arte fuit nato prior, & pater arte secundus,
Ergo erit arte minor, qui fuit arte prior.
Ob. M.D. XLVI. IIII. non. Jan.

In ambitu.

Approbare falsa pro veris, non est natura hominis instituti, sed pœna damnati.

Quod nisi præpotens atq; pientiss. Deus S. patrem Aurelium Augustinum fortunato tempore nobis concessisset ac donasset; sanctificatio nostra desolata fuisset; dies festi nostri conversi in luctum, sabbatha nostra in opprobrium, honores & sublimitas nostra in mœrorem & planctum. Hæc Valerius ad Nestorium.

Blanca-Maria Franc. Sforziæ uxor. M. P. Q. aram atque ædem felic. matrimonii M. F. C. Hieronymo ejusq; monachis cedit ac sacravit: ministris victum annuum de suo H. E. Cremona. dotali urbe dd. decrevit. legavit. An. 1469.

BRI-

BRIXIANA.

IN BRIXIAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Quæ pingues scatebras specula despectat ab alta,
Postulat imperii Brixia magna vices.
Cælum hilarum, frons læta urbi, gens nescia fraudis,
Atq; modum ignorat divitis uber agri.
Si regeret patrias animis concordibus oras;
Tunc poterat dominis ipsa jubere suis.

In Cathedrali.

Vixi, & securus mei possessor fui, quæ dederat mihi Deus, in cursu peregi; pietate Christi optimi meliores sedes spero. Valete Brixienses mei; cælum spectate, Deo parete. Nam quám fragilis & caduca sit vita mortaliū, meo exemplo discite. M. CCCC. LXIIII.

In Christophori.

Quem non mille artes potuerunt perdere Martis,
Heu miserum, potuit mors violenta nimis.

Cornelii Michaelis.

Heu Corneli, quæ sors tua?
Sum felix; ne me vexes.
Cur in pube læta obiisti?
Satis vixit, qui bene moritur.

Qui me volent.

Valete matronæ, matresq; familiâs;
Vixi, & ultra vitam nihil credidi;
Memet Veneri alumnæ addixi;
Quos potui pellexi philtris & æstu.
Viro humato non vidua fui.
Nec matris fam. nomen adepta. quæso non invidete.
Porcia familia est, Veneris domus, illicium Cupidinis.
Cave viator, ne me diu calcatam calces.

IN PALATIO CAPITANEI.

Hic locus odit, amat, punit, conservat, honorat,
Nequitiem, pacem, crimina, jura, probos.

BERGOMATIA.

IN BERGOMUM JUL. CÆS. SCALIGER.

INgenium, corpus, mores, obtutus, amictus,
Tecta, cibus, gressus, guttura, sermo, sonus:
Omnia crassa modis insignibus, omnia dura:
Sic, valeant silices ut superare suos.
Ista domi: sed vicinus si aspergat acetum;
Artibus atq; dolis vincitur ipse suis.

INSCRIPTIONES BERGOMENSES.

IN FORO.

Bergomum urbs vetustiss. An. ante S.N. 1804. á Cidno Liguris Hetruscorum regis F. exstructa: aliquando in libertate, aliquando sub Romano, Cæsarum, Regum, ac Ducum imperio, vario eventu jactata: sub sanctissima D. Marci alarum umbra, tandem diuturnæ pacis ocio fruitur: & feliciter quiescit.

IBIDEM.

Antonia civis Bergomi virgo, non minús animi quám corporis pulchritudine pollens: cúm ab N. N. violentum in se stuprum parari videret: mortem pro conservanda pudicitia vilipendens, gladio violatoris erepto: intrepidum sibi pectus transfodiens, singulari castitatis exemplo urbem hanc perpetuó illustravit.

IBI-

IBIDEM.

Albericus de Roxiate. Qui qualis fuerit, ejus scripta venerandæ ubique authoritatis, & universa Jurisconſ. Collegia atteſtantur. Omni fere, ſed præcipuè legalis ſcientiæ genere toto orbe celeberrimus: urbem iſtam ſummæ doctrinæ, ſummiſque ingenii virorum genitricem eſſe docuit. 1555.

IBIDEM.

Bartholomæus Collio Gallos Boſchum in Alexandrino agro obſidentes, ingenti prælio vincit, caſtris exuit, & Reinaldum Briſnenſem hoſtium ducem capit.

Alcides unum, geminos gerit iſte leoneis.
Unde hoc? ille feras vicit, at iſte duceis.

ALIUD.

D. O. M. Bartholomæus Coleonius de Andegavia virtute immortalitatem adeptus: uſq; adeó in re militari fuit illuſtris, ut non modó tum viventium gloriam longé exceſſerit: ſed & poſteris ſpem eum imitandi ademerit. Multoties enim á diverſis Principibus, deincepsq; ab illuſtriſſ. Venetorum Senatu accepto imperio, tandem totius Chriſtianorum exercitus, ſub Paulo II. P. M. delectus fuit Imperator. Cujus acies 14. annis ab ejus obitu, ſolo jam defuncti imperatoris, tanquam vivi nomine militantes, juſſa cujuscunque alterius contempſerunt. Obiit 4. non. Novemb. Anno Domini 1475.

IN ADITU TEMPLI FRANCISCANI.

Morti morte tua mortem moriendo dediſti,
Eſt tua mors mortis Chriſte medela mea.

IN CAPUCINORUM.

Ubi amici? ubi divitiæ? finem tuum reſpice.

IN CANCELLARIA.

Lex prima conſilii liberé loquendi, & patienter audiendi.

ALIBI.

Non lapidibus & picturis, sed inhabitantium virtutibus domus decoranda.

Mors honesta vitam etiam turpem exornat.

FAVENTINA.

IN FAVENTIAM JUL. CÆS. SCALIGER.

PArs magna Italiæ duro discrimine rerum,
Clara Faventino milite sceptra capit.
Quod meruit decus invictis Helvetius armis:
Quod conducta ferox Brennus ad arma fuit:
Hoc sumus: hoc fortis meruit vis ignea dextræ,
Arbitrio cujus numina regna parant.

AD S. ANTONIUM.

CAROLI TRAVERSARII

Canonici Favent. ac hujus Ecclesiæ Rectoris: nec non Rotæ Su. Palat. Apostolici causarum Notarii: & istius societatis sacratiss. corporis Christi institut. ac benefactoris corpus hîc infrá jacet; anima veró ejus in pace requiescat. Amen.

Vixit annos LX. diversis & quamplurimis tribulationibus & persecutionibus semper laborans, tandem & ejus vitæ finem imposuit, dicens in ultimo claré & alté versus infrá scriptos:

Inveni portum, spes & fortuna valete;
Nil mihi vobiscum; ludite nunc alios,

M. D. XXXXVIII.

ANTE HOSPITALE ORPHANORUM.

Quos parentum paupertas, pudórve repulit, pietas hujus loci recipit.

IN

IN PALATIO GUBERNATORIS.

GUIDONI FERRERIO
S.R.E. Cardinali ampliſſimo, totius Æmiliæ & Exarchatus Ravennæ juſtiſſimo atq; prudentiſſimo de latere legato, S.P.Q.F. grati & devoti animi ergó.

Juſtitia & pietate regit, non vincitur auro.

ANTE HORTUM CUJUSDAM
Equitis Melitenſis.

Satis dives, qui non indiget pane. Satis potens, qui non cogitur ſervire. Civiles curæ procul hinc abite. Sabbas. Caſt. Solitarius, ſeipſo contentus, hos ſecuros incolit hortulos. pauper an dives, ſi cordatus es, cogita. Vale.

RODOLPHO PIO S.R.E. CAR.
DEFENSORI NOSTRO.

AD EJUSDEM INSIGNIA.

Hæc nobiliſſima Piæ gentis inſignia, quibus excelſus hic & illuſtris locus decoratur, memoriam renovant Illmi Rodolphi Pii Card. ampliſſimi: in quem unum ſe tota convertit civitas, quem Senatus, quem omnes boni intuentur: & in quo ſolo hujus urbis nititur ſalus.

PISTORIENSIA.

IN SUMMO TEMPLO.

CYno Juris interpreti eximio, Bartoliq; præceptori digniſſ. pop. Piſtoriēſis civi ſuo H.M.F. Obiit an. Dn. 1336.

IBIDEM.

D.S. Nicolao Fortiguerræ Cardinali, grata patria, civi ſuo de ſe opt. merito P.A.S. 1472. Vix. an. 54.

IN CURIA.

Ordinibus veſtris fidem ne rumpite cives.

Vivite concordes, si lætum cupitis ævum.
Et qui consulitis patriæ decernite rectum;
Damnorum memores, quæ jam fecere parentes.

EPIGRAMMA ARMORUM DUCALIUM.

Ut in solido hæc insignia marmore; ita in soliditate Justitiæ, & salute Reipub. sermones & operationes vestræ. 1494.

IBIDEM.

Civitatem hanc pacis avidam, atque ejus agrum armis & cæde fluctuantem, decreto pub. Florentini, virtuteque singulari ab imminentib. periculis eripuere. 1478.

IBIDEM.

Jus est in armis.	Jus res divina est.	Et juribus & armis mundus regitur.
Conrad. de monte magno.	*Cynus de Sighibuleis.*	*Ph. Laicerus.*

IN SUMMO TEMPLO.

O vos quid cupitis mortem evitare severam?
Qui sunt vos eritis; quippe quod estis, erant.

IN VELO SUGGESTI.

Nequeunt profectó mala penitus exstirpari. bono enim oppositum aliquod esse necesse est.

Sed quia illa apud superos locum habere non possunt; mortalem naturam & regionem inferiorem circumeunt.

Conandum ergo est, ut hinc illuc quám celerrimé fugiamus.

Fuga autem est, ut Deo quám similes pro viribus efficiamur.

Deo similes efficit prudentia, justitia, fides, sanctitas.

PERU-

PERUSINA.

IN PERUSIAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Sanguinea audaci conata Perusia ferro,
Tanquam hosti temere sæpe inimica suis,
Partibus imperium, vitales partibus auras
Colligit, invisis partibus atra DEOS.
Va tibi, sic odio quæ te partiris amaro.
Est, quæ non toto est corpore tota, nihil.
Quin etiam fera jura tui scripsere coloni:
Quæ jubeant tetras semper habere manus.
Vestrarum hæc igitur summa est sapientia legum;
Nolle placere aliis, velle nocere sibi.

INSCRIPTIONES.

D. Herculani Episcopi Perusini & martyris corpus, qui Vigilio P.P. & Justiniano Cæs. á Totila obtruncatus est. Anno D. LII.

Servavit mandata Dei, mundanaq; tempsit.
Sic colitur terris, sic super astra sedet.

IN ARCE.

Paulus III. Pontif. Max. tyrannide ejecta, novo civitatis statu constituto, bonor. quieti, & improborum freno, arcem á solo excitatam mira celeritate munivit, pontificatus sui an. IX. Sal. XLVIII.

BALDI SECUNDI EX ITALICO LATINUM.

Humanis homini nihil est in rebus amicum,
Nemo scit hora sua quæ sit, & unde necis.

IN TRIBUNALI GUBERNATORIS.

Jus reddens Judex semper sis omnibus idem,
Judicium alterius judicis ut fugias.

DE PRUDENTIA.

Quid generi humano præstes Dea dic age? præsto
Ne facias, quâ mox facta dolere queas.
Scrutari verum doceo caussasq; latentes,
Et per me poterit nil nisi ritè geri.

DE JUSTITIA.

Si tribus his cunctos similes pia numina gignant,
Nil toto sceleris, nil sit in orbe mali.
Me culta augentur populi belloq; togaq;,
Et sine me, fuerant quæ modò magna, ruunt.

DE FORTITUDINE.

Cedere cuncta meis pulsa & disjecta lacertis,
Magna satis fuerint tres documenta viri.
Nil ego pro patria timeo carisq; propinquis,
Quæq; alios terret, mors mihi grata venit.

DE TEMPERANTIA.

Dic Dea quid tibi vis? mores rego, pectoris æstus
Tempero, & his alios cùm volo reddo pares,
Me quæras, & qua te superes ratione docebo,
Quid, tu quod valeas vincere, majus erit?

SUB CATONIS IMAGINE.

Quisquis vel celebri facturus verba corona
Surgis, vel populo reddere jura paras:
Privatos pone affectus: cui pectora versant
Aut amor, aut odium, recta tenere nequit.

Julio III. P. M. ob restitutos magistr. pié deprecantibus, Fulvio S. R. E. Card. & Ascanio Corneis ex soror. nepp. ad muneris gratiq; animi perpetuitatem, Perusium dedicavit.

AD SERVOS MARIÆ.

TUMULUS BALDI SECUNDI.

Baldo Secundo Perusino, utriusq; Juris consultissimo, filii pientissimi faciendum curarunt, probaveruntq;. Vixit annos

xit annos 76. menses 10. dies VI. Obiit M. CCCC. XC. XXII. Septemb.

Interpres utriusq; Juris ingens,
Orbis gloria, patriæ decusq;,
Hîc Baldus jacet ille Bartholinus.
Hui Baldum haud tegit hoc. sed ossa Baldi
Marmor fama nitens volat superstes.
Cælum spiritus innocens recurrit.
Dic lector vale, & hinc recede felix.

VOLATERRAE.

IN S. LINO.

ΑΠΝΟΟΣ CHRISTO SERVATORI. ΠΝΟΩ.

Raphaëli Maffæo Gerardi Maffæi F. doctrina, pietate, ac sanctitate cum quovis antiquo comparando, ut ejus indicant opera egregia, testantur miracula. Vix. ann. LXX. mens. XI. d. VIII. Obiit anno salutis M. D. XXI. VIII. Calend. Febr. Marius Maffæus Episcopus Cavalirensis, fratri Smo pos. Sic itur ad astra.

IN CATHEDRALI.

Monumentum est Marii Maphæi, Episcopi Calcinensis, in quo legitur: ζῶν μὲν ἐπαίνῳ: θανὼν δὲ μακαρίζω.

Ibidem.

En quó tandem.

LUCENSIA.

IN LUCAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Tusci delicium, Tusci laus inclyta cæli,
Justitia illa so robore Luca potens,

Luca potens opibus, felix concordibus armis,
Cui veneranda fides, mens pia, pura manus.
Cælestis vegetum comitatur candor acumen,
Ad veteres referens candor acumen avos.
Iratis igitur dum servit Hetruria fatis,
Virtutis merito libera sola fuit.

IN S. SALVATORE.

Filius Patri.

Accipe care pater, quæ natus munera tradit,
Munera, si cineri sunt bené grata tuo.
Tu mihi das lucem vitæ, do mortis honores.
Heu, heu, quàm dispar gratia nostra tua est!

Hieronymi Vellutelli.

Hîc dum vexillum gerit, & te Luca gubernat,
A conjuratis vulnera sæva tulit.
Felix ille nimis, qui dum cadit ense peritq;,
Et servat patriam, de nece victor ovat!

Augustini Chivizanei.

Augustinus ego Chivizaneus hîc requiesco.
Nemo mori nescit, vivere disce. Vale.

Stephani Spadæ.

Vivens & moriturus, Stephanus Spada quondam Gerard. civis Lucens. filius, hunc tumulum sibi hæredibusque condidit. M. D. XI.

JANO GRILLO

Patricio Genuensi patri opt. ac B.M. Lucas filius pos.

Qui legis, an censes Janum periisse bifrontem?
Qui ventura videt, lapsaq;, non moritur.

In Templo S. Fridiani.

Lazarus de Turri Genuensis, rarissimæ gloriæ milit. exemplum, ob egregia facinora cunctis carissimus, in flore juventutis é magna rerum expectatione præreptus, invictissimi illius Domini Andreæ Auriæ, avunculi mœstissimi

simi, mandato hîc tegitur depositus, Anno Domini M. D. XXV. mense Junio. Vixit annos XXXIV.

En medio vitæ cursu tibi lampada trado,
Ignifer & subeo dona superna facis.

SUB STATUA EQUESTRI.

Nicolao Piccinino ductori clarissimo: Luc. Senatus ob patriam hanc jussu invictissimi Mediolanensis ducis, longa obsidione liberatam, picturam hãc vetustate consumtam renovari curavit.

IN PALATIO.

Perlege, quisquis ades, libertatis fautor, & scias, qualis fuerit in rep. nostra Podiorum familia. Horum operâ Petrus Cenarius, unus ex Antianis, anno 1436. interemptus est. Ejus socii deinde ann. 1522. libertatis opprimendæ animo Hieronymum Vellutellum vexilliferum Justitiæ fœdissimé trucidarunt. Tota veró civitate arma cõtra eos capiente, parricidæ aufugerunt. Rebelles facti conscii, capite sunt mulctati. In alios ejusdem domus multa extant decreta. Deo agantur gratiæ, & hæc oblivioni non tradantur.

IN MARTINI.

Bertæ Comitissæ, filiæ Lotharii regis Francorum.

Hoc tegitur tumulo Comitissa corpus humatum,
Inclyta progenies Berta benigna pia.
Uxor Adelberti Ducis Italiæ fuit ipsa,
Regalis generis quæ fuit omne decus.
Nobilis ex alto Francorum germine Regum,
Carolus ipse pius Rex fuit ejus avus.
Quæ specie speciosa, bono speciosior actu,
Filia Lotharii pulchrior at meritis
Permansit felix, seclo dum vixit in isto,
Non inimicus eam vincere prævaluit.
Consilio docto moderabat regmina multa,
Semper erat secum gratia magna Dei.

Partibus ex multis veniebant undiq;, cujus
Mellifluum comites quærere colloquium:
Exulibus miseris mater carissima mansit,
Atq; peregrinis semper opem tribuit.
Claruit hæc mulier, sapiens, fortisq; columna,
Totius virtus, gloria, lux patriæ.
Idibus Octavis Martis migravit ab ista
Vita, cum Domino vivat ut in requie.
Mors ejus multos contristat, proh dolor, eheu!
Eous populus plangit & occiduus.
Nunc Europa gemit, nunc luget Francia tota,
Corsica, Sardinia, Græcia & Italia.
Qui legitis versus istos vos dicite cuncti,
Perpetuam lucem donet ei Dominus.

Anno Dominicæ incarnationis 1425.
Indict. 13. obiit de mundo.

Ibidem.

MONUMENTUM DUCIS ADELberti. Anno 1006.

Hîc populi leges saxi sub mole sepultæ,
Hîc jus paxq; jacent, hîc patriæ auxilium.
Hîc cubat ala, scutum, clypeus, lacrymaq; repostæ,
Hîc oculus cæci ac hîc pietas vidua,
Pes claudi, vestis nudi, solamen egeni,
Noster Adelbertus Dux bonus atq; pius.
Gentib. externis timor & pavor, unica tandem
Militibus propriis gloria summa suis.
Quám fortis fuerit, noverunt ultima terræ,
Qua bonitate fuit, dicere lingua nequit.
In sexto decimo Septembre notante Kalendas
Membra sua hîc posuit funereo gemitu.
Quisquis adis tumulum, culparum facta tuarum
Ante Deum recita, cum precibusq; juva.

SPO-

SPOLETI IN UMBRIA.

THEONORÆ BURSINÆ CONjugi clariſſ. Severus Minervius B.M.P.

Vitam ego te geminam vixi vivente, fuiſti
Supra hanc qua vivo tu quoq; vita mihi.
Morte tua exanimis vivam, nam conditur una
Maxima tecum animæ pars Theonora meæ.

In Curia.

Anno M. D. XXXVIII. carmina reperta ſunt ſub vetuſtiſſimis Spoletanæ urbis mœnibus.

Jano, Portuno atq; Marti E.S.C. Vibonius
A. Apeſemus, L. Aurelius faciendum dederunt.

Item.

Urbem hanc Portunus, Janus, Mars ordine ſervant.
Quám bene ſub trino numine tuta manet!

OCRICULUM.

AD FONTEM OPPIDO vicinum.

Monte ſub hoc triplici cunctis fluit unda ſalubris,
Qua levet arentem, ſi cupis, apta ſitim.
Siſte gradum, repara vires hoc fonte viator.
Dic precor ut vireat mons ſimul iſte diu.

TOLLENTINI IN FORO SUB INSIGNIB. PONTIficis, & Symbolo; Moderata durant.

PAulo III. Pon. Max. terreſtri Deo, Reip. Chriſtianæ conſervatori.

RECANATI.

SEreniſſimus Cæſar Fridericus, Rom. Imp. ſemper Auguſtus, ab Rep. Recanatenſi honorificentiſſimé ſuſceptus, magiſtratum ejusdem, de ſua majeſtate bene meritum, auro inſignivit, procreatos ex damnato coitu legitimandi, notariosq; creandi auctoritatē conceſſit. M. CCCC. LXVIII. die XX. Septemb.

In S. Dominici.

Quód prope Loretum morior florentibus annis,
Gratia cælitibus mortis habenda meæ.
Immatura juvat me mors; nam mortis acerbæ
Munere, peccandi copia facta minor.
Nec minor & noſtræ fiducia certa ſalutis,
Loreto morior quód propiore, fuit.
Nec refert peregré an patria tumuleris in urna,
Terra locus tumulo mortis & una via eſt.
Ergo Nicolao gratanda hæc funera, quorum
Eſt operæ pretium conditione mori.

VERULI.

TALE QUID AONIUS PALEARIUS PARENTIB. ET SORORIBUS SUIS cogitabat.

MAtthæo Paleario, & Claræ Janarillæ optimis parentibus: & Eliſæ, Franciſcæ, Janillæ, Palleariis, ſororibus honeſtiſſimis, Aonius Palearius poſuit mutato ſolo.

Nec non uxori.

Ni mihi ſpem Chriſtus faceret, quem vita ſecuta eſt;
Non poſſem abrupto vivere conjugio.
Ille mihi te olim redituram in luminis oras
Pollicitus, dulci paſcit amore animum.

Interea

Interea Aonium venientem curſibus ad te
Expecta campis uxor in Elyſiis.

CESENATIA.

AD FRANCISCI IN ADITU BIBLIOTHECÆ.

ELephas Indus non curat culicem.

In Palatio.

Felicem Æmiliam, dum te regit atq; tuetur,
Qui Chriſtum geſtat pectore, Chriſtophorus.

In Atrio.

Ut manus, ità conſcientiam lava.

FOROLIVIANA.

AD IMAGINEM MORTIS.

NOn terrori, verùm lætitiæ, ſolam ſpem in Deo habenti, futura ſum.

Ad imag. vitæ.

Vita fallax, anxia, creſcendo decreſcens, mortis ludibrio quot illaqueas!

TAURINENSIA.

EXcipiens gelidas patriis ex alpibus auras
Heſperii princeps jus capit una ſoli.
Terra ferax, gens lata, hilaris addicta choreis:
Nil curans quidquid craſtina luna vehat.
Ingenium natura aptum, ſed more ſolutum:
Plus animo capiens quám dare poſſit ope.
Felix Marte novo, felix melioribus armis.
Namq; recens acuet pectora lenta metus.

In templo Jesuitarum.

DIALOGUS PHILOSOPHI ET JUSTITIÆ.

PH. *Qua Dea?* JUST. *Justitia.* PH. *at cur torvo lumine*
JUST. *Nescia sum flecti, nec moveor precio.* (*spectus?*
PH. *Unde genus?* JUST. *Calo.* PH. *Qui te genuere parentes?*
JUST. *Mî Modus est genitor, clara Fides genitrix.*
PH. *Aurium aperta tibi cur altera, & altera clausa est?*
JUST. *Una patet justis, altera surda malis.*
PH. *Cur gladium tua dextra gerit? cur læva bilancem?*
JUST. *Ponderat hæc causas, percutit illa reos.*
PH. *Cur sola incedis?* JUST. *Quia copia rara bonorum est,*
Hæc referunt paucos sæcula Fabricios.
PH. *Paupere cur cultu?* JUST. *Semper justissimus esse*
Qui cupit, immensas nemo parabit opes.

NOVOCOMI IN BASILICA.

ORdo populusq; Comensis, C. PLINIUM secundum mactum ingenio virum, dignatione clarum, doctrina admirabilem, ut qui olim Imperatorum Cęsarum Vespasianorum amicitiam meruerit: officia maxima gesserit: ac scriptores universos, copia & varietate superaverit: municipem suum incomparabilem, statua, & elogio ornavere.

Tantus honor, dulcisq; juvat me fama secundum:
At mage, concives hæc posuisse meos.

Ibidem.

C. PLINIO Cecilio secundo, qui consulatu, auguratu, militiæ gestis, orandis causis, poëmatibus & historiis conficiendis, Cæsare Trajano Augusto luculentissimé laudando, afficiendoq; immensa liberalitate patriam suam, eidem immortale contulit ornamentum, Ordo Comensis con-

sis concivi suo desiderabili, honore accepto, monimenta posuit. M. CCCC. LXXXXIIX Cal. Maji.

Functus eram, sed tum veteri præclarus honore
Vivebam, periit, nunc quoq; vita mihi est.

IN PALATIO P. JOVII.

Vividæ fœcundæq; virtuti Mæcenates nunquam desunt.
Fato prudentia minor.

ALIBI.

Quó juvenis properas, oculos huc flecte parumper,
Latus eris, sed mox non sine lacrymulis.

IN TEMPLO.

Quem invida mors vult esse mortuum, historia, patria, orationes & carmina Benedictum Jovium mori non sinunt. Julius Episcopus Nucerinus memoriæ patris opt. P. 1556.

SUB STATUA ATTILII GRAMMATICI Comensis.

Morborum vitia & vitæ mala maxima fugi:
Nunc careo pœnis; pace fruor placida.

TRIDENTINA.

IN TRIDENTUM JUL. CÆS. SCALIGER.

Nobilis Italico quæ prima urbs imminet orbi,
Ausoniis miscet Norica verba sonis.
Romanum ingenium est, animus Germanus, acerba
Ultio, si obducta est nube serena fides.
Accipere á Veneto, cujus pars, milite leges
Hæc potuit si non; & valet ipsa dare.

GEORGII FRONSBERGII
tumulus.

Ad eum modum armatus prælium concivit ante Papiam, Gallos cecídit, castra cepit, obsessos extrema patientes servavit.

MEMORIÆ DEFUNCT. S.

Georgio Fronsbergo Imp. decretis Germanici exercitus Duci, qui per Tirolim defectionem colonorum compressit: per Liguriam & regionem Transpadanam Italiæ urbes, populos rebelles perdomuit: ad paludes Venetas & turrim usque Mergeram victor accessit: ferro, igni urbem terruit: socias civitates oppugnatas, exercitumq; ad loca iniqua delapsum, ex hoste confertiss. obsidione quartùm & quintùm liberavit. vicies, plus minus, signis collatis pugnavit: fortitudine, celeritate, animo consilioq; rebus inclinatis præsentissimum se & invictum præstitit. post ingentia facta vita perfuncto patri opt. Gasperius F. pientiss. gemens illachrymansque mon. more majorum religiosé P. An. Christiano 1528. mens. Aug. 20. obiit diem. Vixit an. 54.

APUD S. MARCUM.

DOROTHEÆ TONNÆ.

Pudicitia, prudentia, venustate atque moribus insigni, uxori cariss. & benemeritæ, Andreas Burgius Cremonen. eques & Cæsareus consiliarius, maritus mœstiss. posuit. Vixit an. XXX. mens. II. dies III. Obiit die X. Octobr. M. D. XX.

Quid gemis heu tanto felicia funera luctu?
Turbantur lacrumis gaudia nostra tuis.
Parce precor tristes questus effundere, vixi.
Non erat in fatis longior hora meis.
Immatura peri, sed tu diuturnior annos
Vive meos conjux optime, vive tuos.

ALIUD.

L. Romulus Pincius Mantuanus Juris utr. Doctor, Protonotarius

tonotarius Apostolicus, ac Canonicus Tridentinus, pluribus honoribus sub Ferdinando Ser. Rom. Imp. & sub illmo ac Rmo D. Bernardo Clesio Card. & Episcopo Trident. functus, quicquid á terra accepit, huic sepulcro cõmendat; quod veró é cælo, spe plenus, ac gaudẽs Deo reddidit. Vix. an. LXX. mens. III. Obiit M. D. LXXIIII.

ALIUD.

Dei Opt. Max. laudibus personandis Joannes Antonius Zuriet organum cum opere marmoreo faciundum C. pecunia sua. Bernardo Clesio Cardinale Tridentinis imperante. M. D. XXXIIII. Vincent. Vicentin. faciebat.

PUTEOLIS.

PUteolis visuntur ossa stupendæ magnitudinis cum hac inscriptione, cujus autor perhibetur Pomponius Lætus:

Huc quicunq; venis stupefactus ad ossa Gigantum,
Disce cur Hetrusco sint tumulata solo.
Tempore quo domitis jam victor agebat Iberis
Alcides captum longa per arva pecus;
Colle Dicaarcho clavaq; arcuq; Typhones
Expulit, & cessit noxia turba Deo.
Hydruntum petiit pars, & pars altera Tuscos,
Interiit victus terror uterq; loco.
Hinc bona posteritas immania corpora servat,
Et tales mundo testificatur avos.

INSCRIPTIO LAPIDIS NUPER *in mari reperti.*

Imp. Cæs. Divi Hadriani F. D. Trajani Parthici nepos. D. Nervę pronepos. T. Ælius Hadrianus Antoninus Aug. Pius. P. M. Trib. pot. II. Cos. II. Desig. II. P P. Opus Pilar. VI. maris collapsum á Divo patre suo, prmissum restituit.

In horto quodam.

Petrus Toletus, Marchio Villæ Franchæ Caroli v. Imp. in regno Neapol. vicarius, ut Puteolanos ob recentem agri conflagrationem palanteis ad priſtinas ſedes revocaret, hortos, porticus, & fontes marmoreos, parta victoria Africana, quam reportaverat, otio genioq; dicavit: antiquo inſtaurato purgatoq; ductu aquas ſitientibus civibus ſua impenſa reſtituit. Anno á partu Virg. M. D. XL.

CAJETANA.

IN CAJETAM JUL. CÆS. SCALIGER.

TE quoq; cedentem naturæ Æneïa nutrix
Heſperio retinent littora curva ſinu.
Juſta pius fecit, tumulumq; ſacravit alumnus:
Unde tuum in noſtro nomine nomen habes.
Reddere non potuit, deerat quod legibus ævi:
At data, quod potuit, vita ſecunda tibi eſt.

Silius Paladius ut moriens viveret vixit ut moriturus.

INSCRIPTIO.

IN SACELLO S. CRUCIS SUB *templo S. Trinitatis.*

Ad petram ſciſſam, quod tempore paſſionis Chriſti accidiſſe ferunt.

Quid petra? ni Chriſtus. quid & hæc ſciſſura? quód ipſe
Anguem, legem, iram, tum ſcelus omne ſcidit.
Patri ergo, & nato, & paracleto, applaudite ſemper.
Nam Deus eſt unus, trinus & unus idem.

SUES-

SUESSAE.

AUGUSTINI NIPHI tumulus.

DUm lapidi titulum mœrens Galeacius addit,
Et triſti curat funera cum gemitu,
Si quis honos tumuli: non hoc tibi Niphe ſupremum,
Sed patriæ, & miſero ſtat mihi munus, ait.
Na vivis meliore tui tu parte levamen
Nos luctus mediis quærimus in lacrymis.

ATELLANA IN CAMPANIA.

ACTILII RUFI ET UXORIS.

PUb. Actilio Rufo, & Actiliæ Beronicæ uxori: vixere annos XXIV. Sed Pub. menſ. x. anté natus eſt eadem hora, fungorum eſu ambo mortui ſunt, ille acu, iſta lanificio vitam agebant. nec ex eorum bonis plus inventum eſt, quám quod ſufficeret ad emendam pyram & picem, quibus corpora cremarentur, & præfica conducta, & urna empta, atq; indulgentiâ Pontificum locus datus eſt.

BENEVENTI IN ARCU TRIUMPHALI.

POntia Titi Pontii filia hîc ſum: quæ duobus natis à me veneno conſumtis, avaritiæ opus, miſeré mihi mortem conſcivi. Tu quisquis es, qui hac transis, ſi pius es, quæſo á me oculos averte.

CAPUANA.

IN CAPUAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Flammea si valeat superare superbia fastum:
Pinguem luxuriam delicioſus amor:
Hoc mollem pinges Capuam, Capuáq; colonos:
Et quæ aliis viſa eſt, nec ſibi meta fuit.

INSCRIPTIONES.

In porta Castelli.

Lælius Elyſii Gentilis Capuan. F. molem hanc vetuſtatis monumentum reſtauravit: adjacentes hortos & cryptas expurgavit: cunctaq; Muſis & amicis dedicavit.

Ibidem.

Hoſpes Apulejus quum ſis, ne ingredere, priús quám ex horto roſas collegeris.

TARENTINA.

IN TARENTUM JUL. CÆS. SCALIGER.

Mollia quæ tenuis dimittunt pondera lanæ:
Tonſa Tarentinis jugera læta jugis,
Hæc eadem complent vagrandibus horrea culmis:
Et tua ſub prælum munera Bacche ferunt.
Nulla eſt in Latio Pomona beatior uſquam:
Nulla eſt Heſperidum gratior aura locis.
Se totum exhibuit lauta ad convivia Nereus:
Servit & innumeris proxima ſilva feris.
Hic ver perpetuum eſt, tantúm pro frugibus æſtas.
Nectareas ſuperant ſidera fœta dapes.

Quod

Quod si calum imis vellet mutare suprema,
Haud aliis poterat plenius esse lotis.

TUMULUS PACUVII.

Adulescens, tametsi properas, hoc te saxum rogat ut se adspicias: deinde quod scriptum est legas. Heic sunt Poëtæ Pacuvii Marci sita ossa. Hoc volebam nescius ne esses.

IN CORSICA.

HIeronymus de Monelia legatus in hanc insulam Corsicæ pro magnifico officio S. Georgii Commissar. ut populos precedentis anni rebellione nondum constantes in pace ac officio contineret. Armis atq; prudentia rem.

TERGESTAE IN ISTRIA.

EPITAPHIUM PUERI.

ME longé effigie venustiorem
Narcisci vel Apollinis comati
Parcarum Lachesis soror severa
Isti Quinterinem dedit sepulcro.
Cur non flosculus exeam requiris,
Cúm tantúm fuerim puer decorus?
Hæc tellus nimis arida est viator,
Nostri facta perustione amoris.
Nam terram quoque læsimus decore.
Quód si lacrymulis tuis madesceret;
Forsan flos novus ibit é sepulcro.

IN ZAZYNTHO.

M. TULLI CICERO HAVE, ET TU TERTIA ANTΩNIA.

IN TEMPLO MARIÆ.

ANdreæ Vesalii Bruxellensis tumulus, qui obiit an. M. D. LXIV. Id. Octob. ætatis verò suæ LVIII. cùm Hierosolymis rediisset.

PANORMI IN SICILIA SUPRA PORTAM quandam extat

CONFESSIO FIDEI MAHOMETICÆ *linguâ Chaldaicâ, in hanc sententiam.*

NOn est alius Deus præter unum Deum. Non est alius potens, præter eundem Deum. Neq; est alius victor, præter eundem quem colimus Deum.

Interim de Christo verbum nullum.

PARASITI EPITAPHIUM.

VIatores, cives optimi, vel advenæ, sive bini, sive singuli inceditis, sive turmatim, quod magis erit gratiæ: sistite, offirmate gressum: nec miremini, si moramini aliquantisper. Dicaculus equidem fui: succinctus sermo dari vobis non potest: juvat vobiscum esse, ac ab ore meo pendulos detinere, ut juvit semper. Saxũ hoc vos vocat. quid, inquam? vivus assuevi, prudens, imprudẽs, mortuus item vos fallo. nam non vos vocat, quod vacat ore, verúm is, quojus cinis hîc latet, olim quom potuit, nunc huc vos vocari voluit, valuitq; hoc. hæc olim sua voluntas volentes vos legere hoc scriptum: vah quid loquor? immó scultptum: quàm ægré veritas adhuc se mecum conciliat! nam neq; hîc atramentum, vel papyrus, aut membrana ulla adhuc, sed malleolo & celte litteratus silex, silens adhuc. Quid hîc latet, laté quod ego efferri, & effari gestio? Sertius Pollensis parasitus, histrio vester festivissimus, heic cubo:

cubo: hoc unum quidem tandem sponte dictum, verum est: si quis dubitat, hanccine olfaciat humum: olet temetum & florem vin. veteris: quo satur, satis juvenis hausi. at si vexi vitam, tam vobis gratam, quám notam urbi & orbi, non minus munus hoc á vobis impetrem oportet: adeste mihi & favete, edictoque huic vos subscribite & obsignate. Si quis sibi vesicam onustam senserit; domum suam onus hoc reportet in cloacam: si veró festinus fuerit; citerior vel ulterior hoc loco pro religione se evacuet. Qui non paruerit; hæc multa illi esto: teste altero ut careat. Canes quoq; cæsi fustibus edictum hoc sentiant. Affuistis, favistis, & obsignastis. Teneo, quo modo risum vobis dare sitio: hui, sentio, dictū volui esse. Sed quid hoc est quód tam familiariter istuc procedit Veritas. profectó contagione mei sistit ipsa quoque, & mihi supparasitatur, quæ ultro potum invocata advenit: nunc si urbani perhiberi vultis, & veritati supparasitanti & arenti meo cineri cantharo piaculum vinarium festinate: póst valete, abite in rem vestram, viatores optumi, his nugis, ambagibus, condonate posthumis.

Epitaphium C. Vibii adolescentis Zelotypi.

Infer. D. Deabusq.

C. Vibius adulescens intemperato amore percitus Putilliæ Sex. puellæ gratiss. quod alteri viro tradit, non sustinens cruento gladio sibimet mortem conscivit. Vix. ann. XIX. mens. II. d. IX. horas scit nemo.

Epitaphium Trebiæ Zelotypæ.

D. Diti et Proserp. S. V. F.

Trebiæ Q. L. S. Trebii filiæ amoris monument. & pietatis aul. Fibustius vir cum q. summo cum desiderio deliciosé vix. m. I. d. III. Hæc M. V X. Quam amantiss. mihi infeliciss. lacrymas & æternos luctus reliq. extremo zelo me cum suspicaret. Alia cum fœm. jacuiss. in furorem dulciss. conversó amore semet ferr. pectus per med. trans. necavit.

Hei ux. cur hoc? Mi care con. nec fact. tant. sed & suspectū amanti demere debueras. Vale lib. at ego incerta infel. & trepida vita soluta quiesco.

SIMILIS PRÆFECTUS MILITUM ADRIANI *Cæsaris, sequens epitaphium moriens sepulchro suo inscribi jussit.*

Similis hîc jacet. Cujus ætas quidem multorum annorum fuit: septem tamen duntaxat annis vixit.

EPITAPHIUM GLADIATORIS, QUI CUM *ejus amore Faustina Marci Imperatoris uxor arderet, Chaldæorum consilio occisus est, ut ejus cruore amans fœmina amoris flammas restingueret.*

D. M.

Gladiatori meo amore cujus extremé perusta immort. languorem decub. At ejus cruore, heu me miseram, impiata convalui D. Faust. Aug. pié monum. relinquens, ut Q. Ann. sang. turtur. inter sacrificand. arc. relig. Hanc intingi ex L. accen. facul. Et collachrymulantes puellæ solverentur luctumq. funeral. ob tanti indicium doloris devellat. crinib. promissis russar. pectora faciemq. Diem integr. propitiatis Man. circa sep. satagerent annua. perpetuo repetund.

Ext. F. I.

GERMA-

GERMANICA.

VIENNENSIA.

IN VIENNAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Aspice barbaricis quæ propugnacula bellis;
Quæ stet fulmineis machina torva pilis:
Adversus spurium, quæ fortia pectora, Turcam
Apparet intrepida Norica dextra fide.
Illa igitur validis assultibus irrita fudit
Prælia, quæ capto fecerat hostis agro.
Quin etiam patrii demissis turbine cæli
Auxiliis largo perpluit imbre polus.
Qualia regna putes, numen quibus excubat armis?
Nónne Dei est, pro quo pugnat & ipse Deus?

INSCRIPTIONES VIENNENSES.

PORTÆ GRATULATORIÆ SUBURBANÆ *Viennæ Austriæ, Imperatori Rudolpho II. &c. primó urbem ingredienti á Senatu Populoq; Viennensi positæ, inscriptiones.*

ARCHIDUCI SUO SERENISS. RUDOLPHO II. Imper. Cæs. Aug. &c. gratulatur Austria sua.

Austria quód redeas tua Maxime gaudeo Cæsar,
Successu felix opto fruare bono.
Res est successus qua non precioſior ulla,
Res venit á solo tam preciosa DEO.

AQUILA ROMANA IMPERATORI SUO
Rudolpho II. invictiss.

Anté polus stellis, ver floribus, imbribus æther,
Danubius rapidis anté carebit aquis.
Anté tibi, anté Jovi communis desinet usus
Esse Aquila, quám te non ego fida colam,
Duxq; comesq; tibi sistar belloq; togaq;,
Custosq; & clypei fida ministra tui.

ROMANORUM IMPERATOREM RUDOL. II.
Cæs. salutat Europa humilimé.

In te Magne mihi spes est sita magna Rudolphe,
Cæsar ades rebus tuq; Deusq; meis.
Afflicta mea fata vides: afflicta sed oro
Sis memor Europæ per mea fata tuæ.

ARÆ SEPULCRALES INCLYTÆ
familiæ Salmensis.

ARA I.
Dis Man. Sac.

Incomparabilis heros, NICOLAUS á SALMIS, D. Ferdinandi Rom. Hunga. ac Boëmiæ Regis, Archiducis Austriæ ab arcanis cõsiliis, Cubicularius, & supremus provinciarũ Austriæ Capitaneus: Quum D. FRIDERICUS Rom. Imp. D. SIGISMUNDUS, D. MAXIMILIANUS Rom. Imp. & FERDINANDUS Rom. Cæsar, Augusti fratres, rerum potirentur: eorum auspiciis, Reipub. annis XLVI. fortem atq; strenuam operam domi militiæq; navavit. Anno porró Domini M. D. XXIX. Solymanno Turcarum Tyranno Viennam obsessam atrociter oppugnante, dum dirutis mœnibus invictum generosi animi robur pro muro hostium minis opponit, saxo percussus, lethale vulnus accepit. D. FERDINANDUS Pat. Patr. virtutis rerumq; gestarum gloriæ ergó, hoc ei monumentum fieri cur. Moritur IV. die mens. Maji, Anno Domini Jesu Servatoris M. IↃ. XXX.

Virtutem posteri imitantor.

Quam meruit virtus, sequitur te gloria. Cæsar
Et tumulum, & lacrymas dedicat hæc tumulo.

ARA

ARA II.

D. O. M. S.

Nicolao IV. Salmæ & Neoburgi Comiti, Nicolai illius III. Salmæ Com. magnit. rer. gestar. suo seculo belli Ducis clariss. F.

D. Ferdinan. Rom. Regis supr. Cubiculario, omnibusq; ipsius regnis ac ditionibus cum summo imperio Præposito:

A Joanne Pannon. Rege, & Solyman. Turcar. Tyranno, ad quos ipsius Ferdinandi nomine legatus missus fuerat, ampliss. muneribus donato:

A bello atq; etiam in fratrem cariss. admiratione virtutis adoptato:

A suo Principe Posonien. regionis jurium arcisq; præfectura & Comitatu Neoburg. aucto ornatoq;:

A Carolo V. Cæs. max. & feliciss. in ampliss. ordinem aurei velleris cooptato:

Quum Levam, Chiabrachium, Zythnam, Muranum, expugnasset, communemq; pacem Regno Hungariæ reddidisset:

Paternam jam gloriam assecutus, decessit Agriæ. XVI. Calend. Sept. anno Christi M. D. L. æt. *

Julius Com. Salmæ & Neoburgi, D. Maxim. Rudolph. II. ab Imperialis aulæ consiliis, Filius mœrens Parenti sanctiss. atq; opt. fecit. ANNO Sal. Hum. M. D. XVI C.

Si vitam vitâ mihi compensare liceret,
Magne parens, mea jam, jam tua vita foret.
Sed mea vita nihil: potior tua cœlica vita;
O liceat tecum vivere, sicq; mori.

ARA III.

Jovæ Opt. Max.

CHRISTOPHORO COM. SALMIO & Neoburgio:

Nicolai III. F. Nic. II. N. Joan. pron. præclaræ indolis, ac summæ spei adolescenti, qui in floridissima jam tum ætate, vita hîc laudatissimè peracta, maxima fidei con-

ſtantia, fatis ceſſit, magno cum patriæ dolore ac deſiderio.
Anno Sal. Hum.
Æt.

ARA IV.

CHRISTO S. SERV.

Wolfgango Nic. F. Nic. N. Joan. pron. Comiti Salmio & Neoburgio, Præſuli & Epiſcopo Patavino: ſinceræ Religionis, & æquitatis obſervantiſſimo: ſummo ingenio, eximia doctrina, rara eloquentia prædito:
Humanitate ac beneficentia domi foriſq;
claro: Principi ſanctiſſimo:
Muſarum patrono incomparabili:
Bonorum omnium cum luctu,
Supremo die pié religioſeq; functo: Paſſaviæ, VI. Decemb.
Anno M. D. LV. Æt.

Munde vale: nulla hîc eſt conſtans patria: cælum
Per te Chriſte datur patria firma piis.

ARA V.

D. O. M. S.

Eckio & Nicolao, Salmæ & Neoburgi Comitib. Nicol. IV. Com. Salm. & Neoburgi filiis:
Poſonien. regionis jurium, arciſq; præff. ambobus viris ampliſſ. ac clariſſ.

Alter Jaurinen. præſidii Princeps, perterrefactam Zygethana clade Pannoniam, re, fortuna, fide, ſuſtinuit:

Summa uſus celerit. Hegettam, Tattam, & Veſprimium á Solyman. Turcar. Tyran. ereptas virtute ſua recuperavit:

Liberalis, magnanimus, laborum militar. patientiſſ. in omni belli munere ita egit, ut hoſti celeberrimus ſimul & formidabilis haberetur.

Alter autem omni liberali doctrinâ perpolitus, Græcé Latinéaliquotq; aliar. exotic. linguar. exacté doctus, veram ſapientiam ante canos comparaſſe viſus eſt:

Primúm Imperialis, inde bellicus Senator, ſub Ferd. Maximil.

Maximil. & Rudol. II. Rempub. fideliſſ. & opt. conſiliis ſemper rexit:

Machinamentis ad præſidia munienda, adq; hoſtium augendam incuriam inventis, cum iis quos mirata eſt antiquitas, comparandus.

Ille Jaurini in complexu milit. quibus apprimé carus ſemper fuerat, extremum vitæ ſpiritum edidit.

An. Sal. M. D. LXXIV. non. Jul. Ætat. *

Hic Caniſæ, cui cum ſumma poteſtate præerat, poſtquam vix x. menſ. ſpacium excubias pro ſal. patriæ egiſſet, vi repentinæ mortis ſublatus eſt. VI. Cal. Decembr. Æt. S. anno XLIII. Chriſti XXC.

Julius Com. Sal. Neob. D. Maximil. & Rudol. II. ab Aulæ Imperialis conſiliis, avitæ paternæq; virtutis æmulatoribus, germánis cariſſ. poſ. Anno M. D. XVIC.

*

Accipite ô animæ fortes, monimenta doloris,
Mixta piis lacrymis hæc pia vota, mei.
O me fata darent vobiscum vivere: vita
Invita, haud vita eſt, cui ſua vita deeſt.

ARA VI.

P. M.

Illuſtr. at ſtrenuo Heroi NICOLAO V.
Nicol. F. Eginonis & Julii Com. á Salm. & Neoburg. FR:
Senatu bellico Maximil. & Rudolph. II. cognito,
Poſonien. regionis Comiti, Caniſiæq; præfecto:
Qui quum ſuæ cuſtodiæ excubiarumq; duûm vix.
menſ. (quos anni multi haud emetirentur) edidiſſet:
Sive fato, ſive iniquorum maleficio importuniſſ. ſublatus:
Jul. fratri Maximil. & Nicol. filiis filiabusq;, conjugiq;
Judithæ á Polhaim ſuperſtitibus mœrorem cunctis,
dum cineres quieſcunt, ſui deſiderium
relinquens:
M. H. M. H. S. E.
Vix. ann. XLIII. Ob. Caniſiæ XXVI. anni Sal. LXXX.

ARA VII.

D. O. M. S.

Elisabethæ Thurræ, Freistadii, Semphtæ, Richenauiæ, & Themetuini Dominæ, fœminæ lectissimæ,
Alexii Thurri, viri summi, Pannoniæ Proregis æquiss. & sapientiss. filiæ;
Quæ sic semper vixit, ut seculum ipsa haud dignum videretur:
Ita diem extremum clausit, ut mors omni vitæ ipsius curriculo responderet:
Sed & Æmiliæ ac Juliolo puellis bimulis:
Qui utrum formosiores, an blandiores fuerint, dubium reliquerunt:
Qui quod voluit mater, semper fecerunt:
Alterum mî Elisabetha, alterum Anna-Maria Dietrichsteinia uxor superstes fidissima peperit:
Julius Com. Salm. & Neoburg. Maximil. & Rudol. II. ab Imperialis aulæ consiliis,
Maritus & parens, conjugi ac liberis dulcissimis,
Quód cum illis non sim, dolens feci.
Anno Sal. M. D. XXCIV.

Si dolor & lacryma possent vos reddere vitæ:
Reddiderint vitæ vos dolor & lacryma
Jamdudum. quid tum? dolor est & lacryma testis,
Gaudia vos vitæ sola fuisse meæ.

ARA VIII.

Christo Redempt. S.

ANNÆ-MARIÆ DIETRICHSTEINIÆ,
Sigism. F. Sigismundi N.
Liber Baron. ab Holleburg & Finckenstein, &c.
Quæ matronal. virtutum omnium ac laud. præclariss.

Summo

Summæ erga Deum religionis, erga maritum fidei,
Amoris erga liberos, benevolentiæ erga ſuos,
Benignitatis erga pauperes, erga omnes humanitatis,
Morum deniq; ac vitæ perpet. ſanctimoniæ, caſtitatis, innocentiæ,
vivens moriensq;,
Singulari præluxit exemplo omnibus ſui ordinis & ſex. hominib.
conjugi incomparabili,
Quæ ſupra ætatem morbo varorum palabundo infeſtata,
Partu heu immaturo nimis quintam enixa ſobolem,
Magno cum dolore ac labore:
Quam ſacro fonte priús renatam, & ex ſe Annam-Mariolam cognominatam, ſecum in cælum ſublatam, Chriſto initiavit:
Inter amplexus conjugis, & liberor. amantiſſ. pié ſancteq; expiravit,
animulæ ſuæ cariſſimæ
Julius Com. Salm. & Neoburg.
maritus infeliciſſ.
uberibus cum lacrymis poſ.

*

Vita mea vita quondam, mea mellila conjunx;
Mors vita nunc es mortua nempe mea,
Solvar, & ô tecum Chriſto nunc deniq; vivam:
Sic placeam: Chriſto vivere certa ſalus.

Ob. ann. ætat. XXVII. Sal. hum. 1517. Martii 5.

AUGUSTANA.

AD S. MARIÆ.

Othonis III. Imp. Monumentum.

IMp. Cæſ. Othoni Auguſt. III. ex gente Magni Witekindi Saxonum regis, Cæſ. Othonis Auguſt. II. filio, Cæſaris Othonis Aug. Magni nepoti, Regis Henrici Auguſti Aucupis pronep. Othonis ducis Saxoniæ & Rom. Imp. gubernatoris abnep. Lutolphi Saxonum Ducis ac nep. Brunonisq; Saxonum ducis, & Witekindi fratr. trinepoti. Obiit x. Kal. Feb. Anno Salutis M.II. regnorum XIX. Imp. V. Quód viſcera ejus hîc condita jacent, Fridericus III. Dux Saxoniæ Princeps elector, Comes provincialis Turingiæ, Marchio Miſniæ, & ſacri Rom. Imp. locum tenens generalis, progenitoribus dulciſſ. faciundum curavit. Salut. ann. M. D. XIII. V. Id. Maji.

N. B.

Frid. III. Imp. Viennæ in D. Stephani ſepultum non ignoramus. Ideo eam quę mox ſequitur inſcriptionem Auguſtæ tantúm honorariam arbitramur.

In Ædibus Eccenbergerinis.

Imp. Cæſar D. Fridericus III. Pius, Proſper, Aug. Chriſtianitatis Supremus Princeps, Hungariæ, Dalmatię, Croatiæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ, Comes & Princeps in Habspurg & Tirolis, Landgravius Alſatiæ, Princeps Sueviæ, Marchio ſupra Anaſum, Princeps religioſiſſ. qui ſacrum Romanum imperium ſumma juſtitia & virtute quinquaginta tribus annis ſapienter & moderaté rexit: quiq́ue filio ſuo Maximiliano Imp. glorioſiſſimo ſereniſſimam Dominam Mariam unicam filiam & hæredem Divi Caroli Ducis Burgundiæ potentiſſimi, &c. legitimo toro copulavit: ex quo quidem connubio omneis ducatus, principatus, marchio-

marchionatus, comitatus, & dominia, quæ præfatus Carolus Dux terra mariq; possedit, felici domui Austriæ hæreditario jure perpetuó accesserunt: quæ & Imper. Maximilianus potenti manu & gladio conservavit: Ipse Fridericus talibus multisq; aliis imperatoriis virtutibus perpetratis, naturæ debito persoluto: celeberrimis ac famosiss. exequiis devoté celebratus, in hoc precioso monumento reconditus est.

Hic Fridericus III. Imp. Aug Nascitur ann. Salutis nostræ M.CCCC.XV Eligitur in regem Rom. ann. M.CCCC. XLI. m. Aug. d. XIX. Moritur ann. M. CCCC.LXXXXIII. ætatis suæ LXXVIII. Imp. verò LIII. m. IIII. d. IIII. ejus corpus in hoc saxum reconditur ac transfertur, ann. sal. M.D.XIII. d. VII. Novemb. Imp. Cæsar D. Maximilianus P.F. Aug. Christianitatis supremus Princeps, Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Bosnæq;, rex Angliæ, dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lützenburgiæ & Geldriæ Comes, Princeps in Habspurg & Tirolis, Landgravius Alsatiæ, princeps & comes Burgundriæ, Flandriæ, Goritiæ, Artheſiæ, Holandiæ, & comes Selandiæ, Phirretis in Kyburg, Namurci & Sutphaniæ, Marchio super Anasum, Burgoviæ, & sacri Romani Imperii. Dominus Phrisiæ, Marchiæ Sclavonicæ, Mechliniæ, Portusnaonis & Salinarum, &c. potentiss. & victoriosiss. qui sua singulari sapientia, per sancti connubii fœdera, quo filio Philippo regi glorioſissimo sereniſſimam Joannam reginam & hæredem Hispaniarum conjunxit, nepotibus suis sereniss. atque chariss. Carolo, Ferdinando, Leonoræ, Isabellæ, Mariæ & Katharinæ eorumq; posteritati archiducibus Austriæ, & ducibus domus Burgun. regna hæc famosissima, scilicet Castellæ, Granatæ, Navarræ, Cathaloniæ, Toleti, Galletiæ, Valentiæ, Sardiniæ, Majoricæ, Minoricæ, Corsicæ ac Insul. Antipodum, &c. hæreditario jure perpetuo laudabiliter acquisivit, ex quo inclytam domum Austriæ in tantum exaltavit, ut D.O.M. gratia, in orbe terrarum huc usque nullam parem habeat. Et hoc precioſum monumentum, á patre devotiss. Imp. Friderico inchoatū, ipse filius pientiss. perficiendum, & erigendum curavit. Valeant, vi-

geant, floreant feliciſſima nomina Friderici, Maximiliani, & Philippi beatiſſimorum Impp. ac regum in æternum. Amen.

Ad Mauritii.

D. O. M. S.

Quæris viator, quis hoc ſub marmore tectus jaceat? homo ut tu mortalis, Henricus Rechlinger olim dictus. Qui ſic patriæ & amicis vixit, ut eum vixiſſe non pudeat. Tu manibus bené precare: & ſalutis tuæ memor vive, & vale. Hoc Epitaphium Henricus Rechlinger Imp. Majeſt. Conſiliarius, & reip. Auguſt. Duumvir, vivens ſibiipſi conſcripſit. Parenti opt. & Helenæ Hoervvartin, matri ſuæ pientiſſ. & ſub eodē marmore tumulatæ, liberi mœrentes P P.

In suburbio Jacobæo, vici Fuggerani, *qui novum oppidum repræſentat.*

Anno M. D. XIX. Udalr. Georg. Jacob. Fuggeri Auguſt. germani fratres, qua bono ſe Reip. natos, qua fortunam maximarum opum D.O.M. acceptam inprimis deferendam rati, ob pietatem & eximiam in exemplum largitatem, ædes CVI. cum opere & cultu municipibus ſuis frugi, ſed pauperie laborantibus, D.D.D.

In Nosodochio Fuggerano.

Marcus, Joannes, Hieronymus, Jacobus Fuggeri fratres germani, Dn. Antonii filii, hanc domum pro pauperibus ſiphylide morbo laborantibus ex diſpoſitione paterna exſtrui curarunt, An. S. 1571.

Ad Prædicatores.

Lector aveto. Frater Joan. Faber, ſacræ Theologiæ artiumq; Doctor: ordinis prædicator. congregal. Germaniæ Vicarius generalis: Prior Auguſtenſis; Ædem hāc ſacram, ruinam ob vetuſtatem minantem, partim Apoſtolicæ ſedis beneficio; partim veró civium Auguſtenſiū eleēmoſynis, Leone X. Pontif. Max. atq; Maximil. P.F.P.P. glorioſiſſ. Cæſare remp. Chriſtianam gubernant. Fabr. procura-

vit

vit Hieronymus im Hof, & Melch. Stunz Auguſt. max. laboribus, & incredibili cura: Deo Opt. Max. Mar. virgini, Mar. Magdal. Johanni Evang. atq; divo Dominico, ordinis prędicatorii parenti, intra triennium, vix credas, á fundament. F.C. Anno Chriſti M. D. XV. Sept. X. Hoc volui ut ſcires.

IBIDEM.

Deo Opt. Max. cæterisq; divis. Summa religione moti patricii ac cives Auguſtenſes, quorum heic videntur inſignia: univerſa pæné Europa armis laborante, pientiſſ. domum hanc, quæ lapſum pæné minaretur, ſuis ampliſſ. eleëmoſynis, á fundamento intra triennium faciendam curavere. An. Chriſti M. D. XV. d. X. Decemb.

ALIUD.

Philippo Catholico, regi Hiſpaniar. &c. D. Imper. Cæſaris Maximiliani Aug. & Mariæ D. Burgundiæ filio. Qui vix. ann. 28. m. 3. d. 11. Ob. Brugis, florentiſſ. ætate: magna R.P. Chriſtianæ jactura: relictis patre, & filiis pupillis, Carolo rege, & Ferdinando principe Hiſpaniar. &c. An. ſal. M. D. VI. VII. Kal. Octobr. ob vitæ ejus felicitatem Frat. Joan. Fabr. devotiſſ. poſuit. An. Chriſti M. D. XIX.

IBIDEM.

Imp. Cęſari Maximiliano Aug. Pio, Felici, Hung. Dalm. Croatiæq; regi &c. Quód ſuum Auſtr. Archiducatum, ac etiam Rom. Imp. pacatum reddiderit, auxerit, ampliaverit, quodque Philipp. filium, & Carol. nepotem, Hiſpan. reges conſtituerit. Vixit ann. 63. menſ. 9. d. 19. Ob. Welſæ, d. 12. Jan. ſalutis An. 1519. regni anno 33. princ. opt. Chriſtianæq; religionis acerrimo propugnatori Fr. Joan. Fabr. Auguſt. Theologus, Majeſt. ſuæ á conſilio: devotiſſ. faciendum curavit, atq; poſuit 1519.

IBIDEM.

Imp. Cæſ. Carolo V. Aug. Max. Cæſ. Friderici III. pronep. Cæſ. Maximil. Aug. & Ferdinandi Magni Hiſpania-

rum Regis nepoti: Philippi, & Joannæ Hiſpaniar. Regum filio: Ob felicem ejus electionem, ab univerſo populo Chriſtiano deſideratam: de ſe an. ætat. 20. unanimi principum elector. conſenſu factam, 4. Kal. Julias. ſal. an. 1519. principi clementiſſ. Frater Joan. Fabr. Theologus ordinis S. Dominici, devotiſſ. poſuit. An. reparationis humanæ 1520.

IBIDEM.

Ferdinando, Principi Hiſpaniarum, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ: Cæſ. Friderici III. Aug. pronepoti: Cæſ. Maximil. Aug. & Ferdinandi Magni Hiſpaniar. regis nepoti: Philippi & Johannæ Hiſpan. regum filio: Caroli Imp. Cæſ. Maximi Aug. v. fratri germano: principi pientiſſ. Frater Joannes Fabr. Auguſtanus, prædicatorii ordinis, devotiſſimé poſuit. An. hum. reſtaurationis 1520.

ALIUD.

D. O. M. Dn. Joan. de Cerbellon. Hiſpano, ordinis Calatrab. equiti ſtrenuo. Qui poſt plurima præclaré á ſe geſta, annos 55. primó ſub D. Ferdinando rege Catholico, deinde Imp. Maximiliano, atque poſtremó Carolo Qu. Cæſare Auguſto tam in Africa, quám in Germania, Italia, Hiſpaniaq; contra potentiſſ. mundi hoſtes triumphator celebris. Tandem mirus hic belli artifex militiam obſtrenuam, ſuiq́ue animi virtutem perpetua memoria dignus, Carolum v. Cæſ. huc ſecutus, an. ætatis 75. obiit d. 3. Auguſti. An. 1551. Dn. Petrus de Cerbellon. F. patri opt. clariſſ. H. E. M.

ALIUD.

Dn. Didaco de Arze Mardrili nato, Hiſpanor. militum præfecto, diviq́ue Jacobi commendatorio. Qui inferioti non prudentia, nec fortitudine quám nobili ſtirpe natus: cúm ſub Catholici Hiſpaniar. Ferdinandi regis ac Maximiliani Imp. nec non invictiſſ. Caroli v. Rom. Imp. ditione immenſos bellicis in rebus per 40. an. paſſus eſſet labores; poſt ultimam tandem Germanici belli expeditionem

Wirtem-

Wirtemberg. ſtatus gubernator conſtitutus fuit á Cæſare. Qui 60. jam & 8. cum haberet, quietemq; meritó deſideraſſet; morbo correptus, animam ſummo omnipotentiq; Deo; huic veró ſepulcro corpus commendavit. Auguſtæ an. 1551. d. 5. menſ. Novemb. D. Joannes de Arze hujus nepos conſtruere hunc juſſit lapidem.

ALIUD.

D.O.M. Nobili matronæ Urſulæ Bar. ab Harroch, fide, prudentia, caſtitate inſigni: Rom. Hung. Boëm. ac Poloniæ reginarum aſſeclæ familiari: Joh. Jacobus Fugger: Kirchbergæ, & Vianæ Baro: Phirretarum dominus, conjugi cariſſ. atque incomparabili: amoris ac deſiderii ergo, monument. hoc, lugens mœrensq; præter votum poſuit. Obiit 18. die Sept. an. ſal. 1554. Vix. an. 32. m. 10. d. 23.

Media vita in morte ſumus.

Credo videre bona Domini in terra viventium,
Ut mortui viverent, tu mortuus es.
Et mors tua peccatorum mortem occidit.

D. Imm. S. Jo. Jacobus Fugg. humanæ ſortis atque fragilitatis memor, vivus monumentum hoc, in quo condi mortuus voluit, ad perp. memor. proprio ære ſibi uxoriq; præmortuæ, cum qua ann. 14. menſ. 2. d. 27. conjunctiſſ. vixerat, conſtituit: conjugisq; monumento jungi voluit; ut quos vivos idem animus, eademq; ſociaverat voluntas: iisdem defunctis perpetuæ gloriæ atq; honoris ſimulacra eſſent unita.

Certa dies nemini: mors certa cunctis: incerta poſterorum cura.

Tu qui es, ego fui. Qui ego ſum, tu eris.

Jo. Jac. Fugg. ſibi, uxori, hæredibusq; eorum.

ALIUD.

D.O.M. Alphonſo Gonzali de Meneſes á ſecreto cubiculo ſeren. princip. Ferdin. Hiſpaniarum Infanti fideliſſ. ac opt. adoleſcenti: cui patrius decor arma inter honeſtiſſ. controverſias induit: quiq; ſub verbo principis contubernali nudum pectus præbuit: acerbo fato interempto. Fi-

de, amore, veritateque sui desiderium hero facientibus. Bernardinus frater fratri mœrens misero P. Ora pro eo beate Jacobe.

Rogante sereniss. principe Ferdinando; Philippus Adler locum sepulturæ inter gentiles suos, non minus piè quám liberaliter gratis concessit. Anno á Christo incarnato 1526. M. Janu. d. 6. Morientem Musæ, Charites & Apollo planxerunt: Pullata curia condoluit. An. ætat. 28. mens. 5. die 23. una minus nocte. Vale Lector.

ALIUD.

D.O.M. Michaëli Velasco: Jo. Velasqui F. præfecto alæ Hispanorum, Philippi Hispaniarum principis, Caroli v. Cæs. Aug. F. maximo hospitiorum designatori. Qui Philippum ex Hispania in Belgicam & Germaniam secutus, heic obiit. Uxor dolens animo F.C.

ALIUD.

D.O.M. Dn. Alfonso de Larosa, Hispano D. Jacobi equiti, Torellæ Comiti: in rebus bellicis regio consiliario. Qui á Granaten. bello ann. 70. sub Ferdinando Hispaniæ rege, & Carolo v. Cæsare Aug. in Africa, Italia, ac regno præsertim Neapolitano duce magno Consalvo Ferrãdo, summa cum laude militavit: omnibusque muneribus iis in bellis functus est. Tandem Carol. v. Cæsarem huc secutus, an. 95. cúm vixisset, obiit. Dn. Ferdinandus Fr. patri opt. & clarissimo P.H.S.E.M. Martii 14. die.

ALIUD.

Antonius Baumgartner á Baumgarten Baro; mortalitatis suæ, acceptorumq; á D.O.M. beneficiorũ haud immemor; avitum hoc monumentum, pietatis & gratitudinis ergó, speq; futuræ resurrectionis, sibi posterisq; vivens reparari cur.

ALIUD.

Homo ortus tui rationem, ac termini, maximé tecum meditare. In Deo sit inprimis fixa spes omnisq; cogitatio. Cúm

Cúm enim certa sit mors; hora incerta, neq; cognita ulli: haud curæ minori sobrio & vigilanti vitæ æternæ tam jactura, quám lucrum esse debet. Joannes & Michaël á Stetten hæredibus ac posteris suis H.M.F.C.

ALIUD.

Wolfgango á Lindena, juveni opt. ex equestri ordine, in hac urbe, in comitiis Impp. exstincto: propter ipsius singularem fidem, ac modestiam, Dux Saxoniæ Joannes Elector F.C. Anno 1530.

IBIDEM IN FUGGERANO SACELLO.

D.O.M. Jacobus Fugger Augustanus, omnium sui ordinis ac nationis ornamentum, Maximil. & Caroli v. Impp. á consilio, divitiarum inusitatarum partu, liberalitate in omnes, vitę integritate, animi magnitudine, nulli secundus: cúm nemini conferendus vivens fuerit; post obitum inter mortales referendus non erat.

ALIUD.

D.O.M. Udalricus Fugger Augustanus, aurea mediocritate, munificis Georgio & Jacobo german. fratribus non posthabendus, œconomiæ atque omnis æquitatis, sacrorumq; rituum servantissimus, H.S.E. Vixit ann. 72. m. 3. Obiit 1510.

ALIUD.

Perp. secur. Hieronymo Fugger: Huld. sen. filio, generis splendore, corporis elegantia, animiq́ue dotibus insigni: Gloria veró equestri, cæterisq; virtutibus ornatissimo. cujus largas inter opes, absq; curis anxiisq; negotiis; jucundos inter amicos, in otio hilariter ac benignè vitam traducere studium fuit, M. H. patruelis, & patrueles filii ex testamento hæredes, gratitudinis ergo, agnato opt. E.B. M.F.C. Obiit 26. Novemb. an sal. 1538.

ALIUD.

D. Immort. S. Georgius Fugger Augustan. munifica

bene merendi virtute insignis. In utramque fortunam æquanimus, amicorum & patriæ studiosiss. bonorum omnium inprimis mœrore heîc situs est. S. T. T. I. Vixit an. 52. m. 3. d. 8. Obiit 1506.

ALIUD.

D.O.M. Raymundo Fugger, eximia integritate ac munificentia incomp. optimarum artium, atque rerum antiquarum amantissimo: studiosorum atq; egenorum patrono, & mecœnati unico, ingenti relicto sui desiderio, magnoq; omniũ luctu erepto, v. filii mœstiss. parenti pientiss. monumentum hoc P. E. P. Moritur an. sal. 1535. d. 3. m. Decemb. in ædibus, quas ex fundamento proprio ære construxit. Relato cadavere in hoc familiæ sepulchr.

JACOBO FUGGERO.

Invida mors aliis, uni tibi candida & æqua,
Et, quod miremur, vita salusq; fuit:
Vixisti multis, & vitæ munera obisti:
Migras cùm nondum vulnera fortis habes.

Vix. ann. 67. m. 2. Obiit M. D. XXV.

ALIUD.

Adolphus Occo, A. F. A. N. Medicus Reip. August. hoc sibi monum. V. P. ut in eo cum uxore, ac liberis, ad extremum usque judicii diem mox adfuturum, mortuus quiesceret. Tu viator, quisquis es, quieti locum nõ invideas. Vale. Abi.

Qui fuit æternæ Christus mihi caussa salutis,
Exuviis rursus vestiet ossa meis.
Ejus dum reditu mihi vita salusq; paratur,
Interea tumulo molliter ossa cubent.

ALIUD.

Pius & nobilis vir Joannes Retzerus á Tiemdorf: & altera conjunx ejus honestiss. Antonia Occina (prior enim Anna Zœblina p. m. Brauneggæ Tirolis sepulta est) incertam certi fati horam perpendentes, spe indubia gloriosæ resur-

sæ resurrectionis suæ, & omnium Christi fidelium; sibi suisq; H.M.P.P.1574.

SUB PHOENICE.

Hac perit ut vivat: se tamen anté cremat.

ALIUD.

Georgius Sturm te admonet, ut vitæ fragilitatem contempleris: & resurrectionem salutarem exspectes. Mors naturam destruit; tempus artem. Deus mortem non fecit: resurrectionem promisit. Christe fidem veram vivis largire, caroq; mortua voce tua læta resurgat.

ALIUD.

Christophoro Thenn. Salispurgensi, Scholarchæ Aug. fidelissimo veræ nobilitatis, doctrinæ, pietatisq; erga DEUM, omnesq; mortales immortali gloria excellenti: carissimo sanctiss. que memoriæ marito, sibimetipsi, omnibusq; suis; Regina Pfisterina, P.A. vidua mœrens, certa spe lætæ carnis nostræ resurrectionis, H.M.P.C.

ALIUD.

Joach. Jenisch minori, pietate erga DEUM, humanitate & mansuetudine erga cunctos, præcipué veró munifica in egenos liberalitate: viro præstantiss. vera in Christum fide, magnoq; cum desiderio, omnibus bonis corporalibus posthabitis, ad patriam cælestem evocato: Anna Balerina, vidua mœstiss. viro cariss. P.N. an. 1534. Kal. Sept. ☉. 1573. 8. Apr.

ALIUD.

D.T.V.O.M.S.

Joannes Baptista, Paulus, & Daniel Haintzelii, patricii Augustani, fratres germani, Joan. Hainzelii patricii Cos. que Augustani, & Catharinæ Welserinæ, filii superstites, humanæ sortis memores, spe glorioſæ resurrectionis, hoc monumentum sibi, parentibus. uxorib. & posteris F.C. M.D.L.

Una trium jungens animos concordia fratrum
Germanam coluit cum pietate fidem.
Corpora juncta trium nunc & lapis unus habeto:
Dum vocet atheria clangor ad astra tuba.

CHRISTO SACRUM.

Qui locus insigni vidit cum laude docentem
Betulium Xystum, nunc tegit ossa viri.
Ingenium, mores, doctrinam scripta per orbem
Cognita testantur: spiritus astra tenet.
Ille quidem luctum patriæ doctis q; bonis q;
Liquit: at haud similem liquit in urbe sui.

Vixit annos LIII. menses III. dies XXVI. gymnasio præfuit annos XVI. Obiit XIII. Cal. Jul. an. 1554.
Joannes Baptista, & Paulus Hainzelii fratres germani, præceptori bene merito F. C.

NOBILITATI LITTERATÆ S.

HIERONYMO WOLFIO OEtingensi.

Ex Pincernarum Svveinspaindenss. qui in primis autoribus Cæsarienſis cœnobii numerantur, legitima stirpe oriundo, in quo, & fratre Hainrico Norimb. Archiatro illa ipsa exstincta est: Socrati Suevico, Græcé Latineq; doctissimo: Christianæ Philosophiæ & Eloquentiæ principi: viro ad scribendum, dicendum, docendum nato: antiquæ virtutis, & fidei Germanicæ exemplari: præceptori optimo, & amico maximo: sex Hainzelii fratres germani, Jo. Baptistæ F. F. publicé debitũ, privata pietate, M. P P. Obiit An. C. N. CIↃ IↃ XXC. postr. non. Oct. H. I. P. M. Vixit cœlebs an. LXIV. D. LV. H. XIX. Annæo gymn. & bibl. præfuit ann. XXIII. multiplicium divini ingenii monumentorum Europam atq; Asiam hæredes reliquit.

ΤΟΙΣ ΠΑΙΣΙΝ ΕΙΠΕ ΧΡΗΣΙΜΑ:
ΜΕΓΑΛΗ ΧΑΡΙΣ ΑΥΤΩΙ.

A. S. Do-

A. S. DOMINICI.

Christo servatori sacrũ. Catharinæ nobili Turzonum familia: magnifici Raymundi Fugger. conjugi: pudicitia, pietate, vitæ sanctimonia, benignisq; in egenos largitionibus insigni: relicti v. filii M. H. matri dulciss. ac pientiss. amoris ergo PP. Ob. an. sal. 1535. d. ult. Febr.

IN COEMITERIO STEFFANINO.

Defuncti vita mentem DEUS *æthere servat:*
Corpus in hac vermes depopulantur humo.
Sola mihi est vivo Christus fiducia; cultus,
Quem precor, ut mea sit post quoq; fata salus.

ALIUD.

M. D. LXXVI.

Non quẽ huic marmori inciſum vides, at Jeſum Chriſtum, Hieroſolymis pro nobis peccatoribus crucifixum, Dei patris unigenitum, & D. Mariæ virginis filium, cum Spiritu ſancto, verum DEUM adorabis. Paulus Hainzelius, & Elizabetha Remin conjuges, ſibi monumentum hoc totiq; familiæ W. PP.

IN COEMITERIO SUBURBANO.

Monumentum Achillis Pyrmenii Gaſſari, Lindavienſis, Medicinarum doctoris. Qui cúm 27. ann. completé vixiſſet; in Chriſto obdormiens, Augſtburgi hoc loci ſepultus eſt. An. ſal. 1577. d. 4. m. Xbris. ſuisq; cõmune eſſe vult.

ALIUD.

Matthias Schenckius Conſtantinus, ſcholæ Annææ magiſter, ſibi & ſuis P. 1567.

SIBI. SUIS.

Ille ego qui Annæi tenui moderamina ludi
Schencius, hoc poſui languida membra toro:
Qua potui curſum pietate fideq; peregi:
Supprecor offenſis parcito Chriſte meis.

ALIUD.

Qua Christus forma surrexit, & astra petivit,
Hac rediens judex totius orbis erit.
Cuncta sepultorum tunc corpora viva resurgent:
Salvus & in cælo quisq; fidelis erit.

D.O.M. Tr. V. Salvatori, & Chounrado Peutingero J. C. patric. Aug. consil. Augg. erudit. virtute, rebusq. amic. bon. senecta felici, & ipsa morte CL. V. Qui vix. ann. 82. d. 12. Hoc in sepulcro majorum conditur. Margarita Velserina conjunx: & CL. Pius J. C Christophorus, Jo. Chrysostomus, & Carolus, fratres germani 1. filii, hæred. Peutingeri Jun. ex merito amoris, observant. & obsequii pii ergo M. PP. Ob. 5. Kal. Jan. An. 1547.

ALIUD.

Quisquis ades, qui morte cades, sta, respice, plora.
Sum, quod eris, modicum cineris. pro me precor ora.

ALIUD.

Venerab. dn. Conradus Brum, J. U. D. Augusten. & Ratisbon. Canon. sic disposuit.

Est hominis nasci primum: vixisse secundum:
Ultima post vitæ tempora mors sequitur.
Est fortunati bene nasci: vivere honesti
Et justi: felix est bene qui moritur.
Ergo ego qui natus longo quoq; tempore vixi,
Durum etiam mortis sustinui imperium,
Nec fortunatus nimiúm: studiosus honesti:
Defunctus tandem regna beata colo.
Conradus patrio dictus cognomine Brumus,
Cujus in hac tumba molliter ossa cubant.

Ob. Monaci, cúm OEniponte, quó pauló anté á Cæs. Maj. Christianæ reip. caussa vocatus erat, domum contenderet. An. Dn. 1563. á d. 20. Jun. 68. annor. jam senex. cujus anima, cum pié in Christo defunctis, in pace quiescit.

ALIUD.

ALIUD.

Jacobus Heinrichman U.J.D.Ecclesiæ Aug.Canon. atque in spiritualibus Vicarius generalis V.S.M.P. illo nimirum, quod se moriente futurum sit, aperté significans.

Condit post mortem pollinctor putre cadaver:
Id vermes rapiunt: captat amicus opes.
Atq; sacros census mox Curtisanus anhelans
Occupat: at Christus spes mea sola manet.

Dein leib wirft man hin in das grab/
So nemen die freunde hin alle hab:
Der Curtisan bald d'pfründ erwischt.
Allein bleibt mein hofnung zu Christ.

Alibi ad cranium, & duas tibias humani cadaveris.

Nunc quod es ipse fui: nunc ego sum quod eris.

AD PRÆDICATORES.

Leonhardus im Hof senator, Hieronymi Cos.F.& Veronica Rechlingerina Conradi Septemviri F. conjugeis & nobiles patric. Aug. conduntur heic, & posteros operiuntur. Quor.ille d. Kal.sext. 1557. hæc á d. 19. Septem.ann, 1579. ad superos evolavit.

AD MARIÆ IN CIRCUITU.

In des Römischen Königs hof was ich/
Vnd dient Fürsten/vnd andern inniglich/
Von meniglich ward ich hoch geehrt.
Was ist mir aber nun beschert?
Da lig ich in erdrichs molten/
Vnd hof ich hab vergolten
Mein schuld durch den bittern tode.
Mein seel befehl ich hiemit Gott.

Obiit anno M. D. V.

PALATINA SEU HEIDELBERGENSIA.

IN HEIDELBERGAM JUL. CÆS. SCALIGER.

NObilis Imperio Franconia dextra potenti
Belligero nulli Marte secunda viget:
Cùm victis ab se pepulit vectigal Alanis,
Libera Germano nomine Franca fuit.
Nec contenta suis angustis finibus (illi
Qua par virtuti terra futura foret?)
Egreditur: superat. Germani ô pectus honoris!
Victoris victos nomina ferre sat est.
Non aliunde venis: Francúsve est Hectoris ullus.
Quid petis á victo stemmata? tota tua es.

Ducum Palatinorum ad Rhenum monumenta.

Robertus Bavariæ Dux, Comes Rheni Palatinus, Romanorum Rex, justus, pacis & religionis amator, dignus Deo visus, qui pro Justitia pateretur. hujus sacræ ædis & collegii institutor, hîc cum castissima conjuge Elisabetha, Norici Montis Burggravia quiescit. vita functus anno Christi 1410. Cal. Jun. xv.

Anno Domini 1449. die Hippolyti obiit Illustriss. Princeps Dominus Ludovicus junior, Comes Pal. Rhe. sacri Imperii Romani Archidapifer, Princeps Elector, Bavariæ Dux, cujus anima requiescat in pace.

Germania meritó luget funus Illustrissimi Domini Lodoici primi Comitis Palatini Rheni, Ducis Bavariæ, Sacri Rom. Imperii Archidapiferi, Principis Electoris, qui propter multas discordias tumultusq; per se cúm summa prudentia, tum sumtu sedatos Pacifici nomen meruit.

Obiit

Obiit decimosexto die Martii, Anno Domini cIↃ IↃ XLIV. ætatis suæ LXVI. cui Deus misereatur in æternum.

Illustrissimus Dominus Philippus, Comes Palatinus Rheni, Bavariæ Dux, ac Sacri Romani Imperii Archidapifer, & princeps Elector, hîc quiescens, obiit die vicesimooctavo mensis Februarii, Anno Christi 1508. cujus anima requiescat in sancta pace.

Illustrissimo Principi ac Domino Domino Friderico secundo, Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ, sacri Romani Imperii Archidapifero, Principi Electori, qui obiit Alzeæ Anno 1556. 26. Feb. ætatis 74.

Serenissimæ Heroinæ, regiaq; stirpe prognatæ, Dominæ Dorotheæ Palatinæ Rheni, Duci Bavariæ, Regnorum Daniæ, Sueciæ, ac Norvegiæ Principi ac heredi: &c. Electoris contorali dilectissimæ. quæ obiit &c.

Fridericus tertius, Dei gratia Comes Palatinus Rheni, sacri Romani Imperii Archidapifer, ac Princeps Elector, Dux Bavariæ, &c. agnatis & consanguineis charissimis optimeq; meritis, hoc monumentum gratitudinis ergo posuit. Anno 1562.

Anno 1501. 25. Febr. obiit Illustris Princeps Domina Margareta Dei gratia Comes Palatina Rheni, interioris superiorisq; Bavariæ Dux. cujus anima in sancta pace requiescat.

Cætera qui circum lustras monumenta viator,
Hæc quoq; non longa est, perlege pauca, mora.
Si Ducis audita est forsan tibi fama Philippi,
Clara Palatina quem tulit aula domus.
Qui modò Pannonicam defendit ab hoste Viennam,
Et solvit trepidos obsidione viros:
Tunc cùm Threicii vastarent omnia Turcæ,
Et tremerent subito Norica regna metu.
Mox etiam implevit magnum virtutibus orbem,
Utilis hinc armis, utilis inde toga.

Illius hac tegitur corpus venerabile terra,
Hic animam, hic vitam reddidit ille Deo.
Quod te si pietas, si quid movet inclyta virtus,
Junctaq; cum summa nobilitate fides:
Huic opta ut cineres placida cum pace quiescant,
Condita nec tellus durior ossa premat.
Nam pius ad cæli sublatus spiritus arces,
Cum Christo vivit tempus in omne suo.

Decessit IV. non. Julii, Anno Domini M. D. XLVIII. Ætatis suæ XLIII. cujus P.F. memoriæ Dux Otto-Heinricus Comes Palatinus frater amantissimus, M.H.F. C. An. Domini M. D. L.

Illustrissimo Principi ac Domino Domino Wolfgango Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ, &c. Philippi Electoris filio, inter eos qui ad justam ætatem pervenerunt natu minimo, Principi bonitate ingenii, honesta frugalitate, avitisque moribus servandis præstanti, & sorte sua mediocri per omnem vitam contento, Illustriss. Princeps Frid. tertius Elector hoc monumentum consanguineo charissimo fieri curavit.

Natus est anno M. IV C. XCIV. *ult. Octob. exemptus rebus humanis 2. April. Anno* M. D. LVIII.

Illustrissimorum Principum, Equitum auratorũ, Rudolphi ac Ludovici Comitum Palatinorum, Bavariæ Ducum, ac S. Rom. Imperii Archidapiferorum & Electorum lamentabilia deposita, altare quod cernis recondita tenet, lubrica sors rarum favorem brevitate glotiæ ac vitæ compensavit: & hunc tamen ex tantis fortunis rudem, etti sanctum, tumulum concessit. Quorum prior tota patria illachrymante acerbo funere raptus est anno Domini 1294. die 2. Febr. Alter anno 1319. die XI. Augusti.

Fridericus Bavariæ Dux, Comes Rheni Palatinus, S. R. I. Elector, salus patriæ, prædonum fulmen, tres illustres hostes vicit, principatum auxit, & pié é vivis excessit. Anno Christi

no Christi 1476. prid. Id. Decemb. Fuit ejus vitæ socia virtus; gloria mortis comes.

Anno Domini M. CCCC. LXXIV. ipso die Galli obiit venerabilis & Nobilis Dominus Fridericus, Illustrissimi Principis & Domini Domini Friderici Comitis Palat. Rheni, Ducis Bavariæ, S. R. Imperii Archidapiferi, ac Principis Electoris filius legitimus, Ecclesiarumq; Wormatiensis & Spirensis Canonicus. cujus anima requiescat in pace.

DIVO

FRIDERICO III. SAC. ROM. IMP. PRINCIPI SEPTEMV. ARCHIDAP. COM. PAL. ad Rhen. Bav. Duci. modis omnibus, sanguine, familia, majestate vultus, dignitate, autoritate, virtute, pietate, rebus pro Patria, pro Ecclesia, pro CHRISTO præclaré & feliciter gestis: eoq; magni nominis, & egregiæ famæ per totam Europam, atque adeó per totum orbem Christianum celebritate veré ILLUSTRISSIMO: viro sanctissimo, humanissimo PRINCIPI, Heroi fortissimo, Patri Patriæ, piorum parenti, peregrinorum hospiti, fidelium pauperum nutritio, Christianarum Ecclesiarũ protectori, instauratori: orthodoxæ doctrinæ propugnatori constantissimo, hæreticæ autem hosti capitalissimo: literatorum omnium, atq; inprimis piorum doctorum Mæcenati amantissimo: GLORIÆ ad summum Germaniæ, & AMORI MUNDI, CHRISTUM amantis. Qui pro CHRISTO nec sibi, nec suis bonis, fortunis, liberis pepercit. Qui post multos pro vera Religione exantlatos labores, multas & multorum devoratas injurias: qui denique postquam charissimum Filium JOHANNEM-CASIMIRUM, PRINCIPEM fortissimum, ac prudentissimum, paternæq; pietatis studiosissimum sectatorem, Defensorem indefessum, é GALLIIS cum incolumi exercitu, pace piis Ecclesiis impetrata, secundó reversum summo cũ animi gaudio, publicaque gratulatione complexus XXV. Augusti excepisset: resq; pauló póst in BELGIO optimo loco esse, atque ad Christianam pacem spectare intelle-

xisset, magna perfusus lætitia, ad cælum conversus, dixit: NUNC DIMITTIS SERVUM TUUM DOMINE (ô verũ Domini servum!) SECUNDUM VERBUM TUUM IN PACE: Ac non ita multó póst, superatis jam hostibus omnibus, oculis veró in unum JESUM CHRISTUM intentis, in eo, annum tum agens LXII. quietissimé obdormivit XXVI. Octobris, sub horam quartam pomeridianam, Anni M. D. LXXVI.

H. ZANCHIUS: quod habuit suæ suũ in DOMINUM, optimé de se meritum, semperq; clementissimum PRINCIPEM observantiæ pietatis monumentum; hoc cum luctu posuit & lacrymis. Novemb. x. ejusdem anni.

PRECATUR AUTEM
DOMINO cum primis LUDOVICO Primogenito, tam magni PRINCIPIS Filio, novo ELECTORI, PRINCIPI ILLUSTRISSIMO, DOMINO suo clementissimo, eandẽ, quam & optimus PARENS accepit á CHRISTO, gratiam, pacem, & felicitatem sempiternam.

CONSTANTER ET SINCERE.

INGENUO LABORI ET
SOLERTIÆ
D. D.

Conlegium hocce Casimirianum, religionis
orthodoxæ, doctrinæ exquisitæ, facundiæ singularis artiumq;
liberalium
fontem & seminarium,
posteris principibus æmulationis
exemplum,
suiq; studii in Academicos, munificentiæ
in studiosos auctuarii conlati in
egenos testimonium,
ad æternitatem Palatini nominis á fundamento
exstrui fecit, absolvitq; Princeps providentissimus,
eruditorumq; amantissimus

JOHAN-

JOHANNES-CASIMIRUS
Palatinus ad Rhenum Comes, Dux Bojorum,
FRIDERICI IV.
tutor, ac Reipub. administrator,
Anno Christi cIↃ. IↃ. xci.

EXULUM SUSCEPTORI
S.
HULDRICO FUGGERO
Raimundi F. Georg. N. Jacobi pron. Kirchbergæ
& Weissenhorni Domino,
Qui in Paulli III. P.R. cubiculo veritatis lumen ex
familia primus & solus agnovit: vi-
tamq; privatam
amplis. dignitatib. anteferre
didicit.
Dum veterum scriptis liberali sumptu comparandis &
evulgandis intentus á patrimonii admin. pro-
fusionis prætextu dejicitur:
Apud Fridericum III. Electorem Palat. fortunam
constantia & æquanim. superavit.
Suis interea restitutus, fraternis quinetiam bonis au-
ctior, eundem in re lauta, quem in afflicta vul-
tum animumq; retinuit.
Annua pauperib. quingenta legavit: sex liter. studio-
sis stipendia constituit.
Bibliothecam pii exsilii unicam comitem, Pala-
tinatui moriens donavit.
cIↃ. IↃ. xxciv.
Obiit xviii. Kal. Julii,
ætatis LIIX.
hæredes & legatarii gratæ memoriæ
ergó
consanguineo & hospiti B.M.
hocce mon. P.

EXERCITUUM DUCTORI
S.
PETRUS BEUTRICHIUS
MONBELGARDENSIS
Cùm gentis suæ hon. tenuitatem virt. & erud.
fama illustrasset:
Prud. & integritatis laudem ex variis lega-
tionibus retulisset:
Francor. Regem liberas voces ferre ac
perferre docuisset:
Helvetium militem industriè con-
scripsisset:
Gallorum cohortem per hostes infestos
Bonnam perduxisset:
apertis occultisq; inimicorum ma-
chinis invictus,
Sub ipsa Navarreæ expedit.
contra
Impiæ conjurationis Tyrannos susceptæ
initia
á Termax. Imp. lectus emigravit.
CIↃ. IↃ. XXCVIII.
prid. eid. Febr. ætat. an. XLII.
JOANNES CASIMIRUS C. ET
ADMIN. PAL. BAVARIÆ
Dux
Consiliario, Legato, Tribunoq;
meritiss. P.

ALIUD.

Egregiam virtutem animi dextræq; valentis
Dum mecum tacitus cogito Beuteriche;
Hic Petrus, exclamo, forte Mileſius ille
Pectore, Mopſopius vel Thraſybulus erat.
Nî Thraſybulus eras, Thraſybuli cur mihi vivax
Applaudit celebri ſpiritus é tumulo?

IN

IN FRANCISCANORUM,
nunc erasa.

Tota pulcra es beata virgo Maria: & macula originalis peccati non est in te. sicut diffinivit sancta synodus Basiliensis, legitimé congregata. Anno 1444.

IN ADITU AUDITORII THEOLOGICI.

Hans von Laudebach ist mein nam/
Die ersten bücher druckt ich zu Rom.
Bitt vor mein seel/Gott gibt dir lon.
Starb 1514. auf sanct Steffan.

AD D. PETRUM.
DEO IMM. S.

Et virtuti ac memoriæ Olympiæ Moratæ Fulvii Morati Mantuani, viri doctiss. filiæ, Andreæ Grunthleri Medici conjugis lectissimæ: fœminæ, cujus ingenium, ac singularis utriusque linguæ cognitio; in moribus autem probitas, summumq; pietatis studium, supra communem modum semper existimata sunt. Quod de ejus vita hominum judicium, beata mors, sanctissimé ac pacatissimé ab ea obita, divino quoq; cõfirmavit testimonio. Obiit mutato solo á salute D LV. supra millesimũ, suæ ætatis XXIX. hîc cum marito, & Æmilio fratre sepulta. Guilielmus Rascalonius M.D.B.B.M.M.PP.

IBIDEM.
D.O.M. TRINO ET UNI S.

ANDREÆ Grunthlero Suevisordiano, magnæ peritiæ viro, Medico & Philosopho; qui simulatq; schola, in qua vix dum ab exilio profiteri artem cœperat, pestis metu hîc disiparetur, solvi á corpore exoptavit, proq; voto solutus est, non tædio solo amissæ incomparabilis exempli sociæ, ac conjugis Minervæ suæ. Erat enim in omni fortuna homo modestissimus; sed ut ex densa hac rerum cælestiũ ignoratione in lucem traductus, aberrationibus

Deum non amplius offenderet: hîc in ſpem reſurrectionis quieſcenti, ſodalis ſodali, medicus medico, Gulielmus Raſcalonius poſuit.

IBIDEM.

Hîc quieſcit corpus clariſſimi & doctiſſimi viri de Eccleſia & litteris præclaré meriti DN. Victorini Strigelii Kaufbeurenſis, pié defuncti, die 26. Junii, Anno Chriſti M.D.LXIX.

PSAL. XVII.

Ego in juſtitia videbo faciem tuam, ſatiabor cúm evigilavero ad ſimilitudinem tuam.

GULIELMUS XYLANDER AUGUSTANUS alloquitur uxorem.

Quo ſaxum ſtruis hoc nobis fidiſſima conjunx?
Quo mea defuncti verſibus oſſa notas?
Æterna ipſe mihi vivus monumenta paravi,
Præveniens fati fila ſecanda mei.
Sed tua te, video, pietas non ficta, fideſq;
Exſtruere hoc nobis certa coëgit opus.
En quó progreditur? ſuperat mala tempora fati,
Scilicet & verus funera neſcit amor.

Obiit x. Febr. ann. M.D.LXXVI.
Anno ætat. XLVI.

Extant ibidem indicia veteris epitaphii Rodolphi Agricolæ, quod integrum tale fuiſſe perhibetur.

HERMOLAUS BARBARUS PATRIARCHA Venetus in memoriam Rodolphi Agricolæ, ſummi viri.

Invida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Friſii ſpemq; decusq; ſoli.
Scilicet hoc uno meruit Germania laudis
Quidquid habet Latium, Gracia quicquid habet.

IBI-

IBIDEM.

Siſte gradum quisquis transis hâc forte viator,
Ut diſcas mortis triſtia fata meæ.

Ego JOANNES RANZOVIUS, infelix puer, Henricî Ranzovii, Regis Daniæ, tam in Ducatu Holſatiæ & Sleſvvicenſi, quám Ditmarienſi Gubernatoris filius, in hanc urbem literarum gratia cum Ducibus Holſatiæ, D. Friderico & Philippo miſſus, peſte correptus, & paulò póſt in vera invocatione Dei, Anno 1582. Octob. 17. mortuus, ac ſine ceremoniis veſpere, eodem die hîc ſepulturæ datus, & ſic humana ope deſtitutus, á Deo autem ex hac mortali vita, ad perpetuam immortalitatem evocatus, in patriam cœleſtem locatus, & á parente triſtiſſimo hoc monumento donatus, reſurrectionem mortuorum, & reparationem omnium rerum exſpecto.

Durum eſt extra patriam mori.

Hîc ego Ranzoa prognatus ſtirpe Joannes,
Mortuus humana conditione cubo.
Cimbria me genuit, ſed non poſt fata recepit,
Sicq; peregrina ſum tumulatus humo.
Hanc me pertraxit ſtudiorum fervor ad urbem,
Principibusq; comes, nobilibusq; fui.
His licuit cunctis ad patria rura reverti,
Unum me reducem noluit eſſe Deus.
Sed bene mens etenim cœleſti ſede recepta
Viſitat æterna docta Lycea ſchola.
Corpus humus tegit exanimum, dum ſuſcitet illud,
Extremi Chriſtus tempore judicii.

RESURRECTIONI S.

Mariæ Agricolæ Naumburgenſi, inter mulieres ſua ætate virtutibus nulli ſecundæ, artibus omnium conſenſu primariæ. quæ animam quoque agens, ſcientia divina, fiduciaq; ſummis Theologis, mœſtiſſ. marito, cunctis adſiſtentibus admirationi ſolatioq; ſummo fuit, Theodorus Semmelbeccerus Palat. Medicus, conjugi deſideratiſſ.

An. Sal. 1588. 3. Eid. Sept. ætat. 38. conjugi præmissæ, exoptans subsequi, hocce M.P.

EPITAPHIUM LECTISS. FEMINÆ MARIÆ COVETÆ PARISIENSI, CONJUGI D. Danielis Tossani, positum á familia cum lacrymis.

Si virtus dira posset fera spicula mortis
Effugere, & mœstas funeris exsequias;
Musica si dulcis, morum si mira venustas,
Et pietas casta & juncta pudicitiæ:
Non hoc tu mater tumulo contecta fuisses,
Conjuge deserto, pignoribusq; tuis.
Sed quum te morum vitæq; exemplar haberent,
Exemplar sanctæ nunc quoq; mortis habent.

Obiit Anno C. 1587. Martii 28. æt. 43.
Vixit cum marito 22. an.

ALIUD.

Vir doctus egregié & pius vir
Amabili Fridericus ingenio Widebramus
Docendo qui navavit operam Ecclesiis
Diu & scholis, defensaq; tulit carcerem
Ob vera, & exilium, hîc quiescit.

An. 85. die 1. Maji.

MEMORIÆ ET HONORI ADELHEIDÆ CHRISTOPHORÆ HELMIÆ PITHOPOEÆ, MATRONÆ LECTISSIMÆ, UXORIS SUAVISSIMÆ, LAMBERTUS maritus; matris carissimæ, CHRISTOPHORUS, DANIEL & SARA, liberi, cum lacrymis H.M.P.C.

Epigramma saxo sepulcrali inseulptum.

Conditur sub hoc saxo corpus Adelheidę Christophoræ Helmiæ Pithopœæ, Daventrienſis, uxoris Lamberti Pithopœi in Academia Heidelb. Professoris, quæ nō obiit in patria, sed abiit in patriam die octava Septembris, anno Christi M. D. LXXXVI. Ætatis LI. Conjugii XXVI.

Alle

Alle hernach.

In picturam bonæ matrisfamiliâs, imaginem ejusdem Adelheidæ, uxoris mihi, dum fata benigna sinebant, carissimæ.

Suspectans calum figo in testudine plantas,
Dextra tenet claves, os mihi læva premit.

Obiit Heidelbergæ, in meo & trium liberorum superstitũ complexu, octava die Septembris, semisse horæ post septimam vespertinam, anno Christi 1586. ibid. largo per mœstas imbre fluente genas facieb. pridie Nonas Octob. anno eodem.

NON PROCUL A SECKENHAIM PAGO
ad Nicrum in columna lapidea pyramidali.

Als man zalt nach Gottes geburt M. CCCC. LXII. jar / auf sanct Paulus gedächtnistag / sind auf diser wallstat durch Hertzog Friderich Pfaltzgrave bey Rhein / ꝛc. vnd Churfürsten nider geworffen worden Herr Jörg Bischof zu Metz / Marggrave Karl von Baden / vnd Grave Vlrich von Wirtemberg / mit einer mercklichen zal jhrer diener / Graven / Herren vnd knecht. Vnd denselben / die in solchem geschefte tod blieben sind / wolle Gott barmhertzig seyn / vnd auf denselben / ꝛc.

NEAPOLI NEMETUM.

CONditum hîc est corpus Zachariæ Ursini Vratislaviensis, Theologi sinceri, propulsatoris hæresium de persona & cœna Christi, voce & stylo, acerrimi, philosophi acuti, viri prudentis, moderatoris juventutis severi, evocati ex hac vita anno Domini 1583. ætatis suæ 49. die 6. Martii.

Memoriæ & honori collegæ in Christo carissimi, & optimé meriti,
Neapolitana Nemetum Schola, gratitudinis ergó P.C.

WORMATIAE.

AD CURIAM.

VAngiones quondam cum Cæsare conflixarunt,
Jam tibi perpetua Cæsar pietate cohærent.

AMBERGAE.

IN TEMPLO MONASTERII.

Wolfgangus Haller á Raitenbuech & Amerthal, Divis Carolo Quinto, Ferdinando & Maximiliano secundo RRR. Imppp. nec non Dn. Friderico III & Ludovico patri & filio Comitibus Palatinis Rheni Electoribus, &c. & Dn. Joanni Casimiro Comiti Palatino Rheni, &c. tutori & administratori Palatinatus Electoralis á secretis & consiliis. positis hîc carnis & in ea hærentis peccati mortalibus exuviis,

Expecto resurrectionem mortuorum, & vitam in cælo sempiternam per Christum Jesum Dominum nostrum, qui constitutus est á Deo judex vivorum & mortuorum. Quo cum ut post mortem æternúm beatus viverem, vixi semper ut moriturus. An. Christi M. D. XC I.

VRATISLAVIANA.

IN ELISABETHÆ.

ANNÆ, ET ANNÆ-MARIÆ
filiabus dulciss.

VOs etiam ignotas mundo, sed sanguine mundas
Christi, commendat cura paterna piis.

Imperio

Imperio mortis ſuperato, vivit Chriſto,
Et capite æternæ gaudia lætitiæ.
Me quoq; qui ſenio propior properantibus ad vos
Curſibus advento, ſuaviolo excipite.
Vivemus, ſpes hæc jubet hinc discedere lætos.
Non moritur maſſæ portio Chriſte tuæ.

JOHAN. CRATO VRATIS. IMPP. D. FERDINANDI I. ET D. MAXIMILIANI II. AUGG. CÆSS. P. F. MEDICUS PHYSIC. D. MOESTISS. P. AN. M. D. LXVII.

Anno Domini M. D. XXIX. nocte prox. ſequ. diem Divi Matthiæ hora circiter II.

Sculpebat Bonavent. Rœsler, Ampliſſ. Sen. Vratis. á manibus ſcriba: litoq; auro, inductis coloribus, & parergis cæteris pictis fictisque exornabat. Anno M. D. LVI. anté pauló quám é vita discederet.

ALIUD.

D. O. M. S.

MIRABILIS IN ALTIS DOMINUS.

Collapſa eſt turris Siloë madefacta cruore,
Pyramide hac noſtra nemo cadente perit.
Nam juſſu Domini exceptam (cui gloria ſoli)
Angelica molem depoſuêre manus.

Ambroſii Moibani D.

IBIDEM.

Anno 1529. am abend Matthiæ Apoſtoli, vmb s zaigers zwey der gantzen vhr zu nacht/ iſt das bleyene dach des Kirchthurms allhie ſamt dem gehültz/knopf/ſpill vnd creutz biß an den vmbgang oder krantz/ in alles 119. elen hoch/durch vngeſtümigkeit des wetters abgefallen/durch welchen fall vnd groſſe laſt doch niemanden einiger ſchade oder gefahr zugeſtanden. Gott ſey lob vnd danck für ſeine wunderthätige barmhertzigkeit in ewigkeit/Amen.

ALIUD.

Clariſſ Dn. Johannes Metzeler, U. J. D. Conſularis ordinis in hac Rep. ſenior collega, vir prudens, fidelis, & in utriusq; orationis facultate, Latinæ ſcilicet & Græcæ, celebris & doctiſſ. Obiit anno Domini milleſimo quingenteſimo triceſimo octavo, ſecunda Octobris.

ALIUD.

Chriſtophoro Craft, civi honeſto, qui ſupra LXXVII. annum in hac Repub. vixit: & Annæ Bidermanæ, parentibus chariſſ. P.E.

Hîc mihi perpetua chari pietate parentes
Chriſtophorus genitor, mater & Anna, jacent.
Ad tumulum quorum meriti memor, hoc loco ſaxum.
Chriſto animas junctas lætor adeſſe Deo.
Magna dies Domini renovati corporis uſum,
Et dabit his vitæ gaudia parta FIDE.

Johannes Crato art. Med. D. F. P. C.
Anno M. D. LVII.

MAGDALENÆ KROMAYRINÆ, UXORIS Bartholomæi Metelli, Epiſcopi Vratislavienſis Cancellarii.

Magdalis hîc ſomnum conjux tua carpo, Metelle,
Corpore, mens ſupera vivit in arce Deo.
Nos ibi læta dies longum conjunget in ævum,
Et ſine triſtitia gaudia plena dabit,
Tempora cùm mundi cælo nos ſumma reducent,
O deſiderio tempora tarda meo!
Interea vidui dum perfers tædia lecti,
Ut mihi cura tui, ſit tibi cura mei.

Chriſtus flagellatus hominem alloquitur.

O miſer, ô vermis, quæ geſtem inſignia cerne,
De ſpinis factum eſt en diadema mihi.
Et latro liber abit, cùm me ſententia damnet,
Pro multis unus victima cædor ego.

Diſti

Discе meo exemplo, dulcis genitricis acerbo
Luctu, cur patiar discito tanta, meа.

σωτηρωσις.

In cruce vitа perit: imagе quod mirabere dicam,
Mors moritur, mortem mortua vitа vorat.

In horologio 1517.

Aspice quám celeri cursu levis effugit hora,
Lubrica nec vitа tempora perde tuа.
Diffugiunt anni celeres, letumq́, minantur.
Mortuus ut possis vivere, vive bene.

Maria ulnis tenens Christum mortuum.

Autor eras vitа, nunc es lacrymabile funus;
Rursus & ex illo funere vitа venit.

In ædibus D. Eustathii á Knobelsdorf, Decani Vratisl. viri & poëtæ clariss.

Dum videt Actæon Dryades, sine veste Dianam,
Fit fera; vultus ei qui fuit antе, perit,
Supplicium q́, luit laceris miserabile membris,
Objectus canibus prædа cruentа suis.
Ergo puellares quantum potes effuge vultus,
Nе sis Tartarei flebilis escа canis.

Actæon laceratur.

Actæon ego sum, miser ingeminare volebat,
At celeres trepidum corripuere canes.
Pœnituit vidisse Deas, vidisse Dianam;
Sera sed hæc misero tum metanœa fuit.
Nunc geme, nunc ora, lacrymis tuа crimina dele.
Post cineres nihil est flere, dolere, queri.

In fastigio ædium.

Nil habet incertus nisi certа pericula mundus.
Fide Deo: Christi munere tutus eris.

Vel sic.

Una salus puerascenti nil fidere mundo,
Æthereum casta quærere mente DEUM.

In crucifixum.

Ecce redemptorem, qui debita solvit Adami,
In cruce dum pro te mite pependit onus.
Utq; pater vetita decerpsit ab arbore mortem;
Sic vitam é ligno Christus & ipse dedit.

Nicolaus Weidner D.D.H.E.C.C.L.
Can. adfixit. Anno 1540.

IN SAXO TUMULI.

LXVI. ætatis annum agens obiit Saurus. Dimidium autem, vel eo etiam minus, an vixerit, mortuus etiam-num addubitat. M. D. XXXV. die XXI. mens. Jan.

Christus passus alloquitur hominem.

Adspice mortalis, fuit unquam passio talis?
Peccatum sperne, pro quo mea vulnera cerne.
Adspice qui transis, quia tu mihi causa doloris.

IN SCHOLA NOVA ELISABETHANA.

OPT. & graviss. quisq; confitetur se multa ignorare, & multa sibi etiam esse discenda.

Tum judicant homines, ubi jam pœnitet.

Frangas citiús quám corrigas, quæ in pravum indu-ruerunt.

IBIDEM.

DISCIPLINÆ SCHOLASTICÆ LE-GES, MARMORI INSCULPTÆ.

Lex est, cui omnes homines decet obedire.
MARTIAN. L. II. FF. DE LL.

LEX I.

In primis adolescentes pietatis sint studiosi, certoq; sci-ant,

ant, sine divini numinis invocatione nihil se in studiis diligentia sua promoturos.

II.

Cæterúm ante præceptorum adventum discipuli hora constituta præstó adsint omnes. tarditas pro dimidia absentia habeatur.

III.

Venientes præceptores reverenter excipiant, abeuntes honore prosequantur.

IV.

Præsentibus illis consilescant omnes: absentibus ne perstrepant.

V.

Arma scholastica cuncti præparata semper in promptu habeant, ut dictata facilé & celeriter excipiant.

VI.

Inter prælegendum nemo garriat, sed sit attentus lectioni.

VII.

Lectiones veró suas singuli assidué meditentur.

VIII.

Semper & ubiq; loquantur Latiné, idq; operam dent, ut & emendaté & sine vitio loqui discant.

IX.

E schola sine concessu præceptoris neque exeat quisquam, neque absit.

X.

Dimissi veró simul templum ingrediantur omnes: atque ibi nemo rideat: nemo temere circumspectet: aut aliis incompositis gestibus conspiciatur: quin potius assistentes libro cantent attenté: minores quieté & tacité expectent: nec quisquam inde exeat, nisi impetrata venia ab aliquo præceptore: in quorum numero & cantor & aliqui hypodidascali & synergi sunt habendi: hymno veró finito domum se quisq; placidé recipiat.

XI.

Per plateas, forum, vicos aut urbis compita nemo clamabundus aut citra necessitatem oberret, sursúmve ac deorsum cursitet.

XII.

Obviis ſacerdotibus, magiſtratibus, ſenatoribus, civibus, cæterisq; viris gravibus, matronis primariis, item & virginibus, honorem debitum exhibeant.

XIII.

Nunquam mentiantur: nemini maledicant; jurgia & ſimultates vitent.

XIV.

Quod ſi quæ lis inter pueros oriatur, ad præceptores referant protinus, ne adoleſcat.

XV.

Impudica & obſcœna nemo neq; dicat, neque faciat.

XVI.

In fluminibus, ſtagnis, lacubus (quia periculoſum eſt) nemo lavaturus immergatur.

XVII.

Pexi, loti, compti ſint, cúm domo egrediuntur, veſtituq; non laſcivo quidem, ſed decenti ac honeſto ornati.

XIIX.

Epiſtolas & ſtyli exercitationes non oſcitanter aut perfunctorié, ſed accurato ſtudio & diligentia curent: deque eo in omnes partes ſoliciti ſint, ut quæ ſcribunt á vernaculæ linguæ barbarie remota ſint, & ad Ciceronis, Terentii &c. perſpicuitatem, copiam, elegantiam quam proximé accedant, ſintque præceptorum iudicio & comprobatione non indigna. Negligenter veró ſcripta pro non ſcriptis habeant.

XIX.

In ſumma, honeſtatem & ſtudia cuncti juvenes ſcholæ noſtræ, idque de mandato ampliſſ. Senatus, diligenter colant: ut amabiles ſint & gratioſi apud omnes, morum commoditate perficiant: ne corripiantur meritó, caveant: & virtutis ac pietatis laudem ut emereantur, ſtrenuè ſeduloq; contendant.

LEGUM FUSIOR EXPLANATIO.

Quæ ad pietatem. CAP. I.

Decalogi totius præcepta frequenter ac religioſé evol-

vunto. 2. Divino nomine ne abutuntor. 3. Ne juranto. 4. Ne mentiuntor. 5. Ne maledicunto.

In templo. CAP. II.

Dominicis festisq; diebus maturé adsunto. 2. Lectionem Evangelii & Catecheseos ne negligunto. 3. Templum ingrediēdo & exeundo strepitus vitanto. 4. Standoq & sedendo modesti sunto. 5. Oranto, non voranto. 6. Concionem sacram attenti auscultanto.

In Præceptores. CAP. III.

Eos officiosé observanto. 2. Docentes auscultanto. 3. Nulli eorum refragantor, aut responsanto. 4. Jussa diligenter exequuntor. 5. Illorum neminem irridento. 6. Didactron fideliter numeranto. 7. Et quidquid contra Decalogi quartum præceptum esse noverint, nullo tempore admittunto.

Decorum in schola. CAP. IV.

Inter prælegendum non aliud agunto. 2. Murmura, strepitus, confabulationes, soporem, vitanto. 3. Exposituri aut recitaturi, attenté, articulaté, distinctè, verecundè loquuntor. 4. Evocato aut absente Præceptore, in officio manento. 5. In ædificiis scholæ nihil frangunto, neque conscindunto. 6. Fracta, rupta, vitiata, reus suis sumptibus reparato, pœnasq; culpæ & levitatis dato. 7. Parietes nec carbonibus, nec miniato lapide pingunto, aut modo alio quovis contaminanto. 8. Libros resque alias suas diligenter custodiunto, alienas veró minimé avertunto.

Extra scholam. CAP. V.

Virtutes & mores boni in plateis debito cum decore ubiq; elucento. 2. Dicta, audita & á præceptoribus tradita domi sollicité repetunto. 3. Epistolas & alia non perfunctoriè componunto.

In funere. CAP. VI.

Quo ordine in classibus sunt collocati, foris procedunto. 2. Vestitu, gestu, incessu, concentu, modestiam & verecundiam summâ diligentiâ conservanto.

Decurionum officia. CAP. VII.

Pueros ſuæ decuriæ diligenter audiunto. 2. Segnes & confabulantes notanto & ad præceptores deferunto, idq; fideliter exſequuntor.

Cuſtodum officia. CAP. VIII.

Immodeſtos in ſcholis, templo, funerum curatione attenté obſervanto. 2. Ferulas præceptoribus præbento. 3. Ut ordine & modeſté dimiſſi é ſchola templum ingrediantur curanto. 4. In comitatu funerum evagantes in ordinem cogunto.

Pædagogorum officia. CAP. IX.

Ut pueros ſuæ fidei commiſſos fideliter inſtituant, diligenter ipſi diſcunto. 2. Curam eorum omnibus locis agunto. 3. Pietatem, artes, moresq; bonos docento, in iisque præſtandis ipſi præeunto. 4. Domi ſe, nocte præcipué (cúm intempeſtiva abſentia malé perpetrati facinoris ſuſpicione raró careat) continento. 5. A tabernis meritoriis, œnopoliis, orcheſtris, luſtrisq; ferarum abſtinento. 6. Seduli in officio ſunto. 7. Ne divagantor, ne deambulanto. 8. Cum familia ne rixantor, ne tumultus excitanto. 9. Ne mandatis heri refragantor. 10. Ne longiús quám permiſſum eſt evagantor. 11. Domo, niſi de voluntate heri, ne abſunto.

Peregrinorum officia. CAP. X.

Negotium ſuum tranquillé agunto. 2. In inſtituendi ratione judicanda nihil ſibi aſſumunto. 3. Hoſpites ſe, non cives, eſſe cogitanto. 4. Liberalitate ſenatus ne abutuntor. 5. Mercedem præceptoribus debitam ſine mora & detrimento curanto. 6. Diſceſſuri memorem gratumq; animum cum privatim, tum in ſcholis publicé teſtatum omnibus faciunto.

Diſcentium officia. CAP. XI.

Per te diſcendi cupidus eſto, percipiendique voluntatem, amorem atque ardorem potius tecum ipſe adferens. cur in hoc virtutis ac diſciplinæ honeſtiſſ. domicilio versêre, etiam atque etiam meditare: quamq; turpiter factu-

rus ſis,

rus sis, si quam nactus es Spartam, desidiâ & negligentiâ tua amiseris, cogita: atque ea de re nec querendi, nec audiendi, nec disputandi occasionem ullam, aut quidquid studiis tuis accommodatum esse judicaris, prætermittendum ducas.

OEconomi opera. Cap. XII.

Operas quotidianas diligenter exsequitor. 2. Pavimenta verrito. 3. Calfacito. 4. Ignē cūstodito. 5. Ludum claudito, recludito. 6. Signum attemperatē dato. 7. Ignem tecto inferri ne permittito. 8. Parietes inquinari ne patiare. 9. Tabulas ac specularia integra conservato. 10. Ociosos ac petulantes ex vicinia pueros coërceto. 11. Nihil deniq; quod imperatum fuerit recusato.

Præceptores. Appendix.

Nihil magnopere attinet, ac ferè ἀπροσδιόνυσον videtur eos officii admonere, cúm vocationis suæ memores sint, cujus rationem non præsentibus tantúm procuratoribus, sed Deo ipsi vindici æterno probare debeant. Mercedem veró non in hac solúm exigua vita; sed in perpetua illa felicitate etiam ab eodem liberalissimo remuneratore cumulatè sibi expectand. esse sciant, idq; sacr. lit. testimonio persuasum habeant.


Faciebat Bonaventura Roslerus, Ampliss. Senatus Vratisl. Scriba, Anno salutis supra sesquimillesimum tertio & sexagesimo: ætatis 5. eodem. XIV. Cal. Mar. Qui quidem Bonaventura fecit & fuit quod potuit: vixit dum licuit: mortuus est cúm Domino placuit.

Officii Scholastici *compendium.*

Ora. Obtempera. Tace. Audi. Disce. Repete. Exerce. Patere.

In ædibus cujusdam *Canonici.*

Meditatio ex mente nunquam seponenda.



IN FORO.

Ingratis servire nefas.
Nil admirari beatum fecit.
Se nosse maximum.

Inscriptio Musæi Monaviani.

Domino Deo nostro Jesu Christo, unico regni sanctorum hæredi: perenni vitæ fonti: triumphanti mortis victori; æterno beatarum animarũ hospiti, Sacr.

Summa in his terris tum sapiẽtia, tum felicitas est, posse quiescere, ac sua potius agere & propria, quám aliena. Deinde utraq; fortuna, & sive sit agendũ, sive patiendum, in Deum potius, quám in homines respicere, & ab eo solo pendere. Mortem deniq; suam perpetuó sic meditari, ut pec-

ut peccatum potius fugiatur, quám illa nimis metuatur. Mundum præterea, quæq; sunt illius, despicere simul & odisse. De vita perpetua magis, quám de hac fragili & caduca solicitum esse: animæq; curam gerere majorē, quám corporis, & ita sese comparare, ut anima prius læta libensque hinc in cælos evolare cupiat, quám é tabernaculo suo evocetur.

M. R. V.

PSAL. XC. *Domine doce nos scire numerum dierum nostrorum: ut ambulemus corde sapiente.*

Θυμὰ βλέφον ἄνω: χθονίων δ' ὄπιλήθεο πάντων.

IPSE FACIET.

ALIUD.

Johanni Aurifabro Vratisl. S. Theol. D. & Ecclesiæ hujus pastori, Academiarum Witeb. & Rostoch. quondam Professori, ante reditum veró in patriam Samlandiæ, Pomesaniæq; in Borussia per plures annos præsidi, viro, puræ religionis studio, & totius Philos. inprimis veró Mathes. ac lingg. præcipp. cognitione cl. vita in his terris annos LI. M. VII. dies XVII. honesté ac laudabiliter acta, An. veró M. D. LXVIII. die M. Octobr. XIX. superstite cōjuge Sara, Joh. Hessi Theol. Doct. filia, quæ quadriennio póst, relictis IIII. filiis, & II. filiabus diem suum obiit, feliciter & sancté mortuo, Laurentius Scholzius Vratisl. Phil. & Med. Doct. socero & socrui optt. hic conditis, officiosæ pietatis ergó P. M. D. XC.

In memoria æterna erit justus.

IN SUBURBIO AD TEMPLI Cathedralis valvas.

Quas sacras ædes pietas construxit avorum,
Has nunc hæredes invadunt more luporum.

ITEM.

Defunctis patribus successit prava juventus,
Cujus consilio quæ valuere ruunt.

In schola Magdalanæa, quæ cœpit anno 1293.

In inferiori auditorio supra januam.

Quærite primúm regnum Dei, &c.

Suche Gottes reich vor allen dingen/
So wird dir alles wol gelingen/
Sucheſt du ein andern anfang/
So gehet dein thun den krebsgang.

In ædibus Johannis Cratonis medici Cæsarei.

Tu quoq; fac timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum legis hæc, fieri triſtia poſſe putes.

Supra januam cubiculi.

Optimo maximo ſervatori omnium, uni in trinitate Deo, Joan. Crato artis Medicæ D. ſe ſuaq; omnia piis votis commendans S. M. D. LXVII.

In inferiori hypocauſto.

Quid ſis, quid fueris, quid eris, ſemper mediteris.

In menſa quam accepit á Cæſare.

In hac menſa Divus Ferdinandus Imp. Aug. P. F. pacificus, priusquam lethalis morbus lecto opt. & beatiſſ. principem affligeret, multis menſibus cibum ſumpſit, Imp. veró Maximilianus II. F. Aug. perp. cúm in meditationibus ſalutaribus verſaretur, ſua manu ſententias plenas pietatis & humanitatis inſcripſit. Has poſteris ſalutares, Crato ſacratiſſimorum Imperatorum Medicus, ne hanc tabulam qua uſos atque ſuſtentatos divinos Monarchas intelligunt, tanquam vile lignum haberent, ſtudio ac diligentia ſua conſervavit.

Dicta autem á Maximiliano ſcripta ibidem conſpiciuntur hæc. 1561.

Dominus providebit.
Maximilianus.

Si

Si DEUS pro nobis, quis contra nos?

Audi, vide, tace, si vis vivere in pace.

Vanitas vanitatum & omnia vanitas.

Dominus dedit, Dominus abstulit,
Sicuti Domino placuit ita factum est;
Sit nomen Domini benedictum.

Si bona suscepimus de manu Domini;
Mala autem quare non sustineamus?

Si vitam inspicias hominum, si denique mores,
Cúm culpent alios, nemo sine crimine vivit.

Omnia si perdas, famam servare memento;
Præfer autem salutem animæ; reliqua vanitas.
Nam omnia prætereunt, præter amare DEUM.

Frustra colunt me docentes mandata hominum.

DN. BALTHASARIS EPISCOPI *Vratislaviensis.*

Reverendiss. Princeps & Dn. Dominus Balthasar ex clarissima Promniciorum familia, domus Lessendorf, Glogovienſis ducatus, vir singularis ingenii, magni consilii, & raræ eloquentiæ, in rebus agendis strenuus & vigilantiss. prudentia ornatissimus, & labascentis religionis protector, concordiæ & pacis amantissimus, flagrante bello intestino sub Carolo V. Imperatore singulari industria patriam á seditione, inter ignobile vulgus jam glisscente, liberavit. Officio Capitaneatus á Cæsare Ferdinando tum commisso, principibus & heroibus ob miram comitatem pergratus. in religiosos & pauperes liberalis, consanguineorum quoque haud immemor. Erga familiares benignus, subditorum parens, & Episcopatus hujus adauctor, eligitur anno Domini M. D. XXXIX. die XVII. Sept. Fuit

in gubernatione annos XXII. Moritur placidé, ingenti piorum omniũ luctu, correptus febricula quartana. Nisſæ XX. Januarii, Anno ſalutis M. D. LXII. Hîc ſepultus, ætatis ſuæ LXXIV.

BUDISSINA.

BUDISSINÆ IN SUMMO TEMPLO.

FIdenti tua Chriſte capit qui munera corde,
Is duce te cæli regna beatus adit.

Chariſſimis & dulciſſimis parentibus Gregorio Peucero patri; Otiliæ Simontæ matri: qui ex hac vita in cæleſtem & æternam pié & placidé commigrarunt: ille die viceſimaquinta Februarii anno M. D. LX; hæc die quinta Maji, anno M. D. LX. Caſpar Peucerus filius, Philoſophiæ & artis Medicæ Doct. hoc monumentum poſuit, 1561.

IN SCHOLA.

Prima bonæ mentis ſit cura, ſit altera morum,
Tertia litterulas perdidiciſſe bonas.
Quæ virtute caret; non eſt doctrina putanda;
Et Chriſtum ignorans, bellua totus homo eſt.

GORLICENSIA.

SUB VETUSTA CRUCE.

ASpice ſerve Dei, ſic me poſuere Judæi.
Aſpice devoté, quoniam ſic pendeo pro te;
Aſpice mortalis, pro te datur hoſtia talis.
Introitum vitæ reddo tibi, redde mihi te.

In cruce

In cruce ſum pro te, qui peccas, deſine pro me.
Deſine, do veniam, dic culpam, corrige vitam.

D. O. M. S.

Sirenum inſtar habent ignavo perdita luxu
Luſtra, domus, ſilvæ, rura, popina, Venus.
Quæ fugiens Emerice, cava trabe cærula ſulcas
Multa ſolo paſſus multa pericla ſalo.
Ergo ſedens virtus rediviva ad buſta Jehovæ
Donatum merito vexit honore domum.
Ut non parcus opum patriæ hæc monumenta locaret
Virtutis figens celſa tropæa tuæ.
Sic geminas tendens palmas, paſſoq; capillo,
Victam ſe Siren ſub tua jura dedit.

Imitare virtutem, non æmulare.
Virtutem colere par eſt, non invidere.
An. Chr. CIↃ. IↃ. LXXVIII. *m. quarto.*

O. S.

Georgio Emerico Eq. Nobiliſſ.
Qui cum opifice & duob. eum ſeqq. comitib. in Palæſtinam profectus, ibiq; militari dignitate & equeſtri ſuper ſepulch. Chriſti An. M. CCCC. LXV. m. Jul. d. XI. donatus eſſet: poſt tot exhauſtos terra mariq; labores, tanto itinere confecto: cúm domum ad ſuos patre adhuc ſuperſtite revertit: tum ſacellum hoc D. Crucis, vicinumq; cenotaphium ad exemplum expreſſum, ſibi & poſteris F. F. Ipſe deinceps Reipub. hujus Senator, ad annos XXXVI. Cos. V. finem vitæ clauſit, Ann. M. D. VII. m. Jan. d. XXI.

Johannes Johannis F. Georgii Equ. N. N.
Emmericus avo B. M. P. cur. M. D. LXXIIX.

LIGNICII.

IN S. JOANNIS.

השביל וחיבריס חובים

CLariſſimus vir, Dn. Valentinus Fridland Trozendorfius, pié deceſſit, VI. Kal. Maji, CIↃ IↃ. LVI. ætatis ſuæ LXVII.

Τοῖς παισὶν χρήσιμα εἶπεν.

WIRTEBERGENSIA.

TUBINGÆ IN SEPULCRETO *Ducum Wirtebergenſium.*

ANno Domini M. CCCC. LIIII. Illuſtriſſ. familiæ Wirtembergēſis Comes Ludovicus ſenior IX. KLNS. Octobris mortuus, qui in æde beatæ virginis ad bonum lapidem ſepultus, á principe Chriſtofero officioſæ pietatis ergo Tubingam huc traductus eſt.

Eadem pietate & ratione huc quoque translata eſt D. Mechtildis Palatina Rheni ac Bavariæ Dux, clariſſ. Ludovici ſenioris conjunx ſuaviſſima, quæ licet póſt Alberto Auſtriaco nupſiſſet, defuncta tamen Heidelbergæ an. M. CCCC. LXXXII. XI. KLNS. Octob. evidentiſſimo ſinceri amoris argumento illic cum priore marito, & eodem hic ſimul conditorio reponi placuit.

Illuſtriſſimus & tam ſapientia quám honeſtate vir excelſus Princeps Eberhardus, Dei gratia primus Dux Wirtenbergenſis & de Teck, Comes Montis Peligardi, fundator hujus ſcholæ. Obiit die S. Matthiæ Apoſtoli, anno Domini 1496.

IN

IN LAPIDE.

Θ. KLN. Mar. anno M.CCCC.XCVI. Illustriss. pietate & prudentia Princeps Eberhardus Barbatus primus Dux Wirtemberg. & Teck, Montisq. Peligardi Comes, hujus scholæ fundator.

Illustrissimæ Principi ac Dominæ, D. Annæ Duci Wirtemb. Ducis Uldrici &c. filiæ dulciss. Quam benigna Dei manus ex ista fragili & caduca rerum humanarum conditione, ne diutius calamitosis & tumescētibus ærumnarum procellis misera quateretur, adolescentulam tenerr. atque in ipso blandissimo virginitatis flore An. Domini M. D. XXX. mens. Junii XXIX. ætatis veró ejus XVII. feliciter eripuit: huic, inquam, in hunc locum amœniss. ubi jam Carthusianorum latibula Auraci, cúm illic an. XXIIII. sepulta jacuissēt, collaberentur, traductæ Illustriss. Dux Christoferus Dux Wirtemb. clementiss. unicæ sorori suæ dilectiss. ad perpetuam memoriam hic erigi voluit, Anno Domini M. D. LIIII.

D. O. M. S.

Illustriss. Princeps Hulderichus Dux Wirtemberg. & Teck, Montisq. Peligardi Comes, dū inter mortales fuit, variis fortunæ procellis agitatus, & patria sua destitutus exilium XV. annis constanter tulit. qua tandem recuperata, sacrosanctum Christi Evangelium sincerè prædicari curavit, idololatriam comminuit, potentiam Antichristi debilitavit, laudabilem urbis hujus inclytæ Scholam restituit, doctis professoribus justis salariis & stipendiis, avitos secutus mores, illustravit, Remp. prudentia non vulgari, sicq; satis feliciter administravit, cujus gubernacula inter tot quoq; gravissimos Adversariorum insultus, ad extremum usq; vitæ suæ halitum, fortiter retinuit. Tandem Deo Opt. Max. finem ærumnis dante, spiritum cælo, reliquum veró mortalitatis suæ hoc deponi voluit conditorio. Regnavit ann. LII. mens. V. Vixit ann. LXIII. mens. VIII. dies XXVI. Θ. Anno Christi M. D. L. mens. IXBRI. d. VI.

Hoc lector potes æstimare saxo,
Humani nihil esse non caducum,
Heroum quoniam tegit duorum
Ebrardi Ducis ossa, & Hulderici,
Ex iis alter erat bonis amandus,
Ex iis alter erat malis timendus,
Et dilectus uterq; valde Christo.
Corrupta tamen hic uterq; carne
Letho deposita, simul quiescunt.

CHRO

CRUCIF. GLOR.

Memoriæ Illustrissimi Principis Ulrici Ducis de Wirtemberg. &c. infantis dilectiss. P. Qui vixit mens. II. d. I. Θ. an. Christi M. D. LVIII. mens. Julio, d. VII. cujus ossa VIII. ejusdem mensis, huc ad avita conditoria deposita sunt. V.C.V.

Principis Ulrici potuisti tollere corpus
Invida mors, animam tollere nulla potes.
Scilicet hoc solo fuerat mortalis. At idem
Parte tamen vivit nobiliore sui.

D. O. M. S.

Ut omne natum caducitati subjectũ, ita & eodem decreto, Illustriss. Princeps Maximilianus Dux Wirtemb. &c. Ann. salutis M. D. LVI. XXVII. die Augusti natus, mens. VI. dieb. XXII. superstes, infans dulciss. parentes optatæ vitæ desiderio privavit An. Christi M. D. LVII. mens. Mart. die XVII. Cujus ossa XIX. ejusdem mens. huc ad avita conditoria translata sunt.

Anno Domini M. D. LXIII. den XXX. tag Augusti starb die Durchleuchtig Hochgeborne Fürstin Frawe Sabina Hertzogin zu Wirtemberg vnd Teck / Gräfin zu Mümpelgart / ein geborne Pfaltzgräfin beym Rhein / Hertzogin obern vnd vndern Bayern / jres alters LXXIII. jar / IIII. monat / VII. tag.

D. O.

D. O. M. S.

Illustrissimus Princeps Eberhardus Dux Wirtembergensis ac Teccensis, Comes Montis Peligardi, &c. Illustrissimorum ac Christianissimorum parentum Christophori Ducis Wirtembergensis, &c. Principis laudatissimi, & Annæ-Mariæ Marchionissæ ex clarissima familia Brandenburgensi, filius primogenitus, indolis egregiæ á primis annis pié ac liberaliter educatus, & literis institutus, sinceriorem religionem amavit, Antichristi idololatricas superstitiones, atq; omnes fanaticas opiniones detestatus est. Parentes digna pietate coluit, in fratrem & sorores germanas bené affectus, & pro ætate rara gravitate præditus fuit, ita ut maximis rebus natus videretur. Eum immatura morte abreptum parentes lugent, provinciales deflent. Anima Christo, reliquiæ his monumentis commendatæ sunt. Vixit annos XXIII. menses III. dies XXVI. Vita functus est ann. M. D. LXVIII. mensis Maji die II.

Majorum meritó sacris sepulcris
Ebrardi ducis inferuntur ossa,
Barbati veteris gerit celebre
Nomen. si modó longior daretur
Ætas, mox similis futurus illi
Justo, pacifico, gravi, diserto.
Herois referebat Hulderici
Primis ingenium nepos ab annis,
Par magnis animis avo futurus,
Ni vitæ spatium Deus negasset.
Ambobus pietate junctus, unâ
Vita jam fruitur beatiore. B.B.F.

In Lapide.

Sub hoc saxo requiescit Eberhardus Dux Wirtemb. & Teck, Comes Montis Peligardi. Obiit die II. mensis Maji, anno salutis M. D. LXVIII. Vixit annos XXIII. menses III. dies XXVI.

D. O. M. S.

Illustrissimus Princeps veré Christophorus Dux Wirtembergensis & Teccensis, Comes Montis Peligardi, &c. á puero variis casibus jactatus, literis excultus, exteros expertus, linguarum peritus, experientia clarus, periculis infractus, bello strenuus, imperio justus, cõsiliis prudens, pacificus, orator gravis, ecclesiæ nutricius, hæresium & idololatriæ hostis, studiorum Mæcenas, exulum asylum, virtutis theatrum, pietatis exemplum, pater patriæ, infinitis laboribus exhaustus, ac placidé in Domino obdormiens, corporis reliquias hoc conditorio, quod vivus sibi adornarat, deponi voluit. Earum optatam resurrectionẽ beata anima cum Christo vivens, expectat. Memoria tanti Herois apud omnem posteritatem sacrosancta erit. Vixit annos LIII. menses VII. dies XVI. Regnavit annos XVIII. menses VII. dies XXII. Obiit anno Domini M. D. LXVIII. die XXVIII. mens. XBR.

Wirtembergiacæ domus decorum
Princeps Christophorus sub hoc sepulchro
Ut terræ suæ reddit ossa matri,
Cælesti quoq; spiritum parenti
Sic Christo mediante consecravit.
Non regno patrio sed exterorum
Succrevit puer, exulante patre,
Magni Cæsaris est secutus aulas
Et regum, teneris Ephebus annis
Mox Martis juvenis capessit arma.
Ductis ordinibus triumphat heros,
Bis sex pignora suscipit maritus,
Curis canus avus fit & senecta,
Magnam justitiæ tulit q; laudem
Dum rexit populos, dedit q; jura,
Optatam coluit, ferendo, pacem.
Lites composuit, sopivit iras,
Illi Ecclesia maximæ piæq;
Curæ vera fuit, fides q; cordi,
Idolæ inimicus, hostis acer
Damnatis simulantibus q; sectis,

Mecœnas

Mecœnas ſtudiis & eruditis
Linguis fautor erat, ſcholis patronus,
Natura ingenioſus, arte doctus,
Orator bonus, aptus & trilinguis,
Prudens, ſobrius atq; liberalis,
Plures Herculeis ferens labores
Dignus qui imperio fuiſſet orbis,
Hunc patrem patriæ fatetur ætas
Præſens, poſteritas fatebiturq;
Wirtembergiacæ domus decorum.

IN LAPIDE.

Sub hoc ſaxo requieſcit Chriſtophorus Dux Wirtembergæ & Teck, Comes Montis Peligardi. Obiit die XXVIII. menſis Decembr. anno ſalutis M. D. LXVIII. ætatis veró ſuæ LIII.

Illuſtriſſima Princeps & Domina D. Eva Chriſtiana Wirtembergæ, Montisq; Peligardi Comitiſſa, Georgii ex Barbara Haſſiæ Landgravia filia, ſub hoc conditorio quieſcit, animam veró Deo reddidit III. KL. April. anno M. D. LXXV. cúm vixiſſet ann. XVI. menſ. V. dies XV.

WEIMARIAE.

ELOGIUM JOHANNI FRID.

Electori, ut ajunt, poſitum.

JOannes Fridericus, Dei gratia electus martyr Jeſu Chriſti: Dux afflictorum: Princeps confeſſorum fidei: Comes veritatis: Signifer ſanctæ crucis: Exemplum patientiæ & conſtantiæ: hæres vitæ æternæ. Obdormiſcens in Chriſto, migravit ex hac miſerrima vita in cæleſtem patriam. Vinariæ menſe Martio. Anno

M. D. LIV.

GOTHAE.

IN CURIA.

WO der Bürgermeister schencket wein/
Die Fleischer mit im Rathe sein/
Vnd der Becker wigt das brot/
Da leidet die Gemein grosse not.

BRUNSVIGAE.

HIc sua Bernhardus Broitzenus consul in urna
Frigida post summum condidit ossa diem.
Cui dum præconis dependet ab ore docentis,
In templo hoc subito funere raptus obit.
Mens rectâ superos adiit: sed tecta sepulcro
In spe sanctorum membra soluta cubant.

Mortuus est in templo.
An. 1561. 16. Novemb.

ORTENBURGICA.

ÆTERNO LUMINUM PATRI

CUm tuæ sint deliciæ, qui trinus & unus es, vicariorum operariorumq; tuorum castis piisq; cœtibus interesse: quæcunque Joachimus Comes Ortenburgius, S.S. Evangelii tui conceperat semina; suæ quoq; á te deorum Deo fideicommissorum animis inserturus, hocce templum á superstit. repurg. non tibi, quem neq; universi capit machina, sed Christi tui ante ann. cIↃ. IↃ. LXIII. pro salut. mortalium immolati, precioso lustratis sanguine, veritatis & virtutis ergó patefecit: decennioq; postquá averruncari cœperat, multis interea & vitę & fortun. cum domi tum in exilio exantlatis pericl. in sinceræ relig. ascesterion perpetuum, dum tu vetustę Comitum Ortenburg. genti,

genti, subjectisq; populis faveas propitius, devota gratáque mente consecravit.

D. O. M. S.

ADELHEID.

Ex illustri Rheingrav. & Wildgrav. gente prognata. Quæ Carolo Domino in Limburg marito diu supervixerat vidua, anno reparat. Sal. CIↃ. IↃ. LXXX. ætatis verò suæ LVIII. IV. Idus Octob. Ortenburgi pié obdormivit. Quom sexto anté die præmisisset Joachimum ex filio Godefrido nepotem unicum, necdum IV. annos natum. Quorum ossa Joachimus Comes Ortenburgius gener patrinusq;, quód illam ut matrem coluerat; istum instar filii amaverat, gentilitio hujus delubri tumulo suo juxta Antonii Kariss. F. Fridericiq; N. cineres condidit, hocq; M.P.

AICHSTETI.

FAllax sæpe fides, testataq; vota peribunt.
Constitues tumulum si sapis ipse tuum.

COLONIENSIA.

DE COLONIA AGRIPPINA

JUL. CÆS. SCALIGER.

MAxima cognati regina Colonia Rheni,
Hoc te etiam titulo Musa superba canit.
Romani statuunt: habitat Germania: terra est
Belgica: ter felix. Nil tibi diva deest.

IN CHORO TEMPLI CATHEDRALIS.

Reverendiss. D. D. Adolpho, Archiepiscopo, ac Principi Electori Colonien. S. Rom. Imperii per Italiam Archicancellario, Legatoq; nato, Westphaliæ & Angariæ Duci, &c.

ex illustr. familia Comitum á Schauvvenburch oriundo, electo die XIIII. Januar. An. M. D. XLVII. qui pié & prudenter Archiepiscopatui præfuit annis IX. mens. II. dies XXV. tandemq; ultimum diem in Domino clausit. Anno M. D. LVI. die XX. Septemb.

IBIDEM.

Reverendiss. Dn. D. Antonio, electo, ac confirmato Princ. Electori Colonien. S. Romani Imperii per Italiam Archicancellario, legatoq; nato, Westphaliæ & Angariæ Duci, &c. ex illustri familia Comitum á Schauvvenburch oriundo electo an. M. D. LVI. die XXVI. Octob. qui fratri suo succedens, in domino obdormivit, an. Domini M. D. LVIII. die XVIII. Junii. atq; præventus morte fratri justum monumentum erigere non potuit, uti cœperat, Reverendissimus Dom. Gerhardus Archiepiscopus, Princ. Elector Colonienſis, dominis & affinibus suis charissimis pietatis ergó posuit, anno M. D. LXI.

FRANCOFORDIANA.

IN FRANCOFORDIAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Multa laboratis debet Francfordia sulcis:
Multa racemiferis vinea culta jugis.
Quid referam, quanta & quæ convexere metalla?
Quæ Mars bellipotens, quæ petit alma Ceres?
Huc Italus patriis miratur partibus orbem,
Advectum huc stupuit Gallia magna suum.
Hîc oriens, hîc terra novis comperta sub astris
Agnoscit genii semina plena sui.
Nec tamen in brutis sola hæc commercia rebus;
Hîc animi æternæ sed cumulantur opes.
Quod si res, paucas, operosa est dicere merces;
Non magis est, cunctas res operosa dare.

A 2

AD PRÆDICATORES.

Anno 1486. obiit in Comitiis Francofurti Albertus Marchio Brandenburg. cujus inteſtina in illa æde ſervantur: corpus in Heilsbrun.

MOGUNTIAE.

IN ARCIS CONCLAVI QUODAM.

INcæpta Deus ipſe domus niſi limina ponat,
Noſter fruſtrata deperit arte labor.

Ibidem ſupra aliud oſtium.

Exulat in terris, & quas homo poſſidet ædes,
Hoſpitii tantùm jure caducus habet.

SPIRENSIA.

IN SUMMO TEMPLO.

ANno Domini 1039. Conradus Secundus Imperator, ſecundo Nonas Julii obiit.

PROAVUS JACET ISTIC.

XV. Kl. Martii Giſela Imperatrix obiit.

HIC PROAVI CONJUNX.

Anno Dominicæ incarnationis 1056. Henricus Tertius Niger tertio Non. Octob. obiit.

AVUS HIC.

Anno Dominicæ incarnationis 1106. Henricus Quartus ſenior VII. Idus Auguſti obiit.

PATER HIC.

Sexta Kl. Januarii Bertha Imperatrix obiit.
HIC HENRICUS SENIOR.

Anno Domini Henricus v. Junior v. Kl. Maji obiit.
FILIUS HIC.

Integrum distichon.

Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet istic.
Hic proavi conjunx, hic Henrici Senioris.

ALIUD.

Georgius Palatinus Rheni, Episcopus Spirensis, sudore Anglico defunctus, obiit 1529 die 27. Sept.

NORIMBERGENSIA.

IN NUREMBERGAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Diva mihi extremi da munera sacra laboris,
Non tamen extremo conspicienda loco.
Sed velut abducto veneramur in ordine cælum,
Hic ubi naturæ fine quievit opus.
Non potes æthereis deducere sedibus astra;
Invenies, tibi quæ Norica terra dabit.
Hunc si corruptas terras Astræa relinquens
Fatali statuit sede tenere locum;
Quis putet horrifico sociatas Marte Camœnas?
Sacra tamen duplex tempora laurus obit.
Martis habe, & Phœbi felicia tempora laure,
Sanctaq; sit valido fœdere juncta fides.
Omnibus ex istis ne tu ne dempseris unum.
Addere quin potius omnia magna, tuum est.

INSCRI-

INSCRIPTIO NUMMI NORIMBERGENSIS.

Ab una parte.

FUNDAMENTUM SALUTIS *noſtræ, Chriſtus.*

Ab altera parte.

D. O. M. S.

Anno á nato Chriſti M. D. LXXI.

Rom. Imp: D. Maximil. II. Resp. Noriberg. PP. & Septemviri ejusdem ANDR. IM HOF. Sebald. Haller. JOD. TETZL. BALTH. DERR. GAB. NUTZEL. GEORG. VOLCKAM. & THOM. LOFLHOLTZ. tum oppidi præf. BALD. BAUMG. domum hanc pro Gymnaſ. juventut. in ſtud. pietat. & litterar. inſtituendæ á prim. funda. extrui curavit. in cujus memori. Georg. Volck. & Hieron. Baumgar. ob demandatam eccleſiarum & ſcholarum procurationem, hoc numiſma FF.

IN LAURENTII.

Hectori Pœmero Juris utriusque Doctori hujus ædis Præpoſito, de Eccleſia & Repub. bene merito, fratres & amici ſuperſtites officii ergó P.

Vixit annos XLV. menſes III. dies VII.

Præfuit Laurentianæ Eccleſiæ annos XIX. menſ. IX.

Obiit VII. Idus Jan. M. D. XLI.

In templo Divi Sevvaldi, quod totum á fundamentis eſt ex vivo lapide erectum cum duabus turribus, ænea tabula auro obducta ad columnam in choro collocata, ſic eſt inſcripta.

Eraſmus Topler J. U. Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, ac ſereniſſimi Maximiliani Romanorum Imperatoris Conſiliarius, hujusq; ædis Prępoſitus bene meritus, dum patriæ operam intendit fidelem, Treveris ſolenni Principum conventu vitam cum morte mutavit, anno Domini M. D. XII. VI. Kal. Maji. Vixit annos L. Tu lector vale, ac pro tanto viro ad Deum preces fundere ne pigeat.

ALTORFINA.

JUventuti, religionis Christianæ doctrina, linguis, Latina & Græca, optimis deniq; artibus, ac disciplinis informandæ, Georgio Volckamero, Philippo Geudero, Hieronymo Baumgartnero, literatorum præfectis; & Balthazaro Baumgartnero, oppidi præfecto, senatus Noribergensis, scholam hanc nobilem, & patritiam aperiri, & solenniter introduci voluit, III. Cal. Jul. qui dies Petro & Paulo Apostolis sacer est. Anno á nato Christo salvatore CIↃ IↃ LXXV.

INSCRIPTIONES ALIQUOT DONATIVORUM *seu congiariorum scholasticorum ejus Academiæ.*

HONOS ET VIRTUS
PRÆMIUM DILIGENTIÆ.
DULCE TERGUM LABORIS.
HONOS ALIT ARTES.
ANGUSTUM VIRTUTIS ITER.
FESTINA LENTE.
MORAM CUSTODIA PENSAT.
OMNIA MEA MECUM PORTO. Stilpo.
LEX REGIT. ARMA TUENTUR.
SEU PACEM SEU BELLA GERAS. Sub effigie Palladis.
APERTÆ MUSARUM JANUÆ.
NIHIL INEXPLORATO. Ubi Monoceros aquas cornu prætentat.
CONCEDAT LAUREA LINGUÆ. Sub judicio armorum.
OBEDIENTIA FELICITATIS MATER.
OBREPIT NON INTELLECTA SENECTUS.
MOTU CLARESCIT ET USU. ad effigiem putei.
ΔΥΣΚΟΛΑ ΤΑ ΚΑΛΑ.

RATIS-

RATISBONAE IN CURIA SEQUENS INSCRIPTIO AUREIS LITERIS IN TABULA marmorea conspicitur.

QUisquis senator curiam officii causâ ingrederis, ante hoc ostium privatos affectus omnes abjicito: iram, vim, odium, amicitiam, adulationem. Reipub. personam & curam subjicito. Nam ut aliis æquus aut iniquus fueris: ita quoque Dei judicium expectabis & sustinebis.

ERFURDIAE.

AD S. SEVERUM.

SUmmus eram consul, tenui nunc condor arena.
Quisquis es hoc ibis, non rediturus, iter.

Pictura Christi resurgentis.

Ut vivens in te posui spem Christe fidemq́;
Sic moriens in te mortuus esse volo.
In te quisquis enim moritur pia lumina claudens,
Salvum tu facis hunc, & sine fine beas.
Tu siquidem solus vitæ author es ille beatæ,
Tu solus Satanæ victor es atq; Stygis.
Tu primùm domitæ redivivus morte triumphas,
Terroresq; adimis, quos facit illa, piis.
Fac igitur qui sim præeuntem morte sequutus;
Sic surrecturus te quoq; ad astra sequar.

JENAE.

IN CHORO TEMPLI.

NOs, Dei gratia, Joannes Gulielmus, Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, hanc Lutheri effigiem, non cultus, sed memorię gratia huc posuimus, anno M. D. LXXI.

Pestis eram vivus, moriens ero mors tua Papa.

LUBECENSIA.

IN LUBECAM JUL. CÆS. SCALIGER.

SI referam; mihi quis credet? sub limina mundi
Ultima legiferi jura vigere DEI.
Ingenium, candorem animi, cultumq́, fidemq́,
Fortiaq́, invicta pectora pura manu,
Dum mirata stupet terras Astraa relinquens,
Atq́, putat cæli regina, resedit ibi.

INSCRIPTIONES.

In summi templi circuitu.

Anno Domini M. C. LIIII. Henricus Leo, Bavariæ & Saxoniæ Dux, tum temporis hujus civitatis dominus, & hujus Ecclesiæ Lubecensis fundator, Geraldum primum Episcopum Lubecensem hîc introduxit.

IBIDEM.

A. C. M. C. LXX. ædificata fuit præsens Ecclesia per Dominum Henricũ Ducem Bavariæ & Saxoniæ, & per Henricum III. Episcopum Lubecensem, & fundatorem Monasterii sancti Joannis in Lubeck consecrata in honorem sanctorum

sanctorum Johannis Baptistæ & Nicolai confessoris Jesu Christi.

Anno 1465. prima die Februarii ex hac vita migravit Dethlevus Ranzovv, dn. in Neuersdorp, hujus Ecclesiæ Canonicus, qui hoc loco, cum patre Henrico milite, anno 1464. die 5. mensis Martii mortuo, sepultus est. Inscriptionem monumenti vetustate corruptam, H. R. Regius in Holsatio Legatus refecit, Anno Domini 1575. ætatis 50.

Ordinis est sacri Dethlevus adeptus honorem,
Qui sua de Canonum nomina jure tenet;
Quâ colitur pulcra templum cathedrale Lubeca,
Quaq; frequens largas ara ministrat opes.
Hic sua tranquilla traduxerat otia vita,
Consilio præstans, ingeniiq; bonis.
Sæva trucis genitor tractaverat arma Gradivi,
Henricus celebri nomine vectus Eques.
Cum patre jam dormit sociâ Dethlevus in urnâ,
Qua sacra baptismi labra replentur aqua.

Henricus Ranzovius, Nobilis Holsatus, D. Joan. F. Regis Daniæ, tam utriusq; Ducatus Slesvicensis & Holsatiæ, quám Dithmarsorum Gubernator & loci tenens, Theodorico Ranzovio, summæ spei, optimæq; & generosæ indolis. Vix dum pubescēti filio suo dulcissimo, præpropera immaturaque morte sibi erepto, nec non Nicolao Ranzovio, ejusq; uxori Luciæ, á quibus hîc Theodoricus educatus est, in memoriam & certam futuræ resurrectionis spem statuit. Obdormivit Lubecæ, Anno 1572. die 27. Junii. ætatis suæ 11.

In Jacobæo.

Joanni Ranzovio, Equiti aurato, assertori libertatis, Danorum trium Regum á consiliis, eorumq; duci bellorum summo, hoc loco rem divinam facere solito, uxor & filii mœstissimi locavêre. Obiit, cúm vixisset annos 73. Anno Christi 1565. die 12. Decemb.

IN CATHEDRALI.

Humi in lapide.

D. HENRICI BROEMSII.

Stemmate præclaro doctore proconsule natum,
Doctorem Juris atra sepulchra tenent.
Perfidiâ vulgi patriis dum sedibus exul
Imperii Consul Cæsaris & fit, Eques.
Sic mundi curis tandem, fessusq; senecta
Jungitur invictus mortis agone Deo.

Obiit anno 1542.

Ibidem in sublimi.

D. O. M. S.

Strenuo ac nobilitatis splendore viro spectabili, Domino Henrico Brœmsen, Equiti Aurato, ac J.U. Doctori eximio, invictissimique ac potentriss. Caroli v. Imperatoris quondam Consiliario fidelissimo, amplissimæq; civitatis hujus patritio, agnati, gratæ memoriæ causâ insignia hæc poni curaverunt. Obiit humanæ salutis anno 1543. die conversionis Pauli, cùm vixisset annos 67. dies decem & septem.

HAMBURGENSIA.

IN COEMITERIO SUMMI TEMPLI.

ANno Domini M. D. XVII. in vigilia conceptionis virginis matris gloriosæ, spectabilis & egregius vir, dominus Albertus Crantz, sacræ Theologię ac Decretorum eximius Doctor, Ecclesiæ Hamburgensis Canonicus, lector facundissimus, doctissimusq;, & olim Decanus: morum ac virtutum specimen & exemplar, patriæ decus, feliciter concessit in fata. cujus anima cum beatis molliter quiescat.

Anno

Anno 1106. Inclytus & Magnificus Princeps, Dn. Luderus Dux Saxoniæ & Westphaliæ, qui postea Romanorum Imperator factus, & Lotharius appellatus, contulit & dedit Comitatum Holsatiæ, Wagariæ & Stormariæ vacantem absque heredibus, per mortem nobilis viri Godefridi dictarum terrarum ultimi Comitis, á paganis pro fide Catholica, cum multis Christianis ministerialibus suis prope Hamburch interfecti, nobili viro Domino Adolpho Comiti de Scomborch, qui, & sui filii de tempore procreati, ab illo tempore usq; in hodiernum diem prædictarum terrarum pacifici Domini & Comites sunt & fuerunt, & post Carolum Magnum, & Ludovicum ejus filium Romanorum Imperatores, & Francorum Reges, hujus Ecclesiæ secundi fundatores, & fidelissimi fautores extiterunt.

Supra portam quandam.

Justitia sine prudentia multum ad fidem faciendam valet. sed

Prudentia sine justitia nihil.

In Mariæ Magdalenæ.

H. Dominus Adolphus, grates DEO referens, se ipsum detinens á variis cædibus & malis militibus, Anno Domini 1239 habitum fratrum minorũ assumpsit in Hamburch humiliter, ubi Anno Domini 1244 primam suam missam devoté celebravit: & in ordine annos 23 diu DEO militans, confecit. Anno Dn. 1261. in Kilone in pace requievit.

ALIUD.

In choro ædis cathedralis.

Benedictus Papa, qui de sede Apostolica per violentiam amotus, & póst, cúm revocaretur, obiit Hamburgi, Anno Domini 1341. quinto nonas Julii, & sepultus est hic.

ÆNIGMA INCISUM LAPIDI SEPULCHRALI *in templo Cathedrali, contra superbos.*

O, MORS, CUR, DEUS, NEGAT, VITAM, SUPER BE, TE, BIS, NOS, BIS, NAM.

Canon.

Ordine da primam media, mediamq; sequenti,
Debita sic nosces fata, superbe, tibi.
Quid mortalis homo jactas te? quidve superbis?
Cras forsan fies pulvis & umbra levis.
Quid tibi opes prosunt? quid nunc tibi magna potestas?
Quidve honor? aut præstans quid tibi forma? nihil.

BREMENSIA.

IN PORTA EOA.

CIvitas pro saxis & mœnibus incolentium virtute munienda est; quos si jungat concordia, nullus potest esse murus inexpugnabilior.

IN PORTA S. ANASCHARII.

Fortior est, qui se, quám qui fortissima vincit
Oppida, nec virtus altius ire potest.

IN PORTA SURDORUM.

Respublicæ, post Deum, nullo munimento tutiores sunt, quám virtute civium. Civis verò is est, qui sincerè patriam diligit, ac bonos omnes salvos incolumesq; desiderat.

IN PORTA PONTANA.

CONSERVA DOMINE HOSPITIUM ECCLESIÆ TUÆ.

IN PORTA DOMINICA.

Bremen sey eyndechtig/
Laß nicht mehr inn/du seyst jr dann mechtig.

AD VESTIBULUM CHORI MARIANI, supra januam.

OMNIA PRÆTEREUNT PRÆTER AMARE DEUM.

IN CAMINO BIBLIOTHECÆ, ibidem.

Ne fer judicium, si non sint ambo locuti.

IN TEMPLO PRIMARIO.

EPITAPHIUM BARTOLDI RANZOVII, qui obiit anno 1489.

Funde viro lacrymas Brema, atq; hunc plange viator
Extinctum, virtus quem super astra levat.
Bartholdi Ranzou præclaro stemmate nati
Hoc tumulo cineres ossaq; clausa jacent.
Dum vixit, sacro venerandus in ordine vixit,
Buxthuda extremum clausit in urbe diem.
Cui vita atq; animo studuit servire pudico,
Defunctum regnis insere, Christe, tuis.

IN CURIA.

Tempore cúm longo domus hæc collapsa fuisset,
Orbaq; jam cuncto pæné nitore foret:
Sumptibus hanc propriis voluit reparare Gerardus
Qui de Ranzoo stemmate nomen habet.
Esset ut hospitii sedes sibi grata, suisq;,
Qui cupiunt urbis commoditate frui.

WESTPHALICA.

NON PROCUL A PADERBORNO INTER *Lyppiam & Amisiam fl. ubi Quintilius Varus, tribus legionibus cæsis, sibiipsi mortem conscivit, earum ossibus sexennio póst sepultis, Germanicus Imp. Rom. tale Epitaphium eo in loco posuit.*

OSsa mil. v. & XIX. leg. cum Quintil. interfect.
Jussu Germanici Imp. huc collata quiescunt.

Idem Germanicus cúm postea vires Harminii aliquo modo fregisset, in Comitatu Diffoltio, prope stagnum Dummerium, hoc erexit monimentum.

Debilitatis inter Rhenum Albimq; nationibus, exercitus Tiberii Cæsaris, hæc monimenta Marti & Jovi Augusto sacravit.

ANGARIAE.

WIDEKINDI REGIS SAXONIÆ

Epitaphium in monimenti marginibus.

Widekind. Rex Saxon.

Ossa viri fortis cujus sors nescia mortis
Iste locus munit. Euge bone spiritus audit.
Omnis mundatur hunc regem qui veneratur,
Ægros hic morbis cæli rex salvat & orbis.

AQUISGRANI.

IN TEMPLO B. MARIÆ.

SUb hoc conditorio situm est corpus Caroli Magni & orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum notabiliter amplificavit, & per annos XLVI. feliciter rexit.

BRUNSVICENSIA.

IN TEMPLO CATHEDRALI URBIS BRUNSVICENSIS.

Hic jacet Henricus quondam Dux, conditor hujus Ecclesiæ, dignus nobilitate pius:

Moribus

Moribus ornata sibi conjux est sociata.
Pauperibus larga, simplicitate pia,
Inclyta Mechtildis Anglorum filia Regis.
Nutriat angelicis hos DEUS *ipse cibis.*
Adjacet aptatus Rex horum sanguine natus
Otto coronatus, vermibus esca datus
Hujus erat post sponsa Philippi stirps generosa,
Filia formosa, nunc cinis, antè rosa.
Qui legis hæc metra, memor esto orans pro poëta.
Quid caro, quid vita, quid res? nisi mors, cinis, umbra.

LUNEBURGI.

EPITAPHIUM HERMANNI TULIchii, primi scholæ Luneb. Rectoris.

HErmannus jacet hîc Tulichus ille,
Orator bonus, & Poëta felix,
Hujus sceptra schola tenebat urbis
Magna laude diu, sed ante tempus,
Tantum fata virum abstulêre mundo,
Cum mœrore gravi omnium bonorum.

Obiit an. 1540. Julii 28. ætat. 54.

JOHANNIS BATHELII COSFELD. secundi Rectoris scholæ Lüneburgensis.

Qui fuit exemplar sancta memorabile vita,
Hujus & eximius Gymnasiarcha schola,
Doctrina clarus, pietate verendus & annis,
Pacis amans, frugi, sedulus absq; dolo.
Quo duce per varias artes deducta juventus
Atq; indefesso docta labore fuit.
Suaviter hoc tumulo, tenuiq; Bathelius urna
Dormit ad extremi tempora judicii.

Obiit anno 1578. mense Septemb.
Anno ætatis 77.

GEORGII STENII CITHAROEDI.

Stenius hic recubat testudine ludere doctus,
Cui peperit nullum Teutona terra parem.
Cùm moriebatur, Musæ Charitesq; gemebant,
Tristis & abjecta flebat Apollo lyra.
Astrum risit, quoniam ut mortalibus antè,
Sic insigne meles nunc canit ille Deo.

ALBERTI ZERSTEDII PATRITII Lüneburgensis.

Vir probus, & vitæ pietati deditus omni,
Pauperibus largas distribuebat opes.
Qui sua nunc isto dedit ossa tegenda sepulchro,
Ipse sed in Christo gaudia dives habet.

In cratere aureo, variis nummis diversis temporibus cusis conspicuo, quorum ultimus ex cupro est.

Bey der Müntz sol man lehren
Wie sich die welt thut verkehren.

ALIUD.

Henrico Husano Isenacēsi Thuringo, ab ineunte ætate in Germania, Italia & Gallia bonis litteris & linguis exculto, & mox supra ætatem egregio oratori, politico & J. Cto. Saxoniæ & multorum principum consiliario & legato, Cancellario Megapolitano, & post aulicarum jactationum tædium Luneb. quoque Reipub. syndico, dexteritate & usu rerum conspicuo: & in consiliis, transactionibus & pacificationibus mirificé expetito, pieq; hic defuncto, in spem optatiss. resurrectionis uxor & liberi cum lachrym. pp.

CIRCA IDEM MONUMENT.

COELUM POLITEUMA PIORUM EST.

Christo uno duce carpe viam; sic itur ad astra.
Aurea pulvereis præstant æterna caducis.

Nulli

Nulli sine Marte triumphi.

VITA CRESCENDO DECRESCIT.
MORS LILIA SENTIBUS ÆQUAT.

Nil fragile á fracto differt; quod tu esse solebas,
Ipse fui, fies tu quoq; sum quod ego.

HERVORDIAE.

TUMULUS

JO. GLANDORPII MONASTERIENSIS
scholæ ibid. Rectoris.

LUce bis undena Febrai Glandorpius atris
Absumptus curis in sua fata ruit.
Ossa boni cineresq; viri tegit humida tellus,
Aspectu fruitur mens animosa Dei.

E regione hujus tumuli in columna lapidea.

Glandorpi, cujus studiumq; fidemq; juventus
Sensit, amans tellus hoc capit ossa sola.

De eodem Henr. Sibæus Olphenius.

Lector amans Christi, jacet hîc Glandorpius ille,
Musarum cultor, Pieridumq; decus.
Quem nunquam vivum Germania tota prehendit,
Defunctum tumulus continet exiguus.

MAGDEBURGAE.

JUL. CÆS. SCALIGER.

VOs ego magnanimis invictos Saxonas armis,
Atq; graves Martis turbine canto duces.
Non Macedo tu miles eras. Sic Gracia mendax
Facta tua in laudes transtulit alta suas.
Non veteres huc te quondam misere Britanni:
Quin jam servivit terra Britanna tibi.

Ipsa tua es: primumq; tuis cum montibus orta:
Cum cæli ipsius finibus orta tui.
Dives agri, dives quæsitæ vestis, & auri:
Gens, dubium est, armis justitiáne prior.
Est hominis, patriis alios bene vincere telis:
Justitia teipsam vincere velle, Dei est.

Otto primus Imp. obiit anno Christi 974 in monasterio Memelebio; inde Magdeburgum avectus, ibique prope conjugem Editam sepultus est, cum hac inscriptione:

Tres luctus causæ sunt hoc sub marmore clausæ,
Rex, decus Ecclesiæ, summus honor patriæ.

IN MEDIO FORO URBIS *veteris.*

Rolandum vix vetustate agnitum, Consules D. Joan. Scheyring, artium & utriusq; Juris Doctor: & D. Heyne Aleman, S.P.Q.M. expensis renovari ac restaurari curarunt. Anno Domini M. D. XXXIX.

SERVESTAE.

INSCRIPTIO GYMNASII

HÆc rasæ nuper fratrum fundata caterva,
Atq; cuculligero tecta dicata gregi,
Aonidum addixit templis, Christoq; sacravit
Ascaniæ princeps fama decusq; domus.
Sic de tergemino meritus præclarius orbe,
Sic rebus patriæ commoda plura ferens,
Quám cúm pervigili Alcides custode peremto,
Abstulit ad Grajos aurea poma lares.
Deniq; sic magni mensuram nominis implens
Ascane quod primo de genitore refert.
Salve Musarum spes, & pietatis asylum,
Quo florent urbes præside, rura, foci.

In Nicolai.

Hoc sua sub tumulo tegit inclytus ossa Joannes
Anhalti Princeps Ascaniaq; Comes.
Huic pater Ernestus virtute insignis avorum
Et generis clarus nobilitate fuit.
Margaris ex ducibus Monsterbergensibus orta
Mater erat, variis pectoris aucta bonis.
Hinc genus antiquum trahit, hinc exordia princeps
Sumit, in hac cujus membra teguntur humo.
Qui patriam magna curaq; fideq; gerendo
Perpetuo meruit laudis honore coli.
Nam charæ ad patriæ respexit commoda, donec
Vixit, & Ascanico præfuit imperio.
Felices cujus ductu auspicioq; fuerunt
Cum populis urbes, curia, templa, schola.
Lustra novem vitaq; duos compleverat annos,
Hunc avida rapuit cùm fera Parca manu,
Hunc igitur nobis licet invida fata tulerunt,
Et necuit talem mors violenta virum,
Tres tamen hæredes patriæ post fata reliquit,
Hos tua perpetuó dextera Christe tegat.

Aliud.

Hac situs in terra recubat, cui terra Joanni
Fatale Erdmanno nomen & omen erat.
E terra geniti sub terram quisq; redimus,
Natus humo, sub humum rursus humatur homo.
Huc omnes properant, huc tendunt Cyrus & Irus,
Vita bonos pariter mors rapit atq; malos.
Hîc ubi de Sorabis Servesti mœnia dicta
Incolit Ascaniæ stirps generosa domus,
Magnanimo dotuit confessus pectore Christum,
Quinq; ubi cum lustris anni abiêre duo:
Quód nihil in cælis operum fiducia prosit,
Sola sed in Christi sanguine fixa fides.
Victor ad inferni qui cùm descenderit hostem,
Mortiferæ domuit noxia monstra Stygis.

Non huic mellito ſpiravit ab ore venenum,
Conſona ſed menti lingua manuſq; fuit.
Pacis amans, ſtudio quærebat ſimplice pacem,
Sæpe eſt conſilio rixa diremta viri.
Non pedibus pariter templo inſiſtebat & aulæ,
Contentus ſortis conditione ſuæ.
Tres ubi cum luſtris duodenis vixerat annos,
In domino placida morte ſepultus obit.
Mors aditus vitæ, mors ipſa eſt janua cæli,
E medio juſtis funere vita redit.
Deſine livor edax, nihil obſunt verba ſepulcris,
In Chriſto moriens omnia victor habet.

WULFENBUTLIAE.

Hic Dux Henricus prope corpora cara duorum
Natorum, Mavors quos truculente necas,
Conditur, ac latus cæleſti pace quieſcit,
Ridet & ærumnas, impie munde, tuas.
Quæ mala non vidit? quos non tulit ipſe labores?
Aurataq; chlamydis non minus atq; togæ.
Tertius at patriæ ſpes unica ſtirpis Iulus,
Humanos caſus aſpice, regna tenet.

Obiit anno 1568. xv. Julii inter 7. & 8. veſpertinam.

STATHAGAE.

EPITAPHIUM D. OTTHONIS Comitis Schoumburgii.

Hic utrinq; ſua conſortis imagine cinctus
Stat Comes illuſtris Jodoci filius Ottho,
Ottho Comes Schoumburgiacæ primaria gentis
Gloria, conſilio præſtans, dextraq; fidelis
Enſifera, Turcusq; olim Gallisq; tremenda:

Cæſarium

Cæsaribus dum pro patriis, & rege Philippo
Bella gerit victor. Sed quem nec tela, nec hostes
Devicêre, ardens mox pustula vicit, amanti
Et patriæ eripuit. flet Mars, flevere Camœnæ.
Ipse agit æternos cælesti in pace triumphos.

EPITAPHIUM

Mariæ Pomeranicæ D. Otthonis Comitis Schoumburgii uxoris.

Hæc Maria est Pomeranorum sata principe forti
Barnimo, quam conspicuus florentibus annis
Ottho Comes sibi consortem delegit, amore
Casto ardens: cui fulvo auro magis aurea virtus
Corpore in eximio regnans, animusq; pudicus,
Admorant faculas. quater illam masculus hæres
Effecit matrem, quorum Ottho hac conditur urna.
Tres etiam nunc consilio & virtute supersunt
In patria & foris illustres, & honoribus aucti.
E cælo genitrix quibus omnia fausta precatur.

IN STATUAM

Elisabethæ-Ursulæ Lünæburgiacæ D. Otthonis Comitis Schoumburgii relictæ viduæ.

Pulcra quidē hæc statua, & matrona illustris imago est.
Pulcra oculos, formosa genas, digitosq; tenelles;
Sed quæ viva memor mortis sibi talia condi
Ursula mandavit, longé est, formosior illis.
Omnia sunt muta hîc, motuq; & sensibus orba.
Illi autem pulcro mens est in corpore longé
Pulcrior. est sermo mentis pulcherrimus index:
Est pietas, grege castarum comitata sororum.
Ergo illam vivam potiús, quám flebile marmor
Ut liceat spectare, pio patria ore precatur.

Memoriæ

JOHANNIS CRUSII ISLEBIENSIS.

Cui vitam Islebium dederat, cui Baltica Rhosus

Excoluit mentem & vocem; Schoumburgius heros,
Cujus consiliis operaq; est usus alacri;
Crusius hîc recubat, qui dum servire paratus
Omnibus est; sibimet non sat bene serviit ipsi.
Tabe etenim illius sicca hac sub mole quiescunt
Ossa, sed æterna fruitur mens viva quiete,
Viventem & multis, ne sit sibi mortifer uni,
Admonet, accusans passim diversa sequentes.

CELLAE.

EPITAPHIUM ERNESTI DUCIS BRUNS. ET LUNEB. QUI obiit anno 1546. 2. Jan. æt. 49.

EXigua Ernestus Dux hîc requiescit in urna,
Lunæburgensis fama decusq; soli.
Aurea quo patriæ Duce pax est reddita nostræ:
Et cœpit Christi notior esse fides.

SOPHIÆ ERNESTI CONJUGIS, QUÆ obiit anno 1541. 18. Junii.

Hac tumba Sophiæ requiescit nobile corpus,
Quæ chara Ernesti Principis uxor erat.
Sponsaq; jam Christi cælesti gaudet in aula,
Spernens præ veris ista caduca bonis.

FRIDERICI OTTHONIS DOMINI Brunf. & Lüneb. qui obiit anno 1553. 20. Julii, ætatis 21.

Hîc etiam frater posuit juvenilia membra
Fridericus pacis nobile nomen habens.
Qui tua dum sequitur Maurici castra, decorum
Accipiens vulnus, fortiter occubuit.

FRAN-

FRANCISCI OTTHONIS DUCIS BRUNS. & Lüneb. qui obiit anno 1559. 28. April.

Hîc etiam illuſtris Frantz-ottho conditur urna,
At mens caleſti vivit in arce Dei.
Chara quid extinctum conjunx, quid patria luges?
Non moritur, vita qui bene functus obit.

MEMORIÆ

Catharinæ Tileniæ Cellenſis, Melchioris Danquardi Secretarii Megapolitani uxoris pudiciſſ. ſeptimûm prægnantis, ſed inter Henricopol. & Brunſvigam ebrii aurigæ incuriâ cum viro & duobus filiolis bis vehiculo excuſſæ, & ita conſternatæ & læſæ, ut pauló póſt huc delata, abortum fecerit: & undecimo póſt die, ipſa quoq; pié obdormierit: & hoc ipſo in templo, quod ante an. XVI. ſponſa adierat, in ſpem lætiſſimę reſurrectionis, ſepulta ſit. Anno CIↃ.IↃ. XXCIV. Decemb. XII.

Maritus conjugi dulciſſ. & opt. de ſe meritæ pietatis ergó cum luctu & lachrymis P.

MISNICA.

FRIBERGÆ IN MISNIA.

MAURITII DUCIS SAXONIÆ TUMULUS MARMOREUS, TABELLIS DISTINCTIS.

I. TABELLA.

MAuritius Dux Saxoniæ, Henrici filius, Alberti Nepos, Erneſti pronepos, in hac urbe naſcitur, XII. CAL. Aprilis, matre Catharina Mechelburgia, ducis Magni filia. M. D. XXI.

II.

Avus Mauritii Dux Albertus, Friderici III. & Maximi-

liani Imp. hostes, Matthiam regem Ungariæ pepulit ex Austria; Carolum Galliæ é toto ejecit Belgio. Obiit M. D.

III.

Pater Mauritii Dux Henricus, Gubernator Frisiorum, in urbe Franica de vita periclitans, peragrata Palæstina & Gallicia, uxorem ducit, anno ætatis XXXIX. M. D. XII.

IIII.

Georgio fratre mortuo, Henricus provinciis ejus potitur, fovensq; á tribus agnatis defensam religionis & veritatis causam, divino patriã afficit beneficio. M. D. XXIX.

V.

Mauritius Dux Agnetem Philippi Hassiæ Landgravii filiam natu maximam, de qua Albertum filium, & Agnetem filiam sustulit, conjugem eligit, anno ætatis suæ XX. M. D. XLI.

VI.

Patri Henrico ad regna cælestia ex ærumnis humanis feliciter sublato, Mauritius succedit, magna expectatione virtutis, summa ordinum omniũ gratulatione. M. D. XLI.

VII.

Imperii sui temporibus Ecclesias & Academias conservavit, & auxit. Ludos illustres tres aperuit, Dresdam, Lipsiamq; splendidé munivit, arces novas fecit, ornavit veteres. M. D. XLII.

VIII.

Cum electore agnato orta de Wurcina oppido controversia, specimen industriæ singulare dedit, & consilia pacis, suadente socero Landgravio, non invitus admisit. M. D. XLII.

IX.

In obsidione Budæ Ungariç, animus ducis nullius prçsentior, militis nullius virtus eminentior Mauritii fuit, suis stipendiis ultro militantis. M. D. XLII.

X.

Carolo V. contra Galliæ regem Franciscum ad oppidum Veromanduorum Landrecium opem tulit, pro sua suorumque majorum erga imperatores perpetua observantia. M. D. XLIII.

Carolo

XI.

Carolo iterum contra Gallum auxilio veniunt ipſe & frater, cum equitatu lectiſſimo, & ad Divum Victorinum hoſtes pari alacritate & impetu aggreſſi, claram reportant victoriam. M. D. XLIIII.

XII.

Henricum ducem Brunſvicenſem ſocero & agnato imparatis, arma ſubitó inferentem, ſuo adventu terruit, & actiones omnes ita moderatus eſt, ut bellum jam ardens ſine cæde extinguerent. M. D. XLV.

XIII.

Carolo Imp. bellum difficile Germanis faciẽti, ne provinciis paternis & avitis, dubia rerum fortuna exueretur, arma ſocia jungit, injurias domi foriſq; timendas á ſuis populis arcet. M. D. XLVI.

XIIII.

Mauritius dux ob præſtitam conſtanter fidem, & navatam ſtrenué operam Imp. Carolo, ab eodem Rom. Imp. Enſifer & Elector ritu ſolenni declaratur. VI. Cal. Mart. Comitiis Auguſt. M. D. XLVIII.

XV.

Urbem fortiſſimam Magdeburgum, pactiones á Carolo oblatas recuſantem, publicæ militiæ dux factus, graviter obſidet, quam menſe demum XV. conditionibus ſané tolerabilibus in poteſtatem redigit. LII.

XVI.

Durante obſidione, ne qua occaſio in Germania novi tumultus relinqueretur, in agro Hadelenſi, Verdenſis diœceſis, collectam militum manum incredibili virtute & celeritate diſſipat. M. D. LI.

XVII.

Carolum Imp. Romanorum, ut fidem ſocero datam liberaret, captis Alpium Rhæticarũ anguſtiis, impugnat: conventu Paſſano pacem religioni, libertatem principibus, decus Germaniæ reſtituit. M. D. LII.

XVIII.

Solymanni Imperatoris copias, ducto in Ungariam victore exercitu, terrore nominis ſui intra præſidia conti-

net: insulam Danubianam munit: cladis exitiosæ metum genti pené oppressæ adimit. M. D. LVII.

XIX.

Alberto Brandeburgio, armis & incendiis in patriam sævienti prope arcem Peinam ad vicum Siffridshusium congressus, in cursu victoriæ globo ferreo feritur. tertio póst die obiit, v. Id. Jul. M. D. LIII.

XX.

Augustus dux Saxoniæ Elector, Mauritio fratri, bellorum omnium victori, felici, & magnanimo, pietatis causa, hoc monumentum fecit, cúm vixisset gloria perpetua, annos XXXII. mens. III. d. XXI. h. X.

EPITAPHIUM LOTHARII IMPERATORIS inventum in membranis antiquis á Georgio Fabricio.

Lotharius sceptro, ceu Carolus alter adepto
Æquo judicio præfuit imperio,
Diruit errorem regni, firmavit honorem,
Inclytus Italiæ victor & Apuliæ.
Exuitur membris, heu trina luce Decembris,
Ecclesiæ gemitus, illius est obitus.

MISNAE IN TEMPLO D. VIRGINIS.

EUGE VIATOR.

Durum, si nescis, frangit patientia.

ANNA

Gentis Betschitz nobilis fœmina, immensis malorum actacasibus, armis munita patientiæ victrix sæpe, nunquá succubuit, hîc magnum exemplum statuit, unus funestus dies, tres charissimos, Theodoricum Commerstad conjugem, duosq; filios (infandum) gravidæ abstulit, ipsaq; sola mœrens, secundis relicta nuptiis, quæ quidē quamvis contigissent non perinde bonæ; tamen suo more evicit

cit patientia. Ergo malorum sortita terminum, huc nomen suum illibata contulit: pudica, benigna, patiens, matronarum decus omnium. In Christo requiescit suaviter. Mortua est die XXV. mensis Junii, ætatis suæ LXXXI.

Liberi piissimæ matri mœrentes F.C.

AD HENIGII OLIM DECANI
Misnensis tumulum.

Ave pater, rex creator,
Ave fili, lux servator.
Ave pax & charitas:
Ave simplex, ave trine,
Ave regnans sine fine,
Una summa trinitas.

IN SUMMO TEMPLO LEGITUR
hoc epitaphium.

Sepultus est hîc in Christo venerabilis D. Georgius Roschitz, quondam hujus Ecclesiæ Canonicus, qui te amice lector plurimum salvere, & bene valere jubet. Tu vicissim, si pius es, ipsius animæ requiem precare. Obiit die VIII. mensis Julii.

ALIUD.

Moribus innocuus, præclaro stemmate Princeps,
Qui nivea placidus simplicitate fuit:
Illa luce diem vidit, qua milite multo
In Phrysios genitor de patria ivit agros.
Uno qui vixit tantummodo mense maritus,
Postq; avi septem lustra, reliquit humum.
Ante patrem moritur, qui nulla prole relicta,
Post etiam vitam finiit inde suam.
Scilicet ex omni nil cuiquam parte beatum.
Fata manent juvenes, credite, fata senes.

IN TEMPLO AFRANO.

Serhusium domus est, clari virtute parentes,
Nomen Johannes, gens mihi Schleinicia.

Mors est visa quies, aliam scio speroq; vitam,
Hic cinis ipse, novus quando futurus homo est.
Hoc posuit pietas fratrum officiosa sepulchrum:
Mens & amor nobis quatuor, unus erat.

ALIUD.

Pro patria pugnans justis Michaëlus in armis,
Pro patria cecidit vir generosus humo.
Donec erit virtus laudi, laudabitur ipse,
Inter praestantes gloria rara viros.
Sivershusa tenet corpus, mens incolit astra.
Schleinicia gentis fama, decusq;, vale.

ALIUD.

Nobilitas, & opes & clari fama laboris,
Et studiis mores excoluisse bonis,
Magna viro laus est: sed nil praeclarius illa,
Quám patriam, & verum quám coluisse Deum.
Laude hac, Schleinicia de gente Georgius ortu
In vita fuerit morteq;, clarus erit.
Hunc tumulum nati caro posuere parenti,
Et dulci conjunx officiosa viro.

FILIOLO GEORGII FABRICII.

D. O. S.

Vixi quinq; dies: vivo nunc omne per aevum:
In Christo factus rursus imago Dei.

*

Mors mea, vita mea est.

D. O. S.

Vivis in amplexu Christi dulcissime fili,
Et quo latetur mens tua semper habet.

*

Solvor morte mea, Christi virtute resurgo.

ALIUD.

Haupoldum primis pugnantem vidit in armis
Gallia, Schleinicia nobile stirpe satum.

Anti

Ante Trecas cecidit, dum perstat fervidus hostis,
Signa novans uno ter repetita die.
Quem sua gens, & quem mœsti flevere parentes,
Sed latum cernent mox meliore loco.

D. O. S.

Gestavit teneris te sedula mater in ulnis,
Nunc manus excelsi te fovet alma Dei.

*

Terrena vide; cælestia crede.

ALIUD.

Cernis ut ignitis raptetur ad alta quadrigis,
Spectatus celsa mente propheta Dei.
Sic queis Christus amor, queis Christum cura docere,
Ad cali niveis castra vehentur equis:
Inter quos etiam nunc tu lætaris Alexi,
Addite calicolis pars veneranda choris.
Et quem Misniaca docuisti pastor in urbe,
In claro illius lumine lætus agis.

ALIUD.

Paratum est cor meum Domino, paratum est cor meum.

DEO OMNIPOTENTI SACRUM.

Hugo decus gentis Maxenæ in flore juventæ
Concidit, ut rigua flos speciosus humo.
Fatalem in morbis variis cúm cerneret horam,
Ad Christum toto pectore versus, ait:
Est tua delictis major clementia nostris,
Victor, Christe, tuo sanguine mortis ero.
In te credo unum, corpus tibi pono caducum,
Inq; tuam patiens omnia trado manum.
Hugo Dei vivens templum fuit atq; quiescens,
Nunc colit in cælis aurea templa Dei.
Elizabetha parens, dilectaq; nomina fratrum,
Hoc mœsti titulum constituere loco.

EXTRA URBEM AD D. WOLFGANGI, *epitaphium Johannis Rivii.*

JESU CHRISTO SACRUM.

Johan. Rivio Atthendor. viro opt. & mag. mor. severiss. præclaré de præsentibus posterisq; merito; ornato á principib. culto ab eruditis: cum Anna con. & Paulo fil. morbo populari extincto, hac terra condito: Georg. Fabricius Chem. Præceptori suo incomparabili. Obiit Cal. Januarii, M. D. LIII.

DOMINUS ADJUTOR IN OPPORTUNITATIBUS.

G. FABRICIUS VIVUS DE SEIPSO.

Fabricius studuit bene de pietate mereri.
Sed quidquid potuit gloria Christe tua est.

Σοὶ χάειν οἶδα θεῷ ἀπλάγχνῳ ὅς μ' ἐδίδαξε
Ἐν βιοτῇ τε θανεῖν, ἐν θανάτῳ τε βιῶν.

MARTISBURGI.

AD effigiem & sepulcrum Rudolfi, quem Saxones contra Henricum IIII. Imperatorem crearunt, hoc legitur monumentum:

Rex hoc Rudulfus patria pro lege peremptus
Plorandus meritó conditur in tumulo.
Qua vicêre sui jacet hîc sacra victima belli.
Mors sibi vita fuit, Ecclesiæ cecidit.
Rex illi similis, qui regnet tempore pacis,
Consilio, & gladio non fuit á Carolo.

WITE-

WITEBERGAE.

IN TEMPLO ARCIS.

IN TABULA SUPRA LAMINAM æneam posita.

CONtinet hic tumulus Martini membra Lutheri.
Nosse sat hoc fuerat, sed tamen ista lege.

EPITAPHIUM D. MARTINI LUTHERI juxta effigiem illius in lamina ænea.

Hic propé Martini rursus victura Lutheri
In parvo tumulo molliter ossa cubant.
Quæ priús horrendis errorum pressa tenebris
Atq; operum obscura nube sepulta fuit,
Hoc monstrante iterum patefacta est gratia Christi,
Quæq; Deo acceptos nos facit esse, fides.
Namq; superstitio cúm regnum cæca teneret,
Et premeret longo dogmata vera situ;
Ille Dei afflatu monitus, verboq; vocatus,
Lucem Evangelii sparsit in orbe novam.
Instructusq; tuba Paulinæ & fulmine linguæ,
Explosо cœpit vera docere dolo.
Utq; agnum in media Baptista ostendit Eremo,
Qui pia pro populi victima labe foret:
Sic quoq; monstravit te maxime Christe Lutherus,
Cúm totus tenebris obrutus orbis erat.
Et Legis tabulæ, quas in Sinaide Moses
Allisas fregit rupe, Propheta Dei,
Quid distent Evangelio, quod pectora sanet
Conscia quæ culpæ, terruit ira Dei.
Hoc prius amissum discrimen reddidit orbi,
Essent ut Christi munera nota magis,
Arguit Ausonii fraudes atq; impia regna
Pontificis, populo quæ nocuere Dei.

Pollutasq; monens vitare idola per aras,
Ad verum adduxit corda levata Deum.
Magnanimusq; Deo cursum servante peregit,
Insidias contra multiplicesq; minas.
Tandem ex hac vita tranquilla morte vocatus,
Ardua propitio venit ad astra Deo.
Sentit ubi coram felicia gaudia Christo,
Veraq; post obitum præmia vivus habet.
Grata Deo tanto sit pro Doctore futura
Ætas, quæ Christi dogmata vera sciet.
Atq; oret precibus Deus hanc quam præbuit orbi
Lucem Evangelii servet ut ipse sui.

Decessit in patria sua Isleben,
Anno á natali Christi M. D. XLVI.
Die Februarii XVIII.
Anno ætatis suæ LXIII.
Academia Witeberg. ut filia patri dilecto F.C.

In Lapide.

MARTINI LUTHERI S. THEOLOGIÆ D. CORPUS H. L. S. E. QUI ANNO CHRISTI M. D. XLVI. XII. CAL. MARTII EYSLEBII IN PATRIA S. M. O. C. V. ANN. LXIII. M. III. D. X.

Epitaphium Philippi Melanthonis, é regione D. Lutheri, laminæ æneæ inscriptum.

Vitam, fortunasq; suas, studiumq; laboris,
Quiq; opera sanctam consiliiq; fidem
Impendit divina tuis, Ecclesia, rebus,
Teq; pius varia juvit & auxit ope:
Hac in parte sibi post mortem structa Melanthon
Communi in luctu busta Philippus habet.
Qua templi foribus magni vicina Lutheri
E regione solum, quod tegit ossa, videt.
Bretta hunc vitales natum produxit in oras,
Bretta Palatini limes amœnus agri.

Undi

Unde propinqua petens adiit bonitate suorum
Diverso Aonidum templa sacrata loco.
Ludus enim puerum accepit Phorcenidos urbis,
Eytelbergiaci mox schola gymnasii.
Doctrina hinc fecit juvenem alma Tubinga magistrũ,
Eximium laudis gessit ubi ille decus.
Inde triumphator Monachorum Capnio jussit
Albidos hunc ripam visere Saxonici.
Tunc nova dux Fridericus ubi collegia Musis
Romani fundans ensifer Imperii,
Undiq; conductis præstanti laude parabat
Artis & ingenii reddere clara viris.
Hic socio ipso annis viginti octoq; Lutheri
Wittenbergiacæ res fuit ampla schola.
Quam septem bis adhuc provexit deinde gubernans
Fluctivagam ut vastum per mare nauta ratem.
Heu tempestates quas hic perpessus, & ad quam
Sævos hæc scopulos acta carina fuit!
Quantum externi odii, quantum invidiæq; suorum,
Ingratorum hominum quæ maledicta tulit!
Ipse tamen, quamvis reflantibus undiq; ventis,
Directum est, retinens vera, secutus iter.
Fortia nec clamor latrantis pectora turbæ,
Nec vulgus strepitu movit inane suo.
Summa petit livor. nemo hunc superare nisi ipse
Posset, si studiis ocia suppeterent.
Ista sub obliquo norunt quoq; sole locati,
Quiq; sub opposito forsitan axe jacent.
Scripta sed illius memorabilia inter & acta
Plurima, quæ solida nomina laudis habent,
Unum opus eximium est, Fidei confessio sancta
Ante tuos Cæsar Carole lecta pedes.
Languida qua Christi jamdudum Ecclesia nitens
Rursum oculos audet tollere læta suos.
Concurrant inimici omnes licet undiq;, hic unus
Confutare potest improba dicta liber.
Ac tua nunc terris floret bona fama Philippe,
Vivit & æternum spiritus ante Deum.
Corpus at exanimum tumulo hoc requiescit humatum,
Condecorant grata quem monumenta scholæ

Ille quòd expletis, senio curisq; gravatum,
Sexaginta annis, exuit atq; tribus.
Sic, morbo ut paucis nisi debilitante diebus,
Muneris officium fecerit omne sui.
Atq; olim atherias veniet revocatus in auras
Integer, & mortis liber ab inde metu.
Sancte vir, & salve pater optime. Te tua semper
Nos soboles merita relligione colet.
Doctrina nobis vera tu doctor & autor
Hæc, tua, clare atas munera laudis habet.
Salve iterum atq; iterum. Tua nos immota manebit
Semper apud memores gloria, nomen, honos.

Acad. Witeberg. Phil. Mel. parenti & præcept. optimé merito posuit Joach. Camer. S. S. M. F.

Natus est D. Philippus Melanthon anno Chr. M. CCCC. XCVII. mensis Febr. die XVI. post VI. horam vespertinam in oppido Palatinatus Bretta.

Mortuus est D. Philippus Melanthon anno Christi M. D. LX. mensis Aprilis die XIX. dodrãte horæ post VI. vespertinam, Witebergæ.

IN LAPIDE SEPULCRI.

PHILIPPI MELANTHONIS S. V. CORPUS H. L. S. E. QUI AN. CHRISTI M. D. LX. XIIII. CAL. MAII. IN HAC URBE M. O. C. V. ANN. LXIII. M. II. D. II.

IBIDEM.

Philippo Melanthoni, sacrarum literarum solertiss. & fideliss. explicatori, veritatis cælestis patrono & propugnatori imprimis strenuo. opt. disciplinarum & artium cúm instauratori tum conservatori: qui omnem doctrinam, quasi vagam ac dissipatam collegit & ad certam rationem revocavit: viro pietate, studio puræ castæque religionis, sapientia, virtute, humanitate, benignitate erga omnes præstanti, feliciter & sanctè in terris mortuo. XIII. CAL. MAII. C. V. An. LXIII. M. II. D. II. H. I. Acad. Witeberg.

Witeberg. cui ille totis ann. XLII. operam navaſſet, H. M.P.C.

ALIUD.

Annæ Joachimi Camer. Papeberg. F. fæminæ ſpect. piet. & diligentiæ; ingenio præſtanti, & omni matronali laude atq; virtute muliebri ornatæ, quæ anno E.M.IIII anté filiolo elato. Et D.XI. filia una, filiola & viro ſuperſtitt. poſtquam acerr. morborum cruciatus animo conſtante pertulerat, perſeverans in precibus ardentiſſ. & religioſiſſ. invocatione filii Dei, ſeq; ipſam & alios confirmans, ſalutaribus verbis ita felici fine clauſit vitam in terris, anno ætat. XXX. conjugii X. Chriſti Jeſu M.D.LVIII. XVI. Cl. VIIIbr. in hac urbe Witeberg. quó venerat cum marito Eſromo Rudingero Papeberg. accerſito ad doctrinam Acad. publ. cui hic uxori cariſſ. deq; S.O.M. extra hoc templum ſepultæ, in luctu ac mœrore gratus & memor, H.M.P.C.

Beati Q.I.D.M.

IN ÆDIBUS GEORGII CRACOVII.

Vita quid eſt hominum, niſi ſpes incerta, metuſq;?
Hæc inter dubii vivimus & morimur.

IN MONASTERIO AD PORTAM ELISTRINAM, *ſupra Principum Electorum Saxoniæ imagines.*

ACADEMIAM WITEBERGENSEM

Fridericus III. Dei benignitate Dux Saxon. ſacri Romani Imperii Elect. & Archimarſchallus, Landgravius Turingiæ & Marchio Miſniæ	Johannes Dei benignit. Dux Saxon. ſac. Imper. Elect. & Archimar. Land. Turin. & Marchio Miſniæ	Johannes Fridericus Dei benignitate Dux Saxo. ſac. Rom. Imp. Elect. & Archim. Landgr. Tur. & Marchio Miſniæ & Burggr. Magdeburgenſis
INCOAVIT.	CONSERVAVIT.	FUNDAVIT.

ACADEMIAM WITEBERGENSEM

Mauritius Dei benignitate Dux Saxon. sacr. Rom. Imp. Elect. & Archimarsch. Landgravius Turingiæ, Marchio Misniæ, & Burggravius Magdeburgensis, BELLO DISSIPATAM INSTAURAVIT.

Augustus Dei benignitate Dux Saxo. sac. Roman. Imp. Elect. & Archim. Lãdgr. Turin. Marchio Misniæ & Burggr. Magdeburgensis EXORNAVIT, AMPLIFICAVIT & CONFIRMAVIT.

IBIDEM.

Super effigiem Dn. Lutheri.

Reverendus vir Doctor Mart. Luth. Dei benignitate dux & author repurgationis doctrinæ Evangelicæ á cœno & fermento Ecclesiæ Romanæ.

Super effig. Phil. Mel.

Reverendus vir Dn. Phil. Mel. Dei benignitate sub duce Luthero vindex & defensor veritatis Evangelicæ, & purioris Philosophiæ instaurator.

EPITAPHIUM DN. GREGORII Baronis á Lamberg.

Dum te Christe sequor, cupiens tua dogmata rectè
Discere, & é puris fontibus illa peto:
Tu quoq; me sequeris, medioq; in flore juventæ
Abripis, ut doceas in meliore schola.
Ergo lubens moriar, fiat tua sancta voluntas.
Sim semper tecum perpetuoq; tuus.

Vitus Winsheim senior F.

IN MURO EXTERIORI TEMpli Parochialis.

Anno 1558. die 8. Maji, Georgius, & sequenti anno eodem die Christophorus FRS, filii reverendi viri D. Georgii Majoris, Theol. Doct. ex hac mortali vita evocati, his duobus cubiculis concluſi, expectant redemptorem resusci-

resuscitaturum mortuos in Domino, ad æternam vitam & lætitiam.

LIPSICA.

IN LIPSIAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Lipsia, se ostentans sublimibus aurea tectis,
Lumina dum saturat, mens perit icta fame.
Vecta quibus ratibus longinqua marmora terra?
Unde frequens flavi pura nitela Tagi?
Huc Cyprum, huc Temesum, huc Arabas, huc Serica dicet
Sedibus evulsa huc Indica regna suis.
Cúm gemma bibitur, vincuntur nectare gemma:
Sed lingua varius vincit utrunq; nitor.
Nec Germana tamen vitiatur Lipsia luxu:
Ast hunc Germanum Lipsia magna facit.

INSCRIPTIONES.

In Curia

Supra januam Synedrii.

Erstlich/wenn jhr zu rath seyt gesessen/
Sollet jhr Gottes vnd ewers ayds nicht vergessen.
Zum andern/keiner sachen nicht vorwagen/
Vor allen dingen von gemeinem nutz rathschlagen.
Zum dritten/den armen halten als den reichen/
So wird Gottes gnad nicht von euch weichen.
Zum vierten/die bösen ohn alle gnad strafen lan/
So wird ewer Regiment in allem guten bestan.
Werd jhr aber das verachten vnd krencken/
So wird euch Gott in das hellisch fewr versencken.

Ibidem.

Peditus est cupidé qui turpia fœnora captat,
Fraude suam parto ditet ut ære domum.

De malè quæsitis ni tertius excidat hæres,
Nec quartus certè nullus adire potest.
Sed magis ille sapit, Domino qui fidere novit,
Inq; sua degit conditione pius.
Hunc ultro sequitur cunctarum copia rerum,
Et velut in somno quod cupit omne, capit.

D. O. M.

Simon Pistorius LL.D. obiit III. Non. Decembr. An. Christi M. D. LXII. ætatis LXXIII. pater liberorũ XXIII.

VITA NOSTRA FIDEI VITA EST, NON CONTEMPLATIONIS.

Clauditur hoc tumulo Simon Pistorius, is qui
A patre præclaro nomen avoq; tulit.
Saxonica vixit qui Cancellarius aulæ,
Ultra quinq; gerens lustra regentis onus.
Ingenio præstans, studio indefessus, honore
Summus, consiliis utilis, ore potens.
Quod mortale fuit tellus tenet: indita famæ
Nominis haud ullo stat violanda die.

Patri clariss. filii mœstiss. P.C.P.C.

Simon Pistorius artium & LL. Doct. in erudita familia natus, magnis honoribus functus, eruditos & honoratos linquens filios superstites: quem urbs Papia docuit, patria Lipsia ornavit, Aula Saxonica observavit, sub hoc saxo corpore conditur, animo vivit felicitate sempiterna. Obiit anno M. D. LXII. die III. Decemb. hora V. pomeridiana.

M. P. S.

Magnifico & ampliss. viro Domino Modestino, Simonis F. Simon. N. Nicolai pron. Pistorio Jurisc. & Facult. in studio hoc Lipsiæ ordinario: Qui cùm proavi Cos. Lipsi. & avi Medici utriusq; præstantiss. & patris Jurisc. summi ac magnif. viri nomen celeberr. & Pantsman. honestiss. genus maternum, propria ac singulari dignit. virtut. sapientiæ laude, & cùm aliorum titulorum, tum consularis muneris in hac urbe insignib. clarius ornatiusq; reddidis-

set; post obitum lectiss. fœmina Barbara conjug. S. Magnif. & ampliss. viri domini Ludovici Fachs filia, secundi conjugii gravida uxore relicta, & ipse pié ac religiosé ex hac vita excessit, cum max. non suorum modó, sed totius civit. atq; externn. quoq; luctu. an. Christi M.D.LXV. cúm vixiss. an. XLVIII. M.IX. D.VI. superstitt. liberi piæ & honorificæ memoriæ ergó, parenti S. cum omni reverentia cariss. H.M.P.CC.

ALIUD.

Paulo Vetzero, patriâ Nördlingensi, Doctori Medicinæ, honore, & dignitate præstanti in Academia Lipsica: qui anno Jesu Christi M.D.LII. die III. m. Martii M.O. C.V. anno LIIII. & Magdalenæ ex antiqua hujus urbis Baurorum familia secutæ maritum migrando ex hac vita anno Christi M.D.LXI. die XXVI. mense Maji: sororiqúe Mariæ, cujus natæ anno Christi M.D.XLII. sextus vitæ dies ultimus fuit: in fide Jesu Christi pié & religiosé consopitis parentib. b.m. & cariss. sorori S. Paulus filius & frater honorificæ & firmæ memoriæ ergó H.M.F.C.

Requiesce in spe resurr. in vitam sempit.

Hac mater q; pater q; mihi carissime, vester,
Et modó conspectâ mortua luce, soror,
Filius & frater posui monumenta sepulcri,
Ipse opere hoc luctum testificando meum.
Cætera narrabunt alii. Memori & mihi grato
Officium, satis est persoluisse meis.

Joachimus Camerarius Papebergensis Θ. an. Christi M.D.LXXIIII. die XVII. April. commendans sese immensæ misericordiæ divinæ, in fide Jesu Christi salvatoris generis humani. cúm vixisset annos LXXIIII. dies V.

Anna uxor ejus ex familia Truchsesiorum de Gruensberg. Θ. anno Christi M.D.LXXIII. die XV. Julii, cúm vixisset sine omni querela cum marito ann. integros XLVI. Parentib. optimis liberi mœstissimi P.C.

H.L.S.E. corpus opt. disciplinarum & artium Magistri Leonhardi Lycii, Professoris eruditæ doctrinæ & physicæ Philosophiæ in Academia Lipsensi, viri probi, & omnibus bonis cari. Quód, cúm extulisset ipse antea in cómune cœmiterium carissimam conjugem suam, filiola una suscepta, & conservato deinde casto toro, Anno XII. hac in sacra Academiæ æde sepeliri placuit, pié & religiosé mortui. M. Vlis die XI. Anno Christi M. D. LXX.

ALIUD.

Siste viator gradum, pii manes te rogitant. Monumentum quod cernis Hugoldo Pflug est conditũ. ast ipse longé aliud, quod nullis unquam consenescit seculis, sibi liberalitate ac virtute insigni vivens posuit. Vixit annos XLVI. Mortuus XXV. Septemb. Anno * Hæc te scire volui. Ave amice. Vale.

IN ÆDIBUS FINKELTHUSIANIS.

Christianus.

Mundi cúm species pereat citó, gloriaq; omnis;
Qua via dic vita Paule sequenda mihi?

Paulus.

Vive Deo, justé partis rectè utere, & hora
Quamvis mortalem te simul esse scias.

IN VICINIS ÆDIBUS.

Commorandi nobis aliquandiu hîc tempus concessit natura, locum permanendi non dedit. Quid ergo in caducis superbis Terra & Cinis?

Sic transit gloria mundi.

IN ÆDIBUS HORTORUM D. MARci Pfeifferi.

Cúm meus in medio dominus me poneret horto;
Nocturnis terror furibus, inquit, eris.
Jam dices, quis te metuet casa muta? sed audi,
Injustum terret qualibet umbra virum.

IBI-

IBIDEM.

Heus tu, quisquis in hæc furtim viridaria reptas,
Ne continge tua non tua poma manu.
Sed tangis, video: faxit Deus ergo quod opto
Cum malis nostris & mala nostra feras.

IN ÆDIBUS D. AUERBACHII interioribus.

Quæ neq; pauperibus, neq; mole potentibus auri,
Nec pueris novi parcere, nec senibus:
Mors vocor, impositum nunquid malé dixero nomen?
Quód fugere á morsures nequit orta meo.
HOMO BULLA.

IBIDEM.

Ædificandi omnis ratio á necessitate primúm orta est, eam póst aluit commoditas, & honestavit usus; ultimum fuit, ut voluptati quoque nonnihil indulgeretur.

H. S.
Mihi struxerunt alii, grandævus ego posteris.
Anno á nato Salvatore M. D. XXXII.

Extra.

Mors certa est, incerta dies, hora agnita nulli,
Extremam quare quamlibet esse puta.

O mensch werestu so starck als Samson/
Auch so schön vnd jung als Absolon/
Vnd hettest Alexandri macht vnd gewalt/
Vnd Hippocratis kunst manigfalt/
Dennoch mustu werden dem bittern tod gleich/
Das mögen mercken arm vnd reich.

IBIDEM.

Hoc postremum operum fuerit fortasse meorum,
Namq; instat vitæ jam propé meta meæ.
Extruat ergo alius posthac, ego lampada trado.
Jam domus in cælo est ædificanda mihi.

Ampliſſ. V. præſtanti dignitate & ſapientia Jurisc. eximio, D. Ludovico Fachſio, Illuſtriſſ. Principum Mauricii & Auguſti ELL. Conſiliario, Profeſſ. Jurisc. in Acad. Lipſ. ordinar. de Rep. & civib. S. B. M. autori judicior. & V. conſulari. mœſtiſſ. uxor & liberi ſuperſtitt. conjugi & parenti opt. ac cariſſ. S. H. M. P. CC. Mortuus pié, placidé. An. Chriſti M. D. LIII. VIII Id. April.

PIÆ MEM. P.

Qui prius eximia præſtans virtute ſideq́,
Non habuit meritis ingenioq́, parem,
Conſiliis clarus Ludovicus Fachſius, hujus
Defuncti patrium nunc tegit oſſa ſolum.
Hujus conſiliis aulam prudentia rexit,
Judiciorum idem regula certa fuit.
Juris item ſtudium, & legum doctrina ſalubris
Ordinis hoc habuit præſidiiq́, caput.
Hæc capit exigua ſpatium memorata tabella,
Hujus ſed cunctos enumeranda viri.
Illuſtres laudis titulos, & nomina honorum,
Non capiant veteris totius æra cypri.

Beati mortui qui in Domino moriuntur.

ALIUD.

Effigies illuſtriſſ. Principis Ducis Saxon. Mauricii Elect. qui agens an. XXXIII. bello neceſſario fuſis fugatiſq́; hoſtibus, ipſe fortiſſ. pro patria dimicans, accepto fraudulenti ictus vulnere, die póſt III. in Caſtr. conſtantiſſ. & religioſiſſ. ſanctam animam Salvatori Chriſto noſtro tradidit. V. die Jul. anno Chriſti Jeſu M. D. LIII.

TITZMANNI DUCIS MISNENSIS JUXTA altare templi S. Thomæ trucidati.

Titzmannus ego ſum: me olim genuere parentes
Albertus Princeps, Margaretaq́, pia.
Imperium titulumq́, dedit Thuringia nobis:
Marchia Luſatia, Miſena & ipſa potens.

Quæ

Quæq; patet vetus in planis Libanotria campis,
Et qua mundano flumine Ptisna lavat.
Frater erat Fridericus idem Mavortius heros:
Pro patria mecum prælia dira subit.
Nam superare datum est nobis victricibus armis
Bohemiæ populos, Saxoniæq; duces.
Marchio de Brenburgk Waldemar nomine dictus,
Agmine devictus vincula nostra tulit.
Ascanius Princeps cecidit quoq; cuspide nostra:
Sed vitam supplex hic miser emeruit.
Romulidûm reges, Albertus, Adolphus, & alter,
Non poterant nostras frangere Marte manus.
Viribus, ô pietas, nostris sed terga dederunt,
Cæsareis opibus tunc ego dives eram.
Innumeri & nostro cæsi sunt ense Süevi,
Audentes patrios sollicitare deos.
Omnia sic vici, durum sed vincere fatum
Non potui, Lachesis quod dedit atra mihi.
Objicit illa mea crudelis pectora ferro,
Dum steteram cautus in medio Ecclesiæ.
Sic victor victus cecidi; virtute triumphos,
Et laudes meritas non rapit ulla dies.

Obiit 8. Cal. Jan. Anno 1280.
Dantes Florentinus fecit.

DRESDAE.

SUB STATUA HERCULIS.

DIvo Maximiliano II. Imperatori Max. Cæs. Augusto, ob desideratiss. illius adventum, Augustus Dux Saxoniæ Elector, gratulationis & observantiæ ergó fieri curavit, ut heros inclytus sectam Calvinisticam in has terras irreptam, & dissimulanter nutritam, Deo juvante suo, & opprimeret & vinceret: sicuti Lernam Hercules, numerosum licet monstrum, igne tandem vicit & mori docuit.

MONETÆ FUNEBRIS IN OBITU ELECTORIS CHRISTIANI SAXONIS.

Sinceræ in Deum & patriam fidei exemplo posteris relicto: obiit XXV. Septembris, Anno M. D. XCI.

JACTURAM OSTENDET DIES.

WIRZEBURGENSIA.

IN SUMMO TEMPLO.

CONrado á Thungen Episcopo Wirzeburg. & Franciæ orientalis Duci, præcipuæ viro justitiæ, egregiæ eruditionis, temperantiæ singularis, acutissimiq; judicii, qui primo statim susceptæ administrationis limite arreptum vesani hujus seculi disidium, seditio, & calumnia severiter diu & contumeliosé habitum, uná cum Ecclesia ejus, extremæ pené subiecissent internecioni, in DEO suffragante, adversus iniquissimæ fortunæ procellas vigili prudentia, infracta dexteritate, tolerantiaq; miranda graviter superasset, æquiore seculo digniss. Vixit autem annos plus, minus LXXIIII. Præfuit an. XXI. mens. IIII. d. X. Obiit XVI KAL. Julii, Anno sal. M. D. XL. communi suorum mœrore & luctu. Ut umbra corporis comes: sic fascium cura, labor, ærumnæ, atq; mille pericula. Quæ strenué utentem sequuntur undiq;, sed vincit ille cuncta qui fidit DEO.

AD TUMULUM MAURITII AB HUTTEN Episcopi Eystettensis, &c.

Aspicis humana brevis ut sit linea vitæ,
Ut dubias verset mors inopina vices.
Fata manent quemvis, humili seu stirpe parentum,
Sive sit á magnis nobilis ortus avis.
Grandia nec prosunt vel pondera divitis auri,
Lecta vel in rubro gemmea gaza mari.

Omnia

Omne relinquendum est, cùm venerit horula mortis,
Suave priùs quicquid, vel tibi dulce fuit.
Talia peccati labes ab origine prima,
Noxius hæc meruit præmia lapsus Adæ.
At bene qui vixit, moritur bene, dignus olympo;
Sanguis & quanquam corpus inane jacet:
Vis tamen haud animæ cum corporis interit umbra,
Vita sed huic Christus, mors erit ipsa lucrum.
Vive memor lethi quisquis cælestia curas,
Sic lethi victor gaudia læta feres.

Vixit an. 49. dies 11. Obiit VIII. Id. Decemb. An. 52.

JULIUS EPISCOPUS WIRZEBURG. ET DUX Fran. cariss. fratri suo Sebastiano Echtero á Mespelbron, U. J. Doctori posuit.

Ut tibi care meum frater testabor amorem,
Qui raperis fatum junior ante meum?
Hoc tua componam, quod nunc licet, ossa sepulchro,
Perpetuas animo constituamq́; preces.
Morte tua dolui, lacrymas fudere parentes,
Tu sapiens, doctus, religiosus eras.
Spes erat auxilio mihi te, sed vana, futurum,
Imperii dum me sarcina bina premit.
O utinam pariter possis ut vivere mecum,
Tempora sint vitæ dimidiata meæ.

Obiit anno Domini 1575. die 7. Novembr. Anno ætatis suæ 30.

AD TUMULUM JOHANNIS SINAPII, Medici clariss.

Heu vester ille concidit Sinapius,
Lugete Musæ, quem tulit Suinfordia
Mater parenti consuli. Vos inclytæ
Duxistis alti sub jugum montis deæ,
Ubi Latinas Atticasq́; litteras
Felix puer cum lacte primo disceret.
Majora Phœbus huic repente contulit,

Artem medendi, industrium ut juvenem decet,
Hac ille carus regibus multis fuit;
Primùm Renatæ Franciæ ad ripam Padi:
Deinde magno Præsuli Zobellio,
Aliisq; multis: atq; cùm prudentia
Præstaret, eloquentiáq; viribus;
Quintus loquentem comprobavit Carolus.
Nil ergo mirum si modó Sinapius
Vivit, nec ejus unquam abolebitur decus.
Mens sancta cælo continetur, anxié
Diem resuscitationis expetens,
Christo jubente quando spiritus suum
Corpus reducet, atq; vivent mortui.
Vale viator, & memor Sinapii,
Cui Bruma vitam, Bruma funus attulit,
Vivumq; trade mortuumq; te Deo.

DEO IMMORTALI SACRUM.

Et virtuti ac memoriæ clementiss. Principis Melchioris ex antiqua Zobelliorum gente, Reverendissimi hujus Ecclesiæ Præsulis sexagesimi; qui adolescentia multis magnisq; in negotiis acta, cùm proximum ab eo, qui primus est in amplissimo collegio, dignitatis gradum adeptus esset; unanimi deinde amplissimi Senatus consensu, caput Ecclesiæ Wirzeburg. inclytæq; Ostrofranciæ Dux factus, magna laude, summo erga suos studio, summa voluntate, egregia fide, singulari pietate, justitia, temperantia, annis octo Rempubl. administravit. Idem Marchico deinde bello sævissimo, tentatis frustra sæpe conditionibus, extrema perpeti, quám suos in hostium potestatem venire maluit. Ideoque sumptus incredibiles, maxima pericula, damna, direptiones, incendia, omniaq; hostilia fortiter in tertium usque annum sustinendo; tandem prælio, ac periculo vitæ ter hostibus in fugam actis, patriam á crudelissima servitute liberavit, pacem, ac tranquillitatem subditis suis, Deo adjuvante, restituit, totiq; Imperio factum suum comprobavit. Sed, ô fallacem hominum spem, fragilemq; fortunam, quadriennio póst, pace jam com-

compositâ, Anno D. LVIII. supra millesimum, XVII. Cal. Maji, á XV. conjuratis, illius belli reliquiis in prooppido insidiantibus, ex urbe in arcem ascensurus, globo per papillam sinistram nefariè trajectus, unâ cum duobus nobilibus aulicis suis præstrenuis juvenibus, W. Carolo á Wenckheine, & Jacobo Fuchs, pro patria, quam conservarat, mortem in Christo felicem, nobis autem perluctuosam, Princeps optimus gloriosè oppetiit, cùm annos XIII. menses VIII. dies V. præfuisset; Reverendissimus Amplissimusq; Princeps Fridericus á Wirsberg, Episcopus, ac Franciæ Dux, successor, & in ejus morte deoranda studiosissimus, H.M.P.C.

ALIUD.

Conditur hac Daniel Stibarus vir magnus in urna,
Quem meritó sequitur gloria, fama, decus.

D. O. M. S.

D. Danieli Stibaro á Rabeneck, hujus ædis ac aliarum aliquot Canon. & Præpos. Eq. ord. viro, pietate, eruditione, rerum experientia, omniq; adeó virtutum genere, non privatis tantùm & suis, sed summi ord. principib. etiam exteris probatiss. nec non literatorum ac bonorum omnium fautori patronoq; singulari: qui in graviss. Reip. negotiis annis amplius XX. summa fide & integritate versatus, ita ut salutari ejus consilio multoties adjutam sese patria perspexerit, pro cujus & salute, bello turbulentiss. temporib. necessariò legationis munere perfunctus, deficientibus in itinere viribus, brevi póst tempore, non sine magno multorum, ac opt. cujusq; mœrore, succubuit. Vixit annos plus, minus LII. Execut. Test. F. CC. Anno 1555.

MEGAPOLI TANA. DOBERANI.

EPITAPHIUM PRIBISLAI, PRIMI FUNDATORIS *hujus monasterii: qui fuit filius Nicoloti, Vagriorum, Circipanorum, Polaborum, Obetritarum, Kissinorum, Vandalorumq; Regis Illustrissimi.*

PRibislaus filius regis Nicoloti, primus fundator hujus monasterii, inclytus ac religiosissimus, cujus reliquiæ sunt hîc conditæ.

IN MEMORIAM SEMPITERNAM Inclyto Heroi, doctissimo, optimoq; Principi & D. Dn. Magno, Duci Megapolensi, Henrici filio, & Suerinensi Episcopo, qui anno Domini M. D. L. Calend. Febr. Butzovii pié obdormivit.

EPITAPHIUM.

Doctrina proavis, nulli virtute secundus,
Et Megales poleos Dux tumulo hoc tegitur.
Nomine Magnus erat, re major at ille futurus,
Improba mors saltem si voluisset, erat.
Acer in asserto constans & pectore verbo,
Et vera viguit relligionis apex.
Et pudor, & probitas, & dulcis gratia morum,
Certatim donis hunc poliere suis.
Eloquio Nestor, felicis acumine mentis,
Dulichio valuit non minus ille sene.
Imperii proceres facunda munere lingua,
Aures & mulsit Carole Dive tuas.

Judicium

Judicium pietas, & rebus in omnibus ardens
Virtus, & patriæ constituebat amor.
Illius ex alto Cimbrorum sanguine conjunx
Edita, Friderici filia regis erat.
Quæ Magnum, veluti generosum Porcia Brutum
Humectans lacrumis Elisabetha suis,
Condidit huc vita functum, cineriq; quotannis,
Ut bene sit, votis officiosa rogat.
Illius occasu quantum Meglaburgica damni
Stirps tulit, extincti candida fama docet.
Extremum moriens solum te, Christe, vocabat,
Cujus in optato jam cubat ille sinu.

Elisabetha, inclyti Danorum Regis Friderici, piæ memoriæ, filia, conjugi suo dilectissimo, optimeq; merito, in spem futuræ resurrectionis, plena lacrumarum, posuit.

DEO OPT. MAX.

Illustribus Principibus Megapolitanis, quotquot hoc Templo in majorum monumentis cōditi sunt, Illustriss. Princeps Ulricus, Dei gratia, Dux Megapol. & conjunx Elisabetha, ex regia Danorum stirpe nata, Duciſſa Megapolitana, Majorum suorum cum honore & pietate colendorum, memoriæ causa posuerunt, Anno instauratæ salutis CIↃ IↃ XXCIII.

Salvete ô animæ, regum generosa propago,
Quos tulit illustris terra Obetrita Duces.
Namq; alii ob patriam, Mavortia castra sequuti,
Majorum similes, sustinuêre mori.
Victores alios decus immortale tulisse,
Testantur forti fixa trophæa manu.
Sunt quos grata Deo pietas, & pectore puro
Proveniens stimulat relligionis amor.
Justitiam coluêre alii, tranquillaq; pacis
Tempora, legitimi juraq; sancta fori.
Multi suaviloquas, studio flagrante, Camœnas,
Doctosq; in patria constituêre viros.

Hinc gladios alii ſtringunt, diroſq; latrones
Interimunt, & quos publica damna juvant.
Quo pax alma data eſt, quo ſunt commercia tuta,
Securum lætus carpe, viator, iter.
Hinc Solymas alii viſunt, terramq; beatam,
Et loca prodigiis, Chriſte, notata tuis.
Vos patriæ heroas, poſt fata ſuprema, ſepulcris,
Et titulis claros hæc loca ſacra tenent.
Hîc tu Pribislaë, jaces temploq; quieſcis,
Condendi cujus maximus auctor eras.
Aſpice quos natos tibi poſtera ſecla tulerunt,
Gens viden' ut circum te numeroſa cubet?
Multa hîc connubio felix matrona ſepulta eſt,
Quarum poſteritas prole beata fuit.
Henricus jacet hîc, factis qui forte Leonis
Inter vicinos nomen & omen habet.
Hîc Alberte cubas, Sueonum qui regia quondam
Rexiſti longo tempore ſceptra manu.
Quid Magnum memorem? cujus poſt fata nepotes
Æternum meritis hoc retulere decus.
Hîc patris Alberti, poſtquam fatalia ſolvit,
Majorum in tumulis oſſa ſepulta jacent.
Filius Henrici hîc Magnus, quo doctior alter
Nec major ſancta Dux pietate fuit.
Felices animæ, vos nulla pericula vitæ
Attingunt, nec mors ulla timenda manet.
Vos pridem proprio mundatas ſanguine Chriſtus
Fontis ad ætherii concomitatur aquas.
Ulricus princeps, veſtro de ſtemmate natus,
Jam columen patriæ, & fida columna ſuæ,
Æmula virtutum, regalis ſtirpis, Eliſa,
Ulrici conjunx, nomina clara gerens,
Majorum tumulis poſuerunt, rité precantes,
Fac, Pater, in nato molliter oſſa cubent.

Nicolao

Nicolao Marſchalco, Thurio, & litterarum & linguarum omnium viro doctiſſimo, Juriſq; prudentia inſigniter claro, tanquam bene merito, Henricus Megalopyrgenſium Dux, gratiſſimus Princeps, monument. poſuit.

Hoc Nicolai habitant Marſchalci funera ſaxo,
Henricus Princeps hæc monumenta dedit.
Henricus Princeps, quo non modó ſanctior alter,
Et Megalopyrgos Vandalicosq; regit.
Omnia conſiliis, cum multa pace, gubernans
Doctorum ut ſemper, ſic, Nicolaë, tuis.
Hinc meritó funus tanto ſepelivit honore,
Virtuti gratus inclytæ & officiis.

Moritur Roſtochii XII. Julii, M. D. XXV.

SUERINI IN TEMPLO.

DEO OPT. MAX.

Optimo Principi Henrico Magni filio, Duci Megapol. veræ religionis, ſanctæ Juſtitiæ, & diuturnæ pacis cuſtodi Joann. Albertus, Dux Megapol. patruo ſuo chariſſ. ac bene merito, memoriæ poſuit.

V. A. LXXIII. D. 5.

Obiit Suer. VIII. Id. Febr.

Anno M. D. LII.

Henrico prognatus avo Magnoq; parente,
Hic ſitus Henricus condita membra tegit.
Qui bonitate ſua, & meritis linguaq; ſenili
Neſtor erat patriæ duxq; paterq; ſuæ.
Neſtore quin melior pietate, & pacis amore,
Nunc ergo æternæ gaudia pacis habet.

DEO OPT. MAX.

Opt. & Magnifico Principi Alberto, filio Magni, Duci Megap. animi magnitudine, virtutis, ornandæq; patriæ ſtudio præſtanti, Joan. Albert. Dux Megap. parenti opt. & chariſſ. memoriæ poſuit.

V. A. LX. D. 5.

Obiit Suer. VII. Id. Januar.

Anno XLVII.

Henrico generatus avo Magnoq; parente
Hoc Dux Albertus conditur in tumulo
Magnificus, magniq; animi, patriamq; juvando,
Ornandoq; ſimul, juſtitiaq; potens.
Quin etiam multa natorum prole beatus,
Quos colit eximios Herula terra Duces.
Fortunate ſenex, tua molliter oſſa quieſcant,
Vita etiam natis ſit diuturna tuis.

D. O. M.

Illuſt. Principi Magno, Henrici F. Duci Megap. Epiſcopo Suerinenſi, pietate, doctrina, & humanitate præſtanti, fratri patrueli ſuo chariſſ. Joan. Albertus Dux Megap. memoriæ poſuit.

V. A. XLI. D. 5.

Obiit Butzovii III. Cal. Februar.

Anno L.

Filius Henrici, princeps re & nomine Magnus,
Flos patriæ ante patris funera mœſta cadit.
Par fatum Antilocho nactus, ſed clarior illo,
Et melior ſtudii ſedulitate ſui.
Scilicet ingenio cunctos ſuperavit & arte,
Quos habet eximios Teutonis ora Duces.
Illius ad tumulos Pitho, Aonidesq;, Themisq;,
Tam celebrem lugent non ſupereſſe ducem.

Fortiſſ. & rei militaris tractatione celeberr. Princ. Georgio

orgio Duc. Megapol. qui pro patr. pugnans, eidem suum sang. ad Francfurt. impertivit, fratri chariss. Joan. Albertus Dux Megap. ejusdem belli socius memoriæ posuit.

V. A. XXIII. D. 5.

Obiit XX. Jul.

Anno M. D. LII.

Hic Magno prognatus avo, Albertoq; parente
Dux jacet, Herculeo robore, corde, manu.
Princeps á primo pugnare Georgius ævo
Suetus, & hostiles vi superare minas.
Mars dolet, effundit lachrymarum flumina Mænus,
Optantes tantúm non cecidisse Ducem.

MEMORIÆ JOAN. ALBERTI DUCIS Megapol. Principis litterati, & litteratorum fautoris.

Inclyta Johannes-Albertus gloria secli
Conditur hîc, præstans dux, patriæq; pater.
Non fuit hoc melior princeps nec doctior ævo:
Nec patriis terris qui bona plura dedit.
Illustrem verbi lucem, qua sidera adimus,
Primus hic in tota gente vigere jubet.
Idola evertit Latii pius impia Papæ,
Complexus certo dogmata recta libro.
Fortia & arma capit sociis cum Saxone, & Hesso,
Per quæ libertās, paxq;, salusq; redit.
Christo cum Musis hic primus in urbe Rosarum
Instaurat, patriæ cor, oculumq; scholam.
His etiam é terris fugiens Astræa retenta,
Anno dat quovis publica jura quater.
Rité suas dirimi caussas Ecclesia gaudet,
Inspiciuntq; sacros pectora fida greges.
Clemens, munificus, verax, bonus, integer, æquus,
Sobrius, ac veré relligiosus erat.
Regibus & summis tota meritisq; fideq;
Carus in Europa, principibusq; viris,

Ante Dei faciem nunc fulget ſideris inſtar,
Sicut in his terris fulſit imago Dei.
Grata cui tribuet meritas Eccleſia laudes,
Verus & illuſtri luce vigebit honos.

Opt. Princ. D. Joanni Alberto, Alberti filio, Duci Megapol. veræ relig. & doctę Humanit. ſtudioſiſſ. Joannes Dux Megapol. filius parenti chariſſ. cum lacrumis memoriæ poſuit.

JOHANNIS ALBERTI D. M. IN PUERITIA apud Boruſſ. extincti cenotaphium.

Hic ſitus Albertus, quo ſe jactabat alumno
Herula gens, hic ille patri matriq; voluptas,
Spes patriæ, magni proles generoſa parentis,
Felicis nimiùm, propria hæc ſi dona fuiſſent,
Quæ tantùm Deus oſtendit, mox abſtulit orbi.
O celebrande puer, cæli pars nobilis, alter
Tu Marcellus eras: tumulo date lilia plenis
Pierides calathis, veſtri in monumenta doloris.

D. O. M. S.

Anna-Sophia, Marchionis Alberti, primi Ducis Boruſſiæ, ex Dorothea Danica, filia: Friderici I. Regis Daniæ & Norvegiæ neptis: Caſimiri Regis Poloniæ proneptis: Illuſtriſſ. Johannis-Alberti Ducis Megapol. uxor: Alberti, ante parentes in Boruſſia, apud avum defuncti, nec non Johannis & Sigiſmund. Auguſti Ducum Megapol. mater: Adolphi-Friderici, & Johan. Alberti, Johannis F. F. Ducum Megapol. avia. Quæ cúm anno CIↃ IↃ LV. Februarii XXV. Johan. Alberto Duci Megapol. nupſiſſet, eoque anno CIↃ IↃ LXXV. Februar. XII. extincto, annos XV. vidua fuiſſet; tandem ipſa quoq; anno CIↃ IↃ XCI. Februarii VI. maritum ſecuta eſt, ejuſque exuviæ á filiis mœſtiſſ. ad patris deſideratiſſ. latus, in ſpem glorioſiſſ. reſurrectionis depoſitæ ſunt. Anno

CIↃ IↃ XCI. Martii XVII.

Sic orimur, morimur, morsq; ipſa ab origine pendet.

Ejus-

EJUSDEM EPITAPHIUM.

Expers invidiæ, fastus, timidiq; pavoris,
Casta pudicitiæ & relligionis amans,
Annorum satura & vitæ, nec egena bonorum
Regibus exortam quæ decuere nurum,
Filia, sponsa, uxor, genitrix, avia & soror illa
Magnorum generis nobilitatę ducum,
Hîc Sophia-Anna cubat, proles qua mascula matrę
Atq; avia, haud deerit gens Obotrita tibi.
Si Deus haud renuat, quo ceu nil triste benigno;
Sic nihil irato stare vel essę potest.

D. O. M. S.

Illustriss. Princeps Joannes, Joannis-Alberti Ducis Megap. filius & successor, á puero litteris excultus, pacis & justitiæ amator & defensor, blasphemiæ, scelerum & libidinum osor, erga subditos benevolus & mitis, Ecclesiarũ & Scholarum nutritius, in omni boni Principis officio laboriosus, cúm Stargardiæ immatura, sed pia tamen morte é vivis excessisset; mortalitatis suæ reliquias non procul á paternis maternisq; hîc deposuit, anima in paradisum recepta, conjuge interim Illustriss. Sophia Cimbrica, & liberis trib. superstitib. lamentantib. lugente, & non immeritó, tota provincia.

Natus est anno Christi CIↃ IↃ LIIX. die VII. Martii. Decessit XXII. Martii antiqui. An. CIↃ IↃ XCII.

HELENÆ PALATINÆ.

Alta Palatinis Helenam me Norica castris
Duci Obetriteo sors voluêre toro.
Quod potui feci: vetuerunt plurima Parcæ:
Præstabunt proles quæq; negata mihi.
Proles, quam juvenem charo commendo marito,
Me gratam superis, lector amice, face.

AD ORGANUM PNEUMATICUM.

Deo opt. max. instauratæ sac. sanc. religionis Autori,

Joan. Albertus Dux Megapolensis, insigne hoc opus Musicum pietatis ergo posuit.

ANNO M. D. LX.

AD SUGGESTUM.

Deo opt. max. trino & uni, docendi propagandiq; salutiferi verbi ergo, Canonici hujus Ecclesiæ hoc suggestum suis sumptibus posuerunt.

ANNO M. D. LXX.

D. O. M. S.

Helenæ Rotromundiæ, conjugi suæ dulcissimæ, ad perpetuum integri & sinceri amoris honorem & memoriam, Tilemannus Stella Sigenensis, maritus infelix mœrensq; pietatis ergo posuit.

Vixit annos 27. m. 7. d. 3. h. 12. obiit anno 1561. 14. Calend. Novemb. hora 5. matutina, mœrore animi consumpta, quód maritum suum charissimum, cúm is honesta de caussa in Belgium avocatus ibidem diutiús detineretur, mortuum falso rumore credidisset.

Rex David comitante universo populo Israël, arcam fœderis Domini cum vario organorum genere in pub. omnium ordinum lætitia Hierosol. inferebat. 1. Paral. xv.

GUSTROVII.

IN CATHEDRALI.

D N. Elizabethæ, Sereniss. Daniæ & Norvvegiæ Regum Friderici I. Filiæ: Christiani III. Sorori: primúm Magni, deinde Ulrici Illustriss. Ducum Megapolitanorum conjugi. Quorum huic peperit Sophiam Friderico II. Regi Septentrionis Max. nuptam. E qua cúm nepotes III. & inter eos etiam Christianum IV. Regem electum, & nept. IV. natas, avia feliciss. cum marito in Dania invisset: in ipso ad Megapol. suos reditu, dum in Falstria Austro adverso

adverſo tenetur: febri correpta, ibidemq; XV. Octobr. ex ſuorũ oculis, non animo ſublata, pié expiravit: & XXIIII. Novemb. monumento huic exuvias ſuas, ſpe lætiſſ. reſurrect. intulit. Anno ætat. LXII. Chriſti CIↃ IↃ XXCVI. Matri patriæ, & conſorti optatiſſ. viduus mœſtus P.

ALIUD.

Primi Danorum Friderici filia regis
E Sophia illuſtri Pomerana Principe⌣ nata,
Chriſtophori Megalepoleos Ducis inclyta conjunx,
Quam pietas, quam pura fides, quam gratia morum
Heroinarum decus effecere⌣, Deiq;
Donis Dorotheam fama ſuper æthera notam,
Huc tulit oſſa obiens, animam tu Chriſte⌣ tuliſti.
Hæc mœſta Eliſabeth poſuit monumenta ſorori.

Deceſſit XI. Novemb. Anno Chriſti M. D. LXXV.

ALIUD.

Pſal. 116. *Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorũ ejus.*
Pſal. 16. *Caro mea requieſcit in ſpe⌣.*

D. O. M. S.

Joachimus v. d. Luhe, Otthonis, Hæreditarii in Puttelkovv & Buſchemül F. Ulrici, Ducis Megapol. Martiſcal. & Conſiliarius, Collegiiq́ue Dobbertinenſis Præfectus, obiit anno Chriſti CIↃ IↃ XIIC. Die IX. Junii, ætatis LXIII.

IN ÆDIBUS LUHIANIS,
in faſtigio.

JOACHIMUS V. D. LUHE, SIBI
ET
GRATÆ POSTERITATI.
Anno CIↃ IↃ XXCIII.

In foribus atrii.

Exitus oſtendit, quó mundi gloria tendit⌣.

Supra januam domus.

Fruſtra, niſi Dominus.

In cœnaculo meridionali é regione menſæ.

Si dat oluſcula
Menſa minuſcula
Pace referta:
Ne pete grandia,
Lauta q́, prandia
Lite repleta.

In camino.

Fide, ſed cui vide.

Sub pictura Herculis, trahentis colum Omphales.

Impiger Alcides poſt tot fera monſtra ſubacta
Penſa trahens, dominæ fert miſer imperium.
Sic ingens non raró animus conſtans q́, laborum
Victor, fœmineis vincitur illecebris.

Mit reinem hertzen diene Gott/
Vnd halt für augen ſein gebott:
Mit ſtarckem Glauben auf jhn baw/
Mit gutem Gwiſſen jhm vertraw.

ALEX. MAGN.

Regium eſt benefacere,
&
Malé audire.

So vil du magſt/leb ſtill für dich/
Nach hohem ſtand dich ſehne nicht.
Vom höchſten ſchloſſz der donner kümt/
Herrn gnad ſelten ein gut end nimt.

Omnibus

Omnibus in rebus feliciter omnia cedent,
Si statues finem principiumq; Deum.
Spernere mundum, spernere nullum, spernere seſe,
Spernere se sperni, quatuor ista beant.

Wenn du fürhast ein wichtig sach/
So seh dich für vnd thu gemach/
Mit eil sol man nicht heben an/
Das man hernach nicht enden kan.

Qui sapienter agit rectè præsentia curat
Commendans placida mente futura Deo.
Nam sua sufficiens afflictio cuiq; diei est,
Inveniet q; suum crastina cura locum.

In Coenaculo occidentali hæc *symbola leguntur.*

Invidia vipera.		Livor in vivis.
Sal vitæ Amicitia.	Oculus in sceptro.	Quæ nocent docent.
Ditat servata fides.		Omnia præter animam.
Diffamare cave.		Revocare grave.
Tecum habita.		Præsentia cura.
Disce ferre moras.		Sustine & Abstine.
Memento diffidere.		Ausculta & perpende.

Inter ſpinas calceatus.	In fide & virtute.	Sperne te ſperni.
Pietas in fine coronat.	In ſilentio & ſpe.	In parvo quies.

ROSTOCHII.

IN MARIANO.

CHRISTUS PRO NOBIS MORTUUS RESURREXIT: *& nos mortui certó reſurgemus.*

D. Jacobo Bordingo, artis Medicæ Doctori, & Sereniſſimi Regis Daniæ Archiatro, vera ſapientia, & cognitione totius Philoſophiæ, & trium linguarum, & veræ de Chriſto doctrinæ, & omnium virtutum laude præſtanti: viro clariſſimo & optimo: qui in hac quoque Urbe & Academia, annis ſeptem vivens & docens, omnium bonorum & doctorum eximia ſtudia, & honeſtiſſimam ac perpetuam memoriam ſibi comparavit: & tandem Haſniæ deceſſit, Anno M. D. L X. die V. Septembris, hora IIII. veſpertina: cúm attigiſſet annum ætatis L. conjunx Franciſca Nigrona & liberi poſuerunt.

ARNOLDI BURENII.

Deo trino & uni.

Arnoldo Burenio, viro optimo & doctiſſ. præclaré de ſaniore philoſophia & elegantioribus litteris ante omnes apud nos merito; primúm animi & ingenii Principis Magni Epiſcopi Suerinenſis, Ducis Megapol. informatori: póſt hujus Academiæ Profeſſori primario: ejuſq; conjugi Annæ Schroderiæ, matronæ opt. & matrifam. diligentiſſ. Liberi ſuperſtites poſuerunt.

Burenius vixit annos XX C I. deceſſit an. D. M. D. LXVI. 17. Kal. Septemb.

Conjux

Conjux vixit annos LXXVI. decessit an. D. M. D. XXCV. 3. Non. Octob.

Τῇδ' ἐν σορῷ Βερηνίκ κεῖται δέμας.
Μάκαρ δ' ὁ νοῦς ἐν οὐρανοῦ ναίει πτυχαῖς.
Ἐκ γῆς δ' ὅλοιτ' ἂν οὐδέπω κείνου κλέος.

ANDREÆ MARTINI PASTORIS.

Hic scelerum terror, divini buccina verbi,
Martinus jacet Andreas, venerabilis ore
Augusto, præstans animi, zeloq; verendus,
Itala quem juvenem tellus cultissima vidit:
Dania quem magni pandentem oracula Christi
Obstupuit, cum Rege ipso, regumq; ministris.
Póst iterum patrii quem templa scholæq; Roseti
Audivere gravem eloquio, vitaq; decenti
Innocuum, nunc ille cava jacet obrutus urna.
Templa, schola, domuumq; patres, & patria plangat,
Vix habitura viro huic simílem, subeuntibus annis.

BARTHOLEMÆI BATTI ALOSTENSIS exulis propter Evangelicam confessionem. qui obiit 1558. 24. Januarii.

Plurima pertuleram quondam qui nomine Christi
Damna, sub hac recubo Bartholemæus humo.
Sole sub occiduo cunas præbebat Alostum,
Lambit ubi Treviri fertilis unda solum.
A puero placuere sacri mysteria verbi,
Illustrata tua, magne Luthere, face.
Hinc ego Pontificum fraudes arteisq; perosus,
Sincera tenui relligionis iter.
Quaq; Deum potui, colui pietate, fideq;,
Et labor in Christum credere solus erat.
Tota sed in ventris studio qua turba moratur,
Cœperat hinc studiis esse inimica meis:
Insidias struit, & falsó mihi crimina fingit,
Donec in hoc duro carcere clausus eram.
Sicq; tenebroso desedi squalidus antro,
Dum novies Phœbo Cynthia clara fuit.

At Gandæ Proceres, tandem (sit gratia Christo)
Exemptum veteri restituere loco:
Fecerunt́q; suæ civem me protinus urbis,
Cujus ego cultor bis duo lustra fui.
Hostibus indomitis donec gravis ira resurgens,
Et furor & tristes me petiêre minæ.
Inde meo capiti ferruḿq; igneḿq; parabant,
Heu quantum vera est in pietate crucis!
Exilio mutare domos patriaḿq; coactus,
Conjuge cum cara pignoribuśq; tori.
Plurima sustinui terráq; maríq; pericla,
Tædia multa viæ, tædia multa maris.
Donec ad hæc tandem deflexi littora cursum,
Quæ veræ hospitium relligionis erant.
Quod́q; superfuerat confecto tutiús ævo,
In studiis clausi fata suprema meis.
Sic mea me tumulo conjunx, proleśq; novena
Condidit, æterno mens mea juncta Deo est.

Doctori Matthæo Roselero, hujus Reipub. Syndico, & Academiæ Professori, excellentis ingenii, doctrinę, & eloquētiæ singularis viro, frater Georgius Roselerus p. Obiit anno M. D. LXIX. die XXIII. Aprilis, ætatis suæ XLI.

Sparge rosas lachrymis madidas, subsiste viator,
Hîc rosa perpetuo digna vigore jacet.
Quæ rosa? non Roselerus erat tibi cognitus ille,
Eximius Roseæ splendor honośq; scholæ?
Ignotus númne ille foret? Rosa candida salve.
Integer & niveus nam Roselerus erat,
Fragranteḿq; sui passim spirabat odorem
Floribus ingenii, floribus eloquii.
Hîc igitur Roselere cubas, ut amabilis orta
Quæ rosa luce fuit, vespere sicca jacet.
Nectę puer roseas tumulóq; appone corollas,
Non dubius vitam sic properare tuam.

Versuum auctor Nathan Chytræus.

JACENT HIC UNO IN TUMULO DUO FRatrimitini, Jacob. Meinstorp. & Henning. Wonsflet. NOBILES HOLSATII. quos uno mense Ecthymata in ipso Æt. flore, ex

re, ex HAC in cæleſt. ſcholam transtulere. Tu mœſtiſſ. parentum CHRISTOPH. Meinſtorp. & Waldemari Wonsſl. poſtrem. QUOD SIBI ab his ſperabant DEBITUM pié ſolventium luctui condole, dum hæc legis, tuæ quoque metæ VICINIOR.

OBIERE ILLE XXIIX. Sept. HIC XVII. Octob. An. 1588.

MORS MELIOR VITA TURPI.

POST CHORUM.

Conjugii exemplum ſancti Brandanus & Agne,
Corporis exuvias hîc poſuêre ſui.
Quadraginta tuis annos Wiſmaria Conſul
Civibus ut juſta præfuit ille fide.

IN S. PETRI.

Sepultura M. Joachimi Sluteri: qui anno 1523 primus Evangelium in hac civitate puré prædicare incepit, propter quod intoxicatus obiit, in die Pentecoſtes anno 32.

IN D. NICOLAI.

M. Georgio Reichio Saganenſi, viro pietate, doctrina, vitæ ſanctimonia, beneficentia, gravitate & zelo præſtanti, & in florida ſenectute fideliſſimo hujus Eccleſiæ paſtori: ipſiusq; filio Joſiæ Reichio S. Theologiæ Licentiato, patri doctrina & vitæ integritate non inferiori, & ejusdem in hoc templo ſucceſſori: viris optimis, & cum omnium bonorum gemitu extinctis:

Gertrudis von der Beke vidua, marito cariſſimo; mater filio deſideratiſſimo cum lacrymis, & ſpe futuræ reſurrectionis, ipſa brevi ſecutura, P.

Obiit pater anno 1565. 2. Octob. anno æt. 70.
Filius 1568. Cal. Maji, anno ætat. 33.

IN JACOBÆO.

Maxima noſſe mori vitæ eſt ſapientia, vivit
Qui moritur; ſi vis vivere, diſce mori, &c.

INSCRIPTIO CAMPANÆ HOROlogii Jacobæi.

Indice me quoties fugientes ſuſpicis horas,
Te toties greſſu mors propiore premit.

COLLEGII PHILOSOPHICI SUB Pallade armata.

Barbariæ victrix armataq́; Gorgone Pallas.

IN FRONTE ÆDIUM D. FRIDERICI *Heinii LL. Doctoris & Conſulis.*

CADUCA LINQUE.
MENS DUX ESTO.
COGITA, FACITO.
TE RESPICITO.

IN COENACULO DOMUS EJUSDEM.

QUATUOR ELEMENTA.

IGNIS.

Scintilla é minima en quantus tibi naſcitur ignis!

AER.

Aëris ad ſpecies animi mutantur & ipſi.

AQUA.

Vilis aqua eſt. ſed quanam illa ratione carebis?

TERRA.

Eſt eadem, ſed non omnis fert omnia tellus.

QUINQUE SENSUS.

VISUS.

Lucem oculis video, & varios diſcerno colores.

AUDITUS.

Conſona me juvat; offendit ſymphonia diſcors.

OLFACTUS.

Fragrante oblector, vitioſo offendor odore.

GUSTUS.

GUSTUS.

Insipidum & sapidum quid sit me judice constat.

TACTUS.

Sentio quid calidum aut gelidũ, quid molle, quid asprum.

PATIENTIA.

Frangitur adversis nunquam patientia rebus.

JUSTITIA.

Justitia sine nil toto sibi constat in orbe.

SAPIENTIA.

Vigila & memento diffidere, hi sunt nervi sapientiæ.

BONA CONSCIENTIA.

Hic murus aheneus esto;
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

RES HUMANÆ CADUCÆ.

Ut sunt humana, nil est perpetuum datum.

INSCRIPTIO DOMUS CLINGIANÆ.

Fide Deo, diffide tibi, fac propria, castas
Funde preces, paucis utere, magna fuge.
Multa audi, dic pauca, tace abdità, scito minori
Parcere, majori cedere, ferre parem.
Tolle moras, mirare nihil, contemne caduca,
Disce pati, & Christo vivere, disce mori.

Nathan Chytræus.

IN ALIA QUADAM DOMO.

DEUS *omnia cernit & audit.*

Innocuis vincit patientia sola triumphis.

φρόνει ταπεινὰ.
φεύγε δίκμα.

σέργε παρόντα.
μελέτα αἰώνια.

Tu rege me, ſano da ſanam in corpore mentem,
Vivere da rectè, da bene Chriſte mori.

Nihil eſt minus ferendum quám rationem ab altero vitæ & fidei poſcere eum, qui ſuæ non poſſit reddere.

Tutto quel che luce non e oro.

AUGUSTINUS.

Nimis perversé ſeipſos amant, qui ideo alios errare volunt, ut ipſorum errores lateant.

Nulla eſt juſtior ſpretæ veritatis merces, quám mendaciis mancipari.

Veritas laborare poteſt: opprimi non poteſt.

Felix eſt, non qui habet quæ cupit: ſed qui non cupit, quæ non habet.

PHILO.

Ἐν ἀπόροις πόρων ἀπορεῖν ἴδιον θεοῦ.

Cauſa bona eſt, bonus eſt Dominus, bona crux, bona ſpes eſt.
Et cur non animo me juvet eſſe bono?

Wer ſich jetzt wil ernehren/
Muß vil thun/vnd wenig zehren.

Ou bien, ou rien.

Vnd wern der Neidhart noch ſo vil/
So gſchicht doch was Gott haben wil.

Τὸ ἐνδὰν κεινεῖ.

Gedenck des tods vnd jüngſten grichts/
Sey from/traw Gott/ſonſt hilft dir nichts.

Rebus in adverſis una eſt medicina, Jehova
Cor patrium, os verax, omnipotensq; manus.

Bete rein/
Traw Gott allein.
Arbeite fein/
Die ſorg laß Gott befohlen ſein.

Wer Gott hertzlich vertrawen kan/
Der iſt ein vnverdorben man.

IN DOMUNCULA HORTI CUJUSdam ſuburbani.

Τὰ ὀπίλητα ὀπίτηλα.

Ut ſementem feceris, ita metes.

Chryſoſtomus.

Ὑποδημάτων ἄνδ κὰὶ ἱμαλίων δύναλον ζῆν. γεωεικῆς δὲ χωεὶς ἀμήχανον.

Fœcundante Deo, cujus benedictio ditat,
Floribus & fructu fertilis hortus erit.

Amplior in cælo domus eſt, & amœnior hortus.

Rebus ne crede caducis.

PLINIUS.

Honeſtis manibus omnia lætiús proveniunt: quoniam & curioſiús fiunt.

COLUMELLA.

Procul ab agro suo disitus, jacturæ suæ vicinus est.

PLINIUS.

Nullum justius genus reditus, quám quod terra, cælum, annus refert.

COLUMELLA.

In villicatione, sicuti in cætera vita, precioſissimum est, intelligere, nescire se quod nesciat, semperq; cupere, quod ignoret addiscere.

PALLADIUS.

Fœcundior est culta exiguitas, q̃ magnitudo neglecta.

Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus.

COLUMELLA.

Omnia quę seruntur diebus tepidis, meliús quám siccis aut frigidis seruntur. nam tepor evocat, frigus includit.

CRESCENTIUS.

Quæcunq; serenda sunt, cúm luna crescit, seminentur. quæ autem secanda, vel legenda, cúm minuitur.

MUSÆI CUJUSDAM.

Hoc ego musæum precibus studiisq; dicatum
Extruxi, ut parvum me quoq; parva decent.
Optime Christe fave studio nostroq; labori,
Me rege præsidio consiliisq; tuis.
Fac nihil hîc mediter, scribam, dicámve, legámve,
Quod non & laudi serviat omne tuæ.

ΘΥΜΕ ΒΛΕΨΟΝ ΑΝΩ.

Non hîc certa domus, non propria tecta parantur,
Quid proprium fluxis rebus inesse queat?

Nutpes

Nuper erat ſoceri domus hæc, mors abſtulit illum,
Cumq; hodie mea ſit, cras erit alterius.
Surſum igitur mens ægra vide magni atria cæli,
Hîc te certa domus, propria tecta manent.

WARENI IN MEGAPOLI.

IN TEMPLO.

AD SEPULTURAM EPISCOPORUM SUERINENSIUM ex nobili familia Buloviorum.

VOs qui transitis, memores noſtri quoq; ſitis.
Quod ſumus, hoc eritis, fuimus quãdoq; quod eſtis.

STARGARDIAE IN MEGAPOLI.

MAgnanimo heroi Ulrico, Henrici filio ex Stargardiæ Ducibus ultimo, Principi bellica laude, & heroica virtute clariſſimo:
Illuſtriſſ. Princeps Ulricus, Dei gratia, Dux Megapol. Princeps Vandalorum, &c. gratiſſimam in majores pietatem teſtatus ſuam, memoriæ poſuit.

Anno M. D. XXCIII.

Hoc tua nobilitas, toties ſpectataq; virtus
Promeruit, cippus ne rudis oſſa tegat.
Dux Ulrice, tibi ſtirpis data linea ſumma eſt,
Te tulit extremum Stargaris alta ducem,
Te genus, & proavi decorant, te ſtemmata gentis
Tollunt, tu factis nobile nomen habes,
Vicini ſenſere virum, ſenſere cohortes,
Victricesq; tuas extimuere manus.

Nonne hîc ad tumulum vagina conditus, olim
Principis Ulrici fatifer enſis erat?
Hoc fido accinctus gladio, ſæpe hoſtica caſtra, &
Clara Duces fudit Marchia terra tuos.
Hic Solymæ, Magno comitatus principe, templa
Vidit, tum Sinai ſaxa ſtupenda jugi.
At poſtquam varios hauſit ſub Marte labores,
Urget grandævum ſerior atq; dies;
Error ineſt rebus, ſic non ſibi mixta, veneni,
Ignarus ſceleris, pocula forte bibit.
Sed cúm poſtremum ſentiret adeſſe laborem;
Hos, cælum intuitus, fudit ab ore ſonos:
O quantum belli! quantus cum ſanguine ſudor!
Quatuor obq; aſſes, vile toralq;, DEUS.
Verúm ille ut merito poſthac in honore jaceret,
Principis Ulrici hoc nobile fecit opus.
Vivit perpetuó, mortisq; eſt neſcia virtus,
Si bene promeritos præmia digna manent.

D. S. OB. IN ARCE
STARGARDIA.
ANNO M. D. LXXI.

STRALSUNDII.

IN MARIANO.

MEMORIÆ

M. Samuelis Calandri, hujus Eccleſ. paſt. non lingua tantúm & veſte, ſed animò & vita veré Theologi: paternoq; erga auditores, & ſincero erga omnes affectu; & ſapientiæ eloquentiæque Chriſtianæ zelo præſtantiſſ. qui ut antea, ita in peſte quoque aliis inſerviens, ſeipſum conſumens, cum omnium bonorum mœrore & deſiderio, ad meliora eſt ſublatus. In ſpem certiſſimæ reſurrectionis, uxor cariſſ. marito, liberi opt. parenti cum lacrymis uber-

uberrimis P.P. Obiit ann. cIↃ IↃ xxc. mens. Septemb. die xx. inter xi. & xii. pomerid. Ætatis xl. Offic. xvii.

Inveni portum, dum tu jactaris in alto.
Eventu ut simili fac tua navis eat.

IBIDEM.

D. O. M. S.

Samuele Caloandro viro opt. & doctiss. hujus Ecclesiæ Pastore, & R. V. Joanne Sumingo ejusdem collega, procurantibus Simone Tœlemanno, & Michaele Stanekio, hujus reipub. Senatoribus benemerentib. & Matthæo Derhegero ac Joachimo Lemmichio civib. integerr. organum hoc pneumaticū, venti & tactus ministerio harmoniam edens suavissimam, in laudem sacrosanctæ & individuæ Trinitatis concinnatum & extructum est. Anno, &c.

Tu, si muta sonant summum instrumenta Tonantem,
Sis memor officii vivida lingua tui.

WOLGASTI.

EPITAPHIUM PRINCIPIS POMERaniæ D. Philippi, auctore Stigelio.

ET tua te lugens Pomerania mœsta requirit,
Virtutis studio tuta Philippe tuæ.
Justitiam pietate regens, æquissima Princeps
Jura dabas, patriæ dignus amore tuæ.
Vera tibi curæ divini gloria verbi
In Christo, splendet, quæ patefacta, fuit.
Veraq; justificæ fidei documenta fovebas,
Consona quam menti lingua professa fuit.
Puraq; ut assiduis studiis doctrina vigeret,
Fovisti auxilio templa Scholasq; tuo.
Artibus ingenuis, & doctis præmia linguis,
Dulcibus & Musis otia grata dabas.
Et fora judiciis ornabas, legibus urbes,
Ut premeret justus facta nefanda metus.

Pacis amans placidæ, bellorum damna cavebas,
Ornabas patriæ commoda justa tuæ.
Non impune tamen tibi quisquam bella tulisset,
Martia nec deerant viribus arma tuis.
Sed tibi digna magis res visa est parta tueri,
Quám temere externæ quærere sortis opes.
Lege tua assidui coluerunt arva coloni,
Ut pars neglecti nulla vacaret agri.
Hinc quoq; justa tuos auxerunt commoda census,
Nullaq; privatas vis tenuavit opes.
Ergo patrem Arcto te gens desiderat ora,
Qua ditant Heneti Baltica stagna freti.
Cumq; Henetæ luget sidus te gente Caycus,
Et cum Cassubio fortis ad arma Rugus.
Tu tamen ardenti Christum pietate professus
In cælo æternæ gaudia pacis agis.
Da Deus exemplum ut soboles generosa paternum
Impleat, & verbi nos rege luce tui.

Decessit Wolgasti anno natalis Christi M. D. L X. die Februarii XIIII. ætatis suæ XLV. Joannes-Fridericus, Bogislaus, Ernestus-Ludovicus, Barnimus, Casimirus, fratres, Pomeraniæ Duces, filii, patri dilectiss. F.C.

STETINI.

ANno 1551. die Junii XXIX. mortuus est Petrus Eggestedius, qui cum Margarita Pielsia in conjugio vixit annos XLIIX. Quorum ita fuit adaucta proles, ut dicta jam Margarita mater fuerit liberorum viventium XII. avia nepotum & neptium LXXIIX. proavia pronepotum & proneptium XLI. atq; ita oculis suis viderit ex se & liberis ac nepotibus suis natos CXXXI. Obiit tandem vidua anno ætatis suæ LXXXVII.

D. O.

D. O. M. S.

Hîc ſitus eſt Bernardus Metellus, procul hinc ad lacum Brigantinum honeſto loco natus, inq; Academia Tubingenſi & alibi ita excultus, ut non ſolúm Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris titulum, verúm etiã pauló póſt apud opt. & illuſtriſſ. Pomeraniæ principem Philippum Archiatri officium conſequeretur. Quo ille totos XXXII. annos apud defuncti quoq; Ducis filios, inprimisque Illuſtriſſ. Dn. Joan. Fridericum laudabiliter fungens, in Deum religioſé pius, in arte ſua (quod alexipharmacum novo modo ab ipſo confectum ſatis teſtatur) induſtrius & felix, deq; amicis plus ſæpe quám de ſeipſo ſollicitus, & ne in otio quidem fuit otioſus. vir aliâs in convictu jucundus, in negotio juſtus, in ædificiis magnificus, nec non veritatis amantiſſ. & ſimulationis diſſimulationisque oſor acerrimus, rarumq; adeó antiquæ virtutis & fidei Helveticæ

EXEMPLUM

Aliis magis quám ſibi vixit annos LX. pié Stetini obiit XXIX. Auguſti, Anno CIↃ IↃ XCI. Memoriæ mariti cariſſ. cum quo XXXVII. annos vixit ſine querela, Suſanna N. Auguſtana, vidua inter exteros mœſtiſſ. multis cum lacrymis P.

FRANCOFURTI AD VIADRUM.

IN TEMPLO PAROCHIALI.

Hieronymus Schurffius J. U. D. deceſſit anno 1554. cúm vixiſſet annos 73. & aliquot menſes, & interpretatus eſſet leges annos 50.

IN FRONTISPICIO DOMUS G. SABINI.

Parva quidem domus, ſed in hac habitante Sabino
Calliope ſedem gaudet habere ſuam.

DANTISCI.

IN MARIANO.

Quem virtus, quem dia gemit Medicina, potentes
Quem coluere urbes, quem coluere duces.
Felix ingenio, felicior arte Jacobus
Schadius hac tumulum nactus in æde cubat.
Charo mœsta viro conjunx, natusq; parenti
Hæc monimenta dedit, plus dare non potuit.

Obiit VII. Junii anno Christi
CIↃ IↃ XIIC.

ALIUD.

Cui natura potens, & alma virtus
Certatim sua contulêre dona,
Vir præstans pietate & eruditus,
Et Doctor Medicæ peritus artis,
Civis justus, obediens, fidelis,
Præclarum patriæ decus, domiq;
Et prudens pater, & bonus maritus,
In Christo moriens pié, hoc propinquo
Dormit Bartholemæus in sepulchro
Wagnerus: caro ubi quiescit in spe:
Sed mens sollicitis levata curis
Christi amplexibus hæret in beatis,
Et propter merita, & pios labores
In terris retinet perenne nomen.

Obiit anno 1571. 15. Maji.

ALIUD.

Hospes in hanc veni primùm Carnicius urbem,
Hospes & hîc casus mox feror in tumulum.
Sæva mihi eripuit cognati dextera vitam.
Vita sed est Christus non moritura mihi.

EPITA-

EPITAPHIUM NOBILIS ET HEROICI bellatoris ac Capitanei Roberti Gurlæ Scoti, &c.

Gurlaja de gente satus, roburq; Scotorum
Robertus jacet hinc non procul in tumulo.
Victorem toties quem fugit Iberus in armis
Belgarum Albanus dum populatur agros.
Quiq; ad Mundensem castris portum exuit hostes,
Et Gedani afflictis demsit in urbe metum.
Victor ibi occubuit lethali ex vulnere. at illum
Eripuit letho nescia fama mori.

ALIUD.

Robur militiæ, decus Scotorum,
Robertus jacet hac in æde Gurla.
Qui victor toties fugans Iberos,
Belgas asseruit potens, & urbem
Tutatus fuit hanc ab hoste, cujus
Castra invasit, eum exuitq; castris
Ad portum Gedani: hostibusq; fusis
Victor occubuit: sed alma virtus
Pro pulchris meritis, manuq; prompta
Hîc illi statuit perenne nomen.

ALIUD.

Vexillo serico inscriptum, & suspensum in æde Mariana Dantisci.

Corpore non magno, sed robore magnus & armis
Robertus Scotica gloria gentis erat,
Clarus apud Belgas, hostes cùm fudit Iberos,
Atq; hostem castris exuit ad Gedanum.

Venit Dantiscum XV. Junii, anno 1577. Expugnatis hostium castris victor cecidit III. Julii, anno eodem. Postridie pompa funebri, vix antea hîc visa, in celeberrimo civitatis Dantiscanæ templo, ad D. virg. matr. honorificé sepultus est.

In æde sanctæ Trinitatis.

Qui Musas coluit teneris Henricus ab annis
Mollerus, jacet hac contumulatus humo.
Multorum mores hominum lustravit & urbes
Vir pius, & rerum cognitione gravis.
Magni illum reges, magni fovere patroni,
Quorum illustravit versibus acta suis.
Gymnasiiq; hujus Rector, bis quatuor annis,
Ingenio asseruit consilioq; decus.
Phœbus eum viridi subreptum luxit in ævo,
Donaq; Pierides hac posuere viro.

Obiit anno Domini 1567. 18. Februarii. ætatis suæ 39.

Aliud.

Qui sua non procul hinc posuit Laurentius ossa
Fabricius, verbi præco fidelis erat.
Simplice quod docuit bis senos mente per annos,
Quodq; alibi doctis versibus expoliit.
Ergo viro conjunx, & charo nata parenti,
Hæc monimenta sacro constituere loco.

In vestibulo Scholæ Marianæ.

Hæc domus est Christo, studiisq; dicata juventæ,
Nemo sacrum violet dedecoretve locum.

Anno Domini 1343. feria 4. post Lætare positus est primus lapis muri civitatis Dantisci. Et postea proxima feria 6. positus est primus lapis Ecclesiæ beatæ virginis Mariæ. cujus dedicatio celebrabitur proxima Dominica post festum nativitatis Mariæ.

REGIO-

REGIOMONTI BORUSSIÆ.

VETERIS COLLEGII INSCRIPTIO.

QUi regit indomito præstantes Marte Borussos,
Gymnasio Princeps hæc dedit arma suo.
Nempe duas Aquilas, invictum Heroaq́, cujus
Aonidas forti protegit ense manus.

IBIDEM.

Quando redemptoris post incunabula nostri
Addita ter centum lustra duobus erant;
Phœbus & undecies ternos compleverat orbes,
Lucida qui cæli signa pererrat equis:
Hæc erecta fuit doctis Academia Musis,
Quas fovet ALBERTI cura benigna DUCIS,

NOVI COLLEGII.

Hoc opus Albertus-Fridericus Marchio struxit,
Patris ut impleret vota suprema sui.
Debetur patri, debetur gratia nato,
Quorum cum Musis gloria semper erit.
Vive diu Princeps, & per vestigia patris
Incedens pergas amplificare Scholas.

TEMPLI KNEIPHOFIANI MONIMENTA.

DOCT. MATTHIÆ STOII.

Dum mihi vita fuit, rerum natura decusq́,
Mirantem studiis traxit ad astra suis.
Flores decerpsi tantúm sapientiæ inanes,
Et mihi res plenè cognita nulla fuit.
Nunc coràm mundi mysteria cerno, Deiq́:
Idq́ mihi partum est sanguine Christe tuo.

Matthiæ Stojo Borussо, Philosopho, Poëtæ, Mathematico & medico, Doctori celeberrimo: nato anno Chr. 1526. d. 26. Aprilis, & pié an. 83. mortuo. Illustrissimorum Principum Borussiæ Archiatro, & Professori Academiæ Regiomontanæ præcipuo, Catharina soror, uxor Domini Balthasari Hartmanni posuit.

Viro clarissimo & doctiss. Magistro Christophoro Preys Pannonio, á Springenburg, Eloquentiæ in hac Regiomontana Academia Professori, ejusdem conjugi dilectiss. Euphemiæ Stolpianæ, parentibus chariss. pietatis ergó mœsti liberi posuerunt. Anno Domini M. D. XC. quo ille 9. ipsa veró 18. April. pié in Christo obiere.

Sequentes versus idem de seipso fecit.

Hic recubo chara cum conjuge Christophorus Preys
Pannonius, patrio nomine ⌣ post obitum.
Qui qualis fuerim, novit Deus ipse, scio nil,
Hoc nisi quód Christi discipulus fuerim.
Quo duce, si quidquam didici docuiq; quod esset
Dignum laude, tibi laus ea Christe manet ⌣.
Namq; tuus vivus sum, mortuus atq; sepultus,
Speq; iterum tecum jam redivivus ago.

Aliud.

Uxoris Sabini.

Uxor in hoc tumulo vatis jacet Anna Sabini,
Fœmina non humili qua fuit orta loco.
Ad celebres Albis, patre nata Melanchthone, ripas,
In quibus Aonidum plectra moventur, erat ⌣.
Utq; viros inter doctos pater eminet omnes,
Quo non majus habent tempora nostra decus:
Sic quoq; laude sua matronas inter honestas
Claruit, at tanto digna parente fuit ⌣.
Ipsemet infantem tulit ad baptisma Lutherus,
Quando salutifera perlueretur aqua:
Eruditq; piis monitis, ut adulta timeret ⌣
Ac coleret vera relligione ⌣ Deum.

Quin

Quin & docta fuit linguaq; perita Latina,
Nam Latio poterat reddere verba sono.
Nec minus ore decens, & honesto prædita vultu
(Laudari facie si qua meretur) erat.
Annos bis septem florente peregerat ævo,
Legitimi consors est ubi facta tori.
Inde remota procul natalibus abfuit oris,
Cumq; suo vixit conjuge lustra duo.
Et semel aucta fuit tantummodo prole virili,
Natas Lucina quinq; favente dedit.
Frigida mors animam placidé subduxit & artus:
Pars melior cælo est reddita, corpus humo.

ALBERTI, SABINI F.

Alberti gelida consumpti morte Sabini
Filioli sunt hic ossa sepulta mei.
De quo magna quidem, sed inanis, facta parenti
Spes mihi, detraxit quam fera Parca, fuit.
Corpore robustus, teneris animosior annis,
Ingenio præstans, ore venustus erat.
Indicat infelix operosi cura sepulchri,
Quanta mihi misero spes sit adempta patri.

IDEM SABINUS CHRISTOPHORO filiolo suo.

Tu quoq; Christophori nomen qui nate gerebas,
Magna senescentis spesq; parentis eras,
Conditus hic dormis, & eodem juncta sepulchro
Hic tua fraternis ossibus ossa cubant.

Obiit prid. non. Jun. M. D. LIII.

Viro clarissimo, pietate, virtute & doctrina præstantissimo, Domino Ambrosio Lobvvassero, J. U. D. Illustriss. Principis Borussiæ Consiliario atq; Professori, qui obiit XXVII. Novemb. an. 1585. cúm vixisset annos LXX. menses VII. dies XXII. in memoriæ immortalitatem, amorisq; singularis, & gratæ mentis significationem, poni curavit frater Michaël Lobvvasser.

EPITAPHIUM QUOD DE SEIPSO moriturus fecit:

Expertus mundi vanas res esse NIHIL QUE,
Hic quoq; nunc jaceo pulvis & umbra, NIHIL,
Sed qui de NIHILO *cælum terramq; creavit,*
Me cum carne mea non sinet esse NIHIL.
Hac spe NIL *mortem feci,* NIHIL *omnia feci,*
NIL NIHILI *vermes posse nocere scio.*

Mortuus ut superas abiit Keuterus in oras,
Dives opum, sed plus dives amore Dei,
Publica res, inopumq; cohors miseranda, tuiq;
Christe ministerii tristis & orba cohors,
Ad tumulum flevere, fuit vox omnibus una,
O pater, ô tutor. plura dolor vetuit.

Obiit 89. 12. Martii.

IN TEMPLO VETERIS OPPIDI.

Qua te Christe ligant scelerum sunt vincla meorum,
Vincula sed vinclis sunt mea rupta tuis.
Libera mens fruitur cælo: scelerumq; soluta
Mole, caro vitæ spem melioris habet.

Christophorus hac in æde Winterus cubat,
Sapiens vir, eruditus, integer, pius,
Et eloquens dum vixit: hunc scientia,
Ac vita honesta ab infimo Scholæ loco
Evexit ad non infima hujus munia
Urbis, foriq; jura civilis dedit
Ei asserenda: mox in ordinem quoq;
Lectus Senatorum, modestè Consulis
Accepta justis frena rexit legibus:
Saturq; honorum, lustra post vita undecim
Deum videns, hoc á suis hæredibus
Monimentum habet famæ atq; gratitudinis.

Christophoro Wintero Grimmensi, pietate, doctrina, virtute, prudentia præstanti viro, pié hac mortali vita defuncto XXV. Sept. Anni M. D. LXXXV. cùm Senator ipse fuisset

issethujus urbis totos annos XXV. relicta vidua & liberi H.M.P.C.

SAMUELIS KEUTERI.

Hoc dilecte tibi monumentum pono marite,
Connubii consors Barbara fida tui.
Extet ut æternum sinceri pignus amoris,
Quo mihi tu junctus, quo tibi juncta fui.

LEONHARDI SCHMIDLINI.

Francia quam dederat rapuit mihi Prussia vitam,
Aut potius repetit, qui dedit, ipse Deus.
Consule, quæ juvenis, quæ vir non infima gessi
Munera; qui dubitas de pietate mea?
Ter denos vixi, bis quattuor insuper annos,
Ultima pars morbo perpete dura fuit.
Laus tibi, quo morbum vici duce, quo duce mortem,
Christe, sit, ô animæ vita salusq; meæ.
Obiit anno 1588. 20. Aprilis.

ANDREÆ BORCHHAGEN.

Defunctus alloquitur vivum.

Quid lætare miser? quid inania gaudia tractas?
Et tua cælicolas facta latere putas?
Aspice me, pravosq; tuos hinc corrige mores.
Tu quod es, ipse fui, sum quod ego, illud eris.
Obiit anno 1580. 9. Octobris.

PRINCIPUM BORUSSIÆ
Epitaphia.

ALBERTI PRIMI.

Invicta virtute potens belloq; togaq;
Hac jacet Albertus Marchio tectus humo.
Teutonico pater illius prognatus Achille;
Regis Casmiri filia, mater erat.
Pro Marianorum, titulo cessante, Magistro
Agnovit primum Prussia culta Ducem.

Prima illi conjunx Danorum regibus orta,
Altera erat Guelphos quæ numerabat avos.
Sacra repurgavit fido monstrante Luthero,
Struxit & egregiæ culta Lycea scholæ.
Pacificus, justus, prudens, pius atq; benignus,
Doctorumq; fuit doctus & ipse pater.
Hoc duce creverunt & opes & publica terræ
Commoda, quæ patria juvit & auxit ope.
Quinquaginta & sex his terris præfuit annis,
Undecies septem vivere fata dabant.
Ergo patris patriæ memor esse Borussia debes,
Proq; salutari principe grata Deo.

ALbertVs MorItVr DIe GVbertI.

DOROTHEÆ CIMBRICÆ.

Hîc jacet Alberti primi Ducis inclyta conjunx,
Quæ patre Danorum rege creata fuit.
Maternumq; genus prælustri duxit ab ortu;
Mater Teutonici neptis Achillis erat.
Et quo dicta fuit, dignam se nomine gessit
Dorotheæ: donum nam fuit ipsa Dei.
Non tantúm voluit Princeps, sed mitis haberi,
Mater & est inopum commiserata vicem.
Virginibus, quarum fuit orba parentibus ætas,
Pronuba consortes tradidit ipsa tori.
Nec dedignata est humiles intrare penates,
Et medicas ægris applicuisse manus.
Adfuit & gravidis nuribus, partuq; levatis
Miscuit, ut nutrix officiosa, dapes.
Sacra colens etiam divinis tradita scriptis,
Nil habuit vera relligione prius.
In populi cœtu doctos audire solebat
Omni pæné die verba referre Dei:
Nec meritis hominum, sed Christi morte redemptam
Seq; pia justam credidit esse fide.
Adde quód ipsa suum dominum constanter amavit,
Inq; vicem á domino semper amata fuit.
Corpore namq; decens, & amabilis extitit omni
Laude: fugax litis, sobria, comis erat.

Edidit

Edidit in lucem duo masculà pignora lecti,
Fœminea quater est factaq; prole parens.
Deniq; suscipiens Musarum provida curam,
Nobile Gymnasii cum Duce struxit opus.
Jamq; duos annos mensesq; peregerat octo,
Post octo vitæ lustra, decemq; dies;
Cùm, desiderium non uni triste relinquens,
Heu prematura morte soluta fuit.
Illius immensum peperit jactura dolorem
Omnibus indigenis, Prussia quotquot habet.
Ad superos animi rediit vigor: ossa sepulchro
Inq; beatorum spe tumulata cubant.

Obiit diem III. Idus Aprilis anno M. D. XLVII.

ANNÆ-MARIÆ GUELFIÆ.

Hîc etiam Alberti primi Ducis altera conjunx
Dormit, & una ambos contegit urna Duces.
Guelphorum illustri generata á stirpe parentum
De claris habuit nobile nomen avis.
Qui virtute sua, factisq; insignibus olim
Æternum famæ promeruere decus.
Ad gelidas Fuldæ ripas pater atq; Visurgin
Saxoniæ princeps natus Ericus erat.
Mater at Elisabes Joachimi filia primi
Nostro etiam fuerat stemmate juncta duci.
Utq; aviæ & Christi genitricis nomina gessit;
Ambarum mores sic imitata fuit.
Et pietate sua, vitæq; illustribus actis
Divinas animi significabat opes.
Namq; fide in Christum salvantis dogmata verbi
Omnibus in mundo prætulit illa bonis.
Atq; ministrorum verbi miserata labores,
Munifica afflictos sæpe levavit ope.
Comis, honesta, gravis, placido sibi pectore cives
Adjungens, inopum sedula mater erat.
Quid referam fidei & constantem cordis amorem,
Cônsociata suo quo fuit illa Dûci?

Inq; vicem princeps illam complexus amabat,
Namq; decens & amans simplicitatis erat.
Nunc ceu vita duos jungebat & una voluntas;
Sic mors non potuit dissociare Duces.
Illa sui quoniam sub eadem luce mariti
Funus honorata morte secuta fuit.
Post sese thalami natum natamq; reliquit
Pignora, bis charo é conjuge facta parens.
Cumq; duos annos & septem lustra tulisset,
Cum Duce in hoc posuit corpus inane solo.
Spiritus alta, polo moriens quem tradidit, astra
Sub pedibus cernens vitam agit ante Deum.

ILLUSTRISSIMÆ ET LAUDATISS. PRINCIPI Elisabethæ, natæ patre Joanne Marchione Brandeburgico, Illustriss. Princeps DD. Georgius-Fridericus Marchio, Dux in Borussia conjugi

B. M. L. P.

Varta niger rapidis Viadri qua jungitur undis
Divina in lucem prodiit Helisabe.
Helisabe magni conjunx Ducis illa, Borussos
Qui simul & Francos Elysiosq; regit.
Marchio Custrini Dominus, belloq; togaq;
Clarus & acer erat, Guelphica mater erat.
Johannes, inquam, genitor, Catharinaq; mater,
Eximium generis lumen uterq; sui.
Hos imitata duces, teneris assuevit ab annis
Æternum veri numen amare Dei,
Teq; simul, verbumq; tuum sanctosq; labores,
Fili hominis, fili maxime Christe Dei.
Illius in solis precibus templisq; voluntas,
Hic habitans mundi nescia pené fuit.
Chara tamen populo, charo jucunda marito
Ingenio, forma, moribus, obsequio.
Pieridum fautrix, inopum fidissima nutrix,
Sacraq; curantum mater amica fuit.
ArCtoas PrInCeps aCCItVs regIs In oras
HIberno LongVM sVb IoVe feCIt Iter.

Hum

Hunc dominum comitata ſuum, nam ſemper utramq;
Cum domino ſortem ferre parata fuit.
Occidit, heu, vita ter denis junxit ut annis
Sex ſuper, ad ripas Iſtula magne tuas.
Teq; novis auctum titulis Friderice-Georgi
Ire novas etiam compulit in lachrymas.
Exuvias habet iſte locus, mens ceſſit Olympo,
Inq; tuo vivit Chriſte beate ſinu.
Diſce mori, tumulumq; hoſpes venerare piorum,
Scilicet ante Deum mors grave pondus habet.

LABOR.

O labor, ô ſudor, ſcelerati præmia morſus!
Ah ſatis eſt, natos occule terra tuos.

Sanguine mundata eſt Eccleſia, ſanguine cœpit;
Sanguine ſuccrevit, ſanguine finis erit.

O phœnix redivive tuo me conde ſepulchro,
Ut diræ effugiam jura ſuperba necis.

QUIES.

Inveni portum. ſpes & fortuna valete.
Nil mihi vobiscum; ludite nunc alios.

ELBINGAE.

EPITAPHIUM UXORIS D. MATthiæ Stoii; marito ipſo autore.

Hic ſita Matthiæ Stoi lux, vita, voluptas,
Agnes vitali lumine functa cubat.
Indole quæ ſubnixa ſua, curaq; parentum
Adjuta, exemplar dulce pudoris erat.
Plusq; in virtutem poſuit, quàm dona caduca,
Æqua viro officiis & pietate Deo.
Vitaq; labe carens, & in omni parte modeſta,
Lingua in conſiliis, inq; ope prompta manus,

Signa dabant motus á ſacro flamine naſci,
In cerebro & ſenſus hoc agitante regi.
Nec virtutum umbras, ſed ſigna expreſſa gerebat,
A faſtu & luxu mens aliena fuit.
Sorte ſua juvit peregrina ſortis egentes,
Ac in membra domus non hera, mater erat.
In morbo fulſere preces, fiducia CHRISTI,
Quæ ſola acceptos nos facit eſſe Deo.
Hæ tamen exuviæ cúm templum numinis eſſent;
Numinis & templum nobile rurſus erunt.
Credibile eſt ipſam ſaltem requieſcere terris,
Mors in templa Dei nil quia juris habet.

Deo Opt. Max. P.F. & SS. ſacrum.

EPITAPHIUM DN. VALENTINI BODDEgeri, ad imaginem oſſium redivivorum apud Ezechielem.

Memento rebus vanidis diffidere.
Opes, genus, formæ decor, caduca ſunt.
Ad oſſa nuda mors reducit omnia.
Cælo repoſtus optimus theſaurus eſt.
Quem cúm Valentinus vir omnium optimus
Bodgerus eſſet perſecutus unicé
Dum viveret, contemneretq́, vanida;
Pro vanidis æterna conſecutus eſt.

IN ARCE MEMELAEA.

JOan. Albertus Dux Megapol. Annæ ſorori ſponſæ, diſcedenti in Curlandiam:

Exoritur triſtis te diſcedente querela,
Et lacerat mentem ſollicitudo ſoror:
Sed valeat mœror, valeant ſuſpiria mœſta,
Et lacrymæ valeant, improba cura vale.
Omine te Dominus læto deducat, & addat,
Sis felix rebus, connubioq́, vale.

XXVI. Martii anno M. D. LXVI.

SALIS-

SALISBURGI.

IN NOSOCOMIO AD S. SEBASTIANUM.

CONditur hîc Philippus Theophrastus, insignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera Lepram, Podagram, Hydropisim, aliaq; insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit: ac bona sua in pauperes distribuenda collocandaque honoravit. Anno M. D. XLI. die XXIIII. Septemb. vitam cum morte mutavit.

Aurea pax vivis, requies æterna sepultis.

OENIPONTI.

IN TEMPLO MONASTERII.

IMperatori Cæs. Maximiliano Pio, Felici, Aug. Principi tum pacis tum belli artibus, omnium ætatis suæ Regum longé clarissimo, sub cujus felici imperio inclyta Germania, dulcissima ipsius patria, tam armis, quám literarum studiis, plus quám unquam anté hac, florere, caputq; super alias nationes extollere cœpit. cujus insignia facta tabellis interioribus, quamvis sub compendio, expressa conspiciuntur, Imp. Cæs. Ferdinandus Pius, Felix, Augustus, avo paterno perquam colendo, ac bene merito, pietatis atq; gratitudinis ergó P. Natus est XXVII. Martii. Anno Domini M. CCCC. LVIIII. Obiit anno Domini M. D. XIX. die XII. Mensis Januarii.

CHRISTO O. M. S.

Wolfgango Haller, patricio Nurenberg. diviq́ue Cæs. Max. ac deinceps invictiss. Imp. Caroli V. Consiliario, & Tyrolen. Palatii Camerario, Germanicæ nobilitatis cul-

tori obſervantiſſ. qui obiit anno Domini M. D. XXII. X. Kal. Decemb. Tyrolen. Nobilium Ordo F.C.

IN TEMPLO MONASTERII, ſub coloſſis æneis.

I.

Clodovejus der erſt Chriſtenlich König von Franckreich.

II.

Albrecht der Weiß Ertzhertzog zu Oſterreich/ein ſohn König Albrechts des ſighaften. 1528.

III.

Fraw Maria Blanca Röm. Königin. M. D. XXV.

IV.

Karl Hertzog zu Burgund/ zu Brabant/ zu Geldern/ Grave zu Flandern.

V.

Fraw Johanna Königin zu Caſtilien, König Philips gemahl. 1528.

VI.

Ferdinand, König zu Hiſpanien Keyſerlicher vñ Königlicher Maieſtat Altvatter.

VII.

Fraw Eliſabeth König Sigiſmundi tochter von Vngern/ Albrecht des fünften von Oſterreich/ Römiſchen/ Hungeriſchen/ Behmiſchen Königs gemahel/ Königs Laslaw Mutter. 1529.

VIII.

Godfrid von Bulian König zu Jeruſalem.

IX.

König Albrecht der erſt Hertzog zu Oſterreich. 1527.

X.

Friderich Hertzog zu Oſterreich/ zu Steyr/ zu Kernden vnd zu Crain/ Grave zu Tirol.

XI.

Fridericus tertius Imperator, Divi Imperatoris Maximiliani pater.

Albrecht

XII.

Albrecht von Osterreich/Römischer/Vngerischer/vnd Behaimischer König/Laslaw vatter.

Reliqui XVI. *colossi carent inscriptionibus.*

ADERANT IBIDEM BASES QUÆDAM æneæ sine signis, quarum tres sic erant inscriptæ.

I.

Dietrich von Bern König in Italien, Hispanien, vnd Gothorum.

II.

Artus König in Engelland.

III.

Philips König in Castilien, vnd Granaten/Ertzhertzog zu Osterreich vñ Burgund/Graf zu Habspurg. 1533.

AD OENIPONTUM, IN COENOBIO Stamsiano.

DN. SEVERINI DUCIS SAXONIÆ monumentum.

AEre Severinus princeps hoc clauditur: artes
Cum natis regis dum colit ille bonas.
Indole magnanima jam patrem æquabat avumq́,
Quos celebrat summos Saxonis ora duces.
Augustus fieri hæc fratri monumenta jubebat,
Post messem undecimam, quem tulit atra dies.

DN. SEVERINO, Duci Saxoniæ, ad Henrici patris & Alberti avi virtutem, indole pietatis ac magnanimitatis aspiranti, patriæ in spe summa erepto, Dn. Augustus frater P.C. Toti genti Saxonicæ luctum, liberis Regiis, quibuscum educabatur, desiderium reliquit. Vixit ultra annum XI. mens. I. dies XIII. Obiit an. 1533. VI. Id. Octob.

INTER OENIPONTEM ET BRIXIAM *prope vicum Steinacum.*

Imp. Cæsari Car. v. P. F. Aug. ex Hispania Italiaq; susceptis imperialibus coronis, advenienti: & Ferdinando Hungariæ Bohemiæq; Regi, é Pannoniis occurrenti: optimis principibus: ad perpetuam pub. lætitiæ memoriam, quód fratres annos ante 11x. digressi; summis inter mortaleis honoribus, regnis, triumphis aucti; hoc in loco salvi sospitesq; convenerunt. 1530.

Frid. Franlius á monte niveo, Steinaci præfectus, mandato regio F. C.

IBIDEM IN ARCU TRIUMPHALI sparsa leguntur.

Juppiter in cælis, Cæsar regit omnia terris
Carolus, qui summo stirpis honore micat.

Captus erat Gallus: coëunt cum rure cohorteis.

Altera post captos Gallos, populiq; furoreis
Æstas, te capta, Roma, cruenta fuit.

Cæsar in Italiam quo venit Carolus anno,
Cincta est Riphæis nostra Vienna Getis.

Frater adest victor: redeunt Didonia regna:
Sic Asia imperium sentiat ipsa tuum.

Quid mœres pallesq; audito nomine Turci?
Fide Deo: salvo principe, sospes eris.

Carolus Hesperiis regnat: Fernandus Eois.
Quám bene divisum est fratribus imperium!

O te felicem! nam cui Germania paret,
Commisit fidei pignora cara tuæ.

Gallus amicus Aquilæ: cavete parvæ volucres.

CON-

CONSTANTIAE.

EPITAPHIUM MANUELIS CHRYSOLORÆ.

ILle ego qui Latium priſcas imitarier artes
Exploſis docui ſermonum ambagibus, & qui
Eloquium magni Demoſthenis & Ciceronis
In lucem retuli, Chryſolores nomine notus,
Hic ſum, poſt vitam peregrina ſede quieſco.
Huc me Concilii deduxit cura, trium dum
Pontificum Eccleſiam vexaret ſæva tyrannis.
Roma meos genuit majores; me bona tellus
Byzantina tulit: cineres Conſtantia ſervat.
Quo moriare loco nil refert, undiq; cælum,
Pœnarumq; locus menſurâ diſtat eâdem.

In Saxo Fornicis.

Ante aram ſitus eſt D. Manuel Chryſolora, miles Conſtantinopolitanus, ex vetuſto genere Romanorum, qui cum Conſtantino Imper. migrarunt: vir doctiſſimus, prudentiſſimus, optimus, qui tempore generalis Concilii Conſtantienſis diem obiit, ea exiſtimatione, ut ab omnibus ſummo ſacerdotio dignus haberetur, die 15. April. Conditus eſt anno 1415.

MAEMINGAE.

D. O. M. S.

HOc Maria in tumulo ducit poſt fata quietem
Felix conjugio, ſtemmate, prole, fide.
Hervvorti ſiquidem pietate & ſanguine clari,
Dum licuit, conjunx par in honore fuit.
Et bene Lucina Chriſtoq; favente, reliquit
Ter tria legitimi pignora cara tori.

Deseruit tenebras: & sede recepta piorum,
Dulcia perpetuæ gaudia lucis habet.

Jo. Heinricus Hervvortus Patr. Aug. Mariæ Hainzeliæ conjugi honestiss. mœstus M. H. F. C. Ob. 1564. a. d. 28. Januar. Vix. an XXXIIX. M. V. D. XII.

COLMARIAE.

IN CURIA.

OCeanus quamvis fluctus pater excitet omneis:
Danubiumq; omnem barbare Turca bibas:
Non tamen irrumpes perfracto limine: Cæsar
Dum Carolus populis bellica signa dabit.
Sic sacra quercus firmis radicibus astant:
Sicca licet venti concutiant folia.

GYMNASII IBIDEM.

Patres reipub. qui docendis atq; discendis, cúm litteris, tum moribus ædes hasce posteritatis ergo FF. hortantur pergere, & macte virtute esse adulescenteis, iisq; studiis incumbere, quibus & sibi honori, & amicis gaudio, & reip. emolumento esse possint An. Dom. 1539.

Expertes invidentiæ Musar. fores.

Ibidem ad D. Augustini.

Nugamur, mortemq; procul procul esse putamus,
At mediis latet hæc abdita visceribus.
Scilicet ex illa qua primúm nascimur hora,
Prorepunt juncto vitaq; morsq; pede.
Partem aliquam furtim, qua se metitur & ipsa,
Surripit é vita qualibet hora tua.
Paulatim morimur: momento exstinguimur uno:
Ut lampas oleo deficiente perit.
Ut nihil interimat; tamen ipso in tempore mors est:
Et nunc interea dum loquimur, morimur.

FRI-

FRIBURGI BRISGOIÆ.

HULDRICHO ZASIO Jureconſ. ſuorum temporum toto orbe celeberrimo: hujus Academiæ ornamento ſingulari: & Reip. Friburg. in reſtaurando jure municipali jam olim ſtrenuam operam navanti, aliisq; multis nominibus de ſe benemerito: Magiſtratus officii memor fieri juſſit. Conceſſit naturæ Anno ſal. cIↃ IↃ XXXV. VIII. Cal. Decemb.

ALIUD.

Sparge ſacro cineri flores, hac conditus urna eſt
Fallerus Themidis gloria, juris honos.
Maximus ille toga fatis ereptus iniquis,
Nunc apud æthereum jure tribunal agit.
Is Huldriche tibi ſub eodem pulvere Zaſi
Proximus ut tumulo, ſic fuit ingenio.

Obiit Anno ſal. cIↃ IↃ LX. die XVII. Octob. ætatis ſuæ XXXVIII.

ALIUD.

Henricus Glareanus poëta laureatus, Gymnaſii hujus ornamentum eximiũ, expleto feliciter extremo die, componi hîc ad ſpem futuræ reſurrectionis providit, cujus manibus, propter raram eruditionem, candoremq́ue in profitendo, Senatus Reip. litterariæ gratitudinis & pietatis ergo monumentum hoc æternæ memoriæ conſecratum, poſteritati ut extaret erigi curavit. Exceſſit vita, anno ſal. cIↃ IↃ LXIII. die XXVIII. menſis Maji. ætat. ſuæ LXXV.

ALIUD.

Joanni Hartungo Miltenburgenſi Oſtofranco, Philoſopho eximio, Græcarum litterarum in Academia hac

Friburg. xxx. amplius annis pub. Professori, ejusque singulari ornamento, Senatus Acad. ob pietatem, præclaraq; ejus in remp. litterariam merita, gratitudinis & officii ergo hoc monumentum P. qui vivens hoc sibi ipsi Epitaphium scripsit:

Πολλὰ καμών, κ) πολλὰ παθὼν ἐν παιδοδιδάσκαις,
Ἐνθάδε νῶν κεῖμαι σὼν θεῷ ἡσύχιος.

SELESTADII.

IN CATHEDRALI.

ΤΑ᾽ τῆς βροτῆς ἐφήμερα,
Βίος κάπνος, σκιᾶς ὄναρ,
Εἴδωλον ἄνθρωπος ἔφυ.
Οὐκ ὄλβος, ἃ χρύσος, γένος,
Τυραννὶς ὃδ᾽ ἀμορφία,
Οὐδ᾽ ἀμαθὲς μόρον φύγῃ.
Βαίνει γὰρ ἐξ ἀΐφνης βροτοῖς
Πολυμόχθοισι (λείβετε
Νῶν δάκρυον) θεῷ μέγας
Βεατὸν ἥρπαζεν νόος
Πρὸς ὀλβίων χόρους ἄγων.
Ὃς ἦν μὲν ὄμμα πατρίδος,
Καὶ κλεινὸν ἄχος ἠθώνων.
Μώσαισι φιλτάτη σφιλέσαλος
Ἑλλάνικᾶς, κ) πίμιος
Ῥωμαϊκᾶς. σὺ δ᾽ ἀτύχει.

Et pauló inferiús.

Πᾶσα μὲν ἐρανίη στραπὴ γήθησεν ἰοπῇ,
Πᾶσα δὲ Σλετσαδίων ἐσονάχησε πόλις.

AD

AD SINISTRAM.

DEO OPT. MAX. SACRATUM.

Beato Rhenano, ex veteri Buldiorum familia, cujus excellens in omni genere doctrina, Græcai & Latinai linguai cognitio, innocentia, humanitas, frugalitas, pudicitia celebris erit, donec rerũ hæc universitas constabit. Studium antiquitatis declarant aliquot Latini scriptores sacri profaniq;, ab eo purgati & prope integri restituti. Item Germania, quam omnem tum veterem tum novam mira diligentia tribus libris illustravit: viro magno, immortaliq; memoria digno; Rudolphus Bersius hoc pietatis monumentum posuit. Θ Argentorati, XIII. KL. Junii. Ætat. suæ anno LXII. á Christo nato CIↃ IↃ XLII. Inde elatus heîc jacet, ne opt. ac doctiss. cive careret patria, quam vivus tot egregiis monumentis exornavit.

ET PAULO INFERIUS.

Te capiunt lato venientem sidera plausu;
Sed quæ te genuit patria terra dolet.

ARGENTINAE.

AD PRÆDICATORES

In conclavi Scholarcharum.

CEdite pictores, hinc blandi cedite vates,
Oratorq; tuo flumine constiteris.
Sturmius ut fuerat, non est imitabilis arti.
Talis & ingenio, talis & ore fuit.

Sturmiorũ genti, cujus antiquitas á Rudolpho Habsburgio Romanorum Rege confirmata fuit, perpetuo nobilitatis Offenburgicæ beneficio: quod ab eo Wernherus Sturm. accepit: qui anno 1560. Senator erat. Jacobo item Sturm. ornamento majorum, exemplo nepotum, anno Christi 1524. Senatori, 25. XV viro, 26. XIII viro, sæpe Prætori, XC I. ad comitia Imp. conventus Principum, civita-

tis legato: Quibus legationibus ab urbe abfuit annos prope novem: Qui gratis, majorum exemplo, patriæ consulere maluit, quàm Electorum & Principum consiliis, magno suo emolumento præfici: constitutis suo consilio Scholis: amplificatâ suâ pecunia bibliotheca: auctisq; suo testamento Scholarum fructibus annuis 50 aur. argen. nato anno Christi 1489. mortuo 1553. Ætatis 64. pleno ac 10. Augusti, hebdomade 12. 30. Octobris: optimo civi clarissimo viro: charissimo fratri: Fridericus & Petrus Sturmii, amoris, honoris, memoriæ, exempli ergò hanc tabulam posuerunt.

JOHAN. Sturmius F. Argentor.
An. 1560.

ALIUD.

Anno post millesimum 538. depositis armis, & pacatâ gravi inter Carolum V. Imperatorem Rom. & Franciscum I. Galliarum Regem, discordiâ, S. P. Q. Argentin. juventuti CHRISTIANÆ religione & liberalibus disciplinis instituendæ ludum literarium aperuit.

Præfecto primario Jacobo Sturmio,
Rectore Joan. Sturmio.

AD PETRUM JUNIOREM.

Diu apparandum est ædificium, ut ædifices celeriùs.
1494.

IN SUMMO TEMPLO.

Vetustiss. statuæ Fidei, Legem alloquentis, hæc verba tribuuntur:

Mit Christus blut vberwind ich dich.

Cui Lex respondet:

Dasselbe blut erblendet mich.

HEL.

HELVETICA.

IN COENOBIO CUNGSFELDEN, AD EFFIGIEM LEOPOLDI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ.

DIß ist die abcontrafeitung Hertzog Lüpolts von Osterreich/ der zu Sempach mit diser siner Ritterschaft/ Adel vnd Rähten erschlagen ist worden/ vf dem sinen/ in dem sinen/ vnd vmb das sin/ vf S. Cyrillen tag im dryzehen hundert vnd 80. jar.

MONUMENTUM CAROLI CRASSI *Regis Suevia, pronepotis Caroli Magni: In choro.*

Carolus Crassus Rex Sueviæ, pronepos Caroli Magni, Italiam potenter intravit, eamq; devicit: imperiumq; Romanum, ubi Cæsar coronatus, obtinuit; ac mortuo fratre suo Ludovico, universam Germaniam & Galliam jure hæreditario acquisivit. Demùm animo, mente & corpore deficiens, ab imperio, sané magno cum fortunæ ludibrio, dejectus, á suis omnibus postpositus, humili hoc in loco sepultus jacet. Obiit anno Domini 888. Idib. Jan. in cujus memoriam Christophorus Dei gratia Episcopus Constantiensis, Augiæque majoris dominus, monumentum istud de novo restaurari & refici curavit.

SAXO SUB QUO CONDITUR HÆC incisa leguntur:

Pannonas & Cimbros diverso Marte subegit
Carolus á crasso corpore nomen habens.
Sed bene quas juvenis regni tractarat habenas,
His iterum senior dispoliatus, obit.

ALIUD.

Reverendissimus in Christo pater ac Dominus, Dominus Joannes á Veza ab Archiepiscopatu Lundensi in Dania, & ejusdem suffraganeatu Roschildensi exulans episcopus, in gratiam Romanorum Imperatoris Caroli, nec non regis Ferdinandi in Episcopum Constantiensem postulatus, repentina morte, tredecimo Junii, Anno á nato Sal. CIↃ IↃ XLVIII. præventus, sub hoc saxo sonum tubæ expectat.

MURATHI.

D. O. M.

CAroli inclyti & fortissimi Ducis Burgundiæ exercitus Murathum obsidens, ab Helvetiis cæsus hoc sui monumentum reliquit. Anno M. CCCC. LXXVI.

Diß gebein ist der Burgundischen schar/
Im vierzehnden hundert sibentzig vnd sechsten jar/
Vor Murtzen durch ein Eydgnoschaft
Erlegt mit beystand Gottes kraft/
Vf der zehen tausent Rittern tag
Geschach dise grosse niderlag.

SOLODURI.

IN *Celtis nihil est Soloduro antiquius, unis*
Exceptis Treviris, quorum ego dicta soror.

Kein elterer platz in Gallien ist/
Dann Solothurn in diser frist.
Vßgenommen Trier allein/
Drumb nent man sie Schwestern gemein.
Diser Turm gebawt ward vngefahr
Vor Christi geburt fünfthalb hundert jar.

BER-

BERNAE.

Musculus hic situs est doctrina clarus, & ingens
Nomen in orbe manet, spiritus astra tenet.

Obiit in Domino 3. Cal. Septemb. Anno Christi 1563. Ætat. suæ 66.

ALIUD.

Felici memoriæ Blasii Marcuardi, doctiss. Theologi & Philosophi, &, quod maximum est, optimi viri: qui in ipsa ætatis suæ æstate, dum patria & amici auctiorem ab ipso messem sperabant, in cælum commigravit: Joannes Seranus, amicus amico mœrens posuit.

IN BONAVALLE HELVETIÆ.

Quieti æternæ: Vergiliæ Heliodoræ feminæ incomparabili Actius Licinianus conjugi erga se omni karitate benemerentissimæ P. & S.

BASILEAE.

IN CURIA.

AD STATUAM L. MUNACII PLANCI.

HONORI ET VIRTUTI.

L. Munatii P. F. L. N. L. Pron. Plancus coss. cens. Imp. ter VII vir. Epulonũ, qui triumph. ex Rhætis, ædem Saturni F. ex manubiis agros divisit in Italia Benevent.

Ec

In Galliam Colonias ded. Lugdunum & Rauricum: civitas Basilienſis, ex bellicoſiſſ. gente Alemannorum in Rauricorum fines transducta, ſimulacrum ex ſenatus auct. dicandum ſtatuendumq; curavit. Anno ſal. humanæ 80.

CHRISTO SER. S.

Deſ. Eraſmo Roterodāmo, viro omnibus modis maximo, cujus incomparabilem in omni diſciplinarū genere eruditionem, pari conjunctam prudentia poſteri admirabuntur & prædicabunt: Bonifacius Amerbachius, Hieronymus Frobenius, Nicolaus Epiſcopius hæredes, & nuncupati poſtremæ ſuæ voluntatis vindices, patrono optimo, non memoriæ, quam immortalem ſibi editis lucubrationibus comparavit, iis, tantiſper dum orbis terrarum ſtabit, ſuperfuturo, ac eruditis ubique gentium colocuturo; ſed corporis mortalis, quó reconditum ſit, ergó, hoc ſaxum P.P.P. Mortuus eſt 4. Id Julii, jam ſeptuagenarius. Anno á Chriſto nato M. D. XXXVI.

In ſaxo, quo ſepulchrum integitur, eſt Termini facies baſi quadrata, cum his verbis:

Deſ. Eraſmum Roterodamum amici ſub hoc ſaxo condebant, quarto Eid. Julias, anno 1536.

IN CIRCUITU TEMPLI.

DEO OPT. MAX. ET CHRISTO SERVATORI.

Dn. Jacobum Mejerum hujus inclytæ urbis conſulem prudentiſſimum, conſultiſſimumq;, pietatis ſané cultorem, ac promotorem primarium: omnis honeſtatis, quod in ipſo fuit, inſtauratorem diligentiſſimum, lapis ſubjectus contegit.

IBIDEM.

Dn. Jo. OEcolampadius, profeſſione Theologus, trium linguarum peritiſſ. auctor Evangelicæ doctrinæ in hac urbe primus; & templi hujus verus Epiſcopus; ut doctrina, ſic vitæ ſanctimonia pollentiſſimus, ſub breve ſaxum hoc reconditus jacet. IBI-

IBIDEM AD DEXTRAM.

Dn. Simoni Grynæo, almæ hujus Academiæ Rectori, & laude & memoria sempiterna, ob linguarum Latinæ, Græcæ & Ebraicæ peritiam, omnisq; Philosophiæ ad miraculum usque cognitionem, ob Theologiæ veræ scientiam & usum, digno, monumētum hoc dicatum est. Anno salutis M. D. XXXXII.

De trium proximé præcedentium monumentis

So ehr/gut/kunst/hûlfen in not/
Wer keiner von disen dreyen tod.

JOAN. OPORINUS VIR OPT. ET DOCTISSIMUS *uxori suæ tertiæ tale monumentum meditabatur.*

GAMOLYÆO.

Elisabethæ Holtzachiæ Eucharii Med. clariss. F. uxori III. venustiss. pudiciss. sanctiss. Joan. Oporinus feliciter infelix, suæ senectæ portui, decori, solatio. Quod sibi ab illa fieri desid. opt. oportuerat, multis cum lacrymis F. C. Vixit ann. XXXI. ex iis XI. cum Jo. Hervagio jun. typogr. sine bile; cum Oporino menses eheu vixit IV. Obiit anno salutis M. D. LXV. XVI. Cal. Aug. cum Christo æternúm victura.

AD EFFIGIEM ARIONIS INSISTENTIS delphino.

Vicerat insanos fluctus vocalis Arion,
Et portu in medio naufragium patitur.
Quid superest misero? cælum mihi portus, & aura
Christus, quoq; vehar mors mihi delphis erit.

IPSIUS OPORINI MONUMENTUM.

ÆTERNITATI.

Joannes Oporinus Bas. Typographus, doctus, operosus, elegans libris innumeris, virtutum hærede ex IV. conjuge unico relicto. pub. lachrymis, privata pietate sexagenario major, heîc conditur.

Frugifer autumnus periit Dis notus & orbi.
Orthion elapsus nautis meditatur Arion.

ITEM.

Quantula sint hominum corpuscula, discе viator.
Magnus Oporinus conditur hoc tumulo.

D. O. M.

Gulielmo Gratarolo Bergomensi, artium ac medicinæ Doctori, medicique; filio, in medicorum Basil. collegiũ cooptato, ob relig. exuli, conjugi cariss. Barbara Nicotia F.C. Obiit æt. suæ an. 52. Christi 1568. d. 16. Apr.

IN SUMMO TEMPLO.

Janua vitæ. D. Ser. So. Sa. S. Cæl. Secundus Curio Augustino F. dulciss. sanctissimoq; , polyhistori ac facundo Basil. scholæ rhetori: cujus corpus heîc cum III. sororib. lectiss. jacet: spiritus cum Christo; nomen immortalib. scriptis vivit in terris. socio & hærede studiorum orbatus dum reviviscit, P. Vix. ann. 28. Ob. an. Dn. 1567. d. 24. Octobris.

Hujus ad exemplum juvenes florentibus annis
Vivere ⌣ rité Deo discite, rité mori.

ALIUD.

Angelæ, Cæliæ, Felici, puellis nobiliss. castiss. q;. Quarum ingenium, candor, industria, pudor, pietas, morum elegantia, & sanctitas grata Deo, multis nota, probata bonis, parentibus jucunda fuerunt: Cælius secundus Curio pater; & Margarita Isacia mater, Itali, tribus filiabus præstantiss. dulciss. cariss. que. Ut earum quod mortale fuit, in beatæ reparationis spem conderetur: hoc monumentum PP. Migrarunt ad Deum in max. hujus urbis pestilentia. Mense Aug. an. S. H. 1564.

Vivit ut exigua lucens in lampade flamma:
Sic nos æternum vivimus ante ⌣ Deum.
Surgemus vivæ. lachrymas cohibete parentes,
Dum tuba supremum fuderit alma sonum.

ALIUD.

ALIUD.

D.O.M.S. Hieronymo Frobenio, Joan. F. typographo clariſſ. Inter initia fœd. Helvetii Baſileæ nato: Sinceræ relig. & æquitatis obſervantiſſ. De rep. liter. optumis autoribus emendatè atq; elegant. edendis præclarè merito: humanitate ac beneficentia domi foriſq; omnibus caro. In acerbiſſ. ac diuturnis ſtomachi cruciatibus, quibus & extinctus eſt, ſupra fidem ad extremum uſq; patientiſſ. M.S. ergó Ambroſius & Aurelius filii, parenti longé cariſſ. H. M. PP. B. ann. 61. m. 7. d. 7. Θ. An. Chriſti Servatoris 1563. 3. Eid. Mart.

ALIUD.

Conditus eſt ſub hoc ſaxo Michaël Iſyngrinius, vir pietate, virtute, atq; doctrina eximius: inter principes typographos Baſilienſes non poſtremus. Qui ante diem cum ſummo omnium bonorum luctu in Domino obdormivit, die III. Martii. An. ſal. noſtræ 1557.

Huic tu qui transis pacem requiemq; precare:
Ac, vitæ numerans tempora, diſce mori.

ALIUD.

JOVÆ OPT. MAX. S.

Seb. Caſtalioni Allobrogi, Græcarum litt. in Academia Baſ. Profeſſori celeb. Ob multivariam eruditionem, & vitæ innocentiam, doctis piisq; viris percharo: præceptori opt. ac fideliſſ. Stanislaus Stanzechovuski, Joannes Oſtrorog, & Georg. Niemsla Poloni, ut & popp. ſuorũ, qui eum audierant, voto, & privatę pietati ſatisfacerent: ad pub. luctus ſol. H.M.B.M.P. Obdormivit in Domino an. Chriſti ſal. 1563. 4. KL. Jan. æt. ſuæ 48.

AD MARTINI.

Nicolaus Irmius, Sen. Baſ. belli pacisq; artibus clarus: Helvetiorum, ſub Henrico II. Galliarum rege ex fœd. archiſtrategus. Cúm & fidem ſuam ſociis, & fortitud. hoſti-

bus rerum gerendarum gloriâ probaſſet: armis invictus, morbo tandem extinctus eſt. Et patriæ quidem ingens ſui deſid. exemplar virtutum civibus. Lib. denique mœſtiſſ. extremæ pietatis argumentum reliquit. An. Chriſti 1552. 16. Kl. Apr. æt. ſuæ 44.

ALIUD.

Hęredes lectori S. An. 1563. Junii 21. obiit in Chriſto ſalvat. noſtro, nobilis & clariſſ. vir Paulus Hœchſtetter J.C. cujus memoriam amici; cadaver hoc ſepulchrum; D.O.M. animam habent. æt. an. 39.

C. S.

Simon Sulcerus Theologus ædis hujusce an. XXXIII. verus vigilansq; antiſtes, utraque manu vineam Domini ſui excoluit; ſcholam Theologicam erexit atq; rexit: fida docendi aſſiduitate ſuſpiciendus: vitæ ſanctimonia & probis moribus imitãdus. Vixit annos LXXVII. Θ. Ann. ſal. CIↃ IↃ XXCV. XII. Junii.

ALIUD.

SISTE VIATOR, ET

Chriſtophoro á Collen, patri octogenario, pro pietate tua condoleto. Sic oris & moris probi heîc cõditur Eugenius, é nobili Coloniorum gente apud Megalopyrgenſes oriundus, ſpes patriæ, columen familiæ, juventutis exemplar, dum Rheno per æſtum recreatur, vortice abreptus, in ipſo ætatis flore, in medio ſtudiorum curſu, pro Italia, quam cogitabat, cælũ adit. CIↃ IↃ XXCVII. XVI. Aug.

ALIUD.

Hoſpes have & diſce. Nõ Cælius heîc, ſed Cælii σῶμα, imó σῆμα. Spiritum Chriſtus habet. Cætera, nomen veræ pietatis, humanitatis, ſingularis eruditionis, prudentiæ, inſignisq; conſtantiæ, quom σῶμα in שבריר tunc veré erit CÆLIUS SECUNDUS CURIO. Hoſpes, ſi didiciſti, vale. Reliquit terram ætat. ſuæ ann. LXVIII. Sal. CIↃ IↃ LXIX. ad VIII. Kl. Decemb.

ALIUD.

ALIUD.

TRINUNO S.

Theodorus Zvvingerus Basilienſis, cúm ex Philoſophia tenebras; ex arte medica humanas miſerias deprehendiſſet; ſummi boni cognoſcendi potiundiq́ue deſiderio accenſus, Chriſtiano philoſopho dignã mortis commendationem inſtituit, vivensq́ue mortuus eſt, ut mortuus viveret. B. annos 54. menſ. 7. d. 8. Θ. Anno Chriſti cIↃ IↃ XIIC. 6. Idus Martii.

Alma fides abiit, ſpes indubitata receſſit.
Perfruor, intueor. ſolus Amor remanet.

ALIUD.

LUMINUM DATORI S.

Non Hermes hîc Trismegiſtus, ſed acutus Philoſophus, elegans medicus, ſincerus Theologus, Heidelbergenſis Academiæ columen, Basilienſis lumen, cui nutritia ſua liberal. rependit, doctis piisq́; amabilis, & quod ad patriæ ſplendorem faciat, Helvetius Aquenſis, Thomas Eraſtus, conditur ſexagenarius. Anno cIↃ IↃ XXCIII. prid. Cal. Januar.

HYGIÆ ÆT.

Adamus á Bodenſtein, Theophraſti Paracelſi, ut primus, ſic fidus ſcitusq́;, & opere & ore, interpres, palmam victoriæ ſuæ Regi triumphanti oblaturus, mortalitatis exuvias nec metuens, nec optans, ſolo hoc, cæloq́; libero, homo liber, fide depoſuit bona. Quas ſpe bona iterum repetet. An. ſal. cIↃ IↃ LXXVII. ætatis hebdomade ſeptima.

Nec omnia, nec omnes mihi
Placuêre; quinam ego omnibus?
Non omnibus Cous ſenex,
Non Eremita Spagirus,
Num tu viator omnibus?
Deo placere cura, abei.

JANO FROBENIO.

Arida Joannis tegit hic lapis ossa Frobeni,
Orbe viret toto nescia fama mori,
Moribus hanc niveis meruit, studiisq; juvandis,
Quæ nunc mœsta jacent, orba parente suo.
Rettulit, ornavit, veterum monumenta sophorum,
Arte, manu, curis, ære, favore, fide.
Huic vitam in cælis date numina justa perennem,
Per nos in terris fama perennis erit.

An. cIↃ IↃ XXVII. Mense Octobri.

ALIUD.

Francisci Hotomanni J.C. mortales exuvias, tantisper asservandas, dum Christo jubente immortales exsurgant, amici sub hoc saxo deposuere. Loco honoris ergó abædis curatorib. liberaliter concesso. Vixit an. 63. mens. 5. d. 20. Obiit prid. eid. Febr. an. cIↃ IↃ XC.

Gallia progenuit, servat Basilea sepultum.
Interitus expers nomen ubiq; viget.

ÆTERNITATI.

Dn. Demolino Rochefortio Blesati, Gallo, qui urbis hujus liter. secessum aulico splendori lubens antepositi, vitæq; satur æt. an. LXVII. X. Mart. spiritū virtute ac eruditione nobilem misericordi patri, reliquias corpusculi magnæ matri REDD. Theodor. ZVVINGERUS EXTR. HOCCE, non mutuum, amoris mutui munus, B.M.P. cIↃ IↃ XXCII.

D. O. M. S.

Violanthi Curioniæ C.S.C. Itali F. conjugi sanctiss. & cariss. ob singularem probitatem, industriam, candorem, fidem, amorem, admirabilem in longiss. & graviss. morbo constantiam, patientiam, pietatē incomparabili: Hieronymus Zanchius Italus optimé merenti mœstiss. F.

Tertio puerperio eoque infausto ad Christum Jesum, quem sincera coluit religione, cupidiss. cōcessit: cum quo

vivit

vivit beata, illum expectans diem, quo suo corpori reddita integra immortalitate fruetur.

Anno sal. M. D. LVI. XIII. Novemb. æt. suæ an. XXII.

Piet. vir. & honori D.

Angelæ Curioniæ, nobili & generosæ puellæ, cujus divino ingenio atq; industriæ nihil difficile unquam est visum, quod ingenuam pudicamq; puellam deceret: quæ Italicé, Germanicé, Gallicé venustè loquebatur: Latinè non ignara: omnis elegantiæ decoriq; studiosa: candore animi, virginali verecundia, religione in Deum, pietate erga parentes, caritate in fratres sororesque, comitate in omnes insigni fuit: Cæl. Secundus Curio pater, & Margarita Isacia mater, Itali, in beatæ reparationis spem filiæ dulciss. ac præstantiss. PP.

Pestilentiæ ardore triduo consumpta, ad Christum Jesum mira alacritate migravit, ætat. suæ anno XVIII. Sal. hum. M. D. LXIV. IV. non. Aug.

Piet. virt. honori D.

Angelæ, Cæliæ, Felici puellis nobiliss. quarum ingenium, candor, industria, pietas, pudor, morum elegantia & sanctitas grata Deo, multis nota, probata bonis, parentibus jucunda fuerunt:

Cælius Secundus Curio pater, & Margarita Isacia mater, trib. animulis præstantiss. dulciss. q; ut earum quod mortale fuit in beatæ reparationis spem conderetur, hoc monumentum F.C.

Migrarunt ex hac colluvione pié atq; alacriter, in maxima hujusce urbis pestil. mense Aug. An. sal. M. D. LXIV. æt. singularum an. XVIII. XVII. XVI.

Deo imm. & V.S.

Hic situs est Horatius Curio, CÆL. Sec. F. Phil. & Medic. laurea ann. ætat. suæ XX. Pisis donatus: cujus ingeniū, prudentiam & fidem admirati Reges, ejus opera in max. negotiis sunt usi. nam Ferdinando, ejusque F. Maximil.

Augustis cognitus, ad intima consilia adhibitus est: gravissimisque de rebus, pro Christ. Repub Byzantium missus, in ipso munere excessit é vita, magno sui desiderio, non parentibus modó mœstiss. propinquis & amicis, verumetiam ipsi Cæsari, aliisq; quibus fuit notus, relicto: An. ætat. suæ ferè XXX. XV. Feb. Hum. sal. CIↃ IↃ LXIV. Maximil. Cæs. jussu amici F.C.

JANUA VITÆ.

DEO SER. SO. SAP. S.

Cæl. Secundus Curio, Augustino filio dulciss. sanctiss. q́ue Polyhistori, ac facundo Basil. scholæ Rhetori: cujus corpus heic cum III. sororib. lectiss. jacet: spiritus cum Christo, nomen immortalib. scriptis vivit in terris: socio & hærede studiorũ orbatus, dum reviviscit, P. Vixit ann. XXIIX. Obiit an. Dom. CIↃ IↃ LXVII. die XXIV. Octob.

CHRISTO S.

Augustino Curioni Bas. scholæ Rhetori,
Qui honestiss. pietatis & erud. certamine susceptо,
In ipso ætatis flore morte vinci,
Quám patrem vincere maluit,
Veritatis & virtutis cultori Max.
Saracenicôn scriptori,
Hieroglyphicôn auctori,
Americæ illustratori,
Italiæ interpreti,
Theod. Zvving. ob stud. morumq; eleg.
Collegæ & amico piis
cum lacr.
P.
M. L. LXVII.

Augustinus eras in terris exul oberrans,
Nunc Augustinus eris calo susceptus avito.

BOHE-

BOHEMICA.

PRAGENSIA.

IN PRAGAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Septa metallifero circùm qua monte superbis,
Hercinia in medio Martia Praga sinu,
Linque aliis populis tanta munimina sedis:
Qui nequeant armis jura tenere loci.
Namq; tuum est, non præsidio turgere locorum:
Sed loca præsidiis fidere posse tuis.

In Auditorio Jurisconsultorum.

Si istud observatur in delinquentibus, ut post vigesimum annum, á die commissi delicti inquiri non possit de ipsa conditione personæ, d. l. querela; multo magis observandum hoc erit in ipsis per viginti annos publicé docentibus, qui ad aliquem dignitatis gradū jam sunt promoti, per argumentum á multo magis, quod est in Jure validum. Authen. multo magis. C. de sacrosanct. Eccl. Igitur ex præmissis concludendum, ut Magistri, & Doctores publicé præpositi, docentes per viginti annos continué in aliqua famosa ac generali Universitate, ipso quidem jure efficiantur Duces & Comites simul, ac propterea cùm utramq; annexam in se habeant & Ducum & Comitum dignitatem; dicuntur illustres; cùm aliâs simpliciter Duces seu Comites non sic dicantur; sed spectabiles tantum, nisi fuerint Duces & Comites simul, sicuti præfati Doctores docentes per viginti annos, ut communiter traditur per scribentes: quos refert & sequitur Jas. post. longam disputationem in l. 1. in prin. post gloss. ibi in verbo,

tribuuntur, num. XII. ff. de offic. ejus &c. Nec refert, quód isti careant omnino Comitatu, ac illius reditibus, (quamvis pessimé in hoc nobiscum actum sit) dicant eos non proprié esse Comites & Duces, sed improprié & abusivé, cúm sint sine Comitatu, seu Ducatu, ut notanter tradit Decius in d. l. 1. nu. 16. ut videri potest in Episcopis suffraganeis, seu nulla tenentibus, qui licent sint sine Episcopatu; habent tamen dignitatem.

MUSEI SUI PARIETI INSCRIBEBAT HÆC Praga discedens Fridericus Widebramus Naumburgensis, exsul.

Hîc studiis miscere preces lacrymasq; solebam,
Tristis in exilio cúm Widebramus eram.
Solus eram, nec eram tamen illo tempore solus,
Quando suo mecum numine Christus erat.
Liber ab exilii dimissus carcere, tandem
Rursus in exilium triste profectus eo.
Patria terra vale, cælestis patria salve.
Qualibet est forti patria terra. vale.

CZASLAVIÆ IN BOHEMIA.

IN CIPPO SEPULCHRALI, QUI CISCÆ *imaginem incisam lapidi continet, hæc verba in margine quadrato inscripta sunt.*

ANno 1424. die Jovis ante festum Galli, vita functus Johannes Zyska á Calice, rector rerum publicarum laborantium in nomine & pro nomine Dei, hoc templo conditus est.

E REGIONE AD PARIETEM EST ALTARE *quoddam, in cujus exteriore facie Hussus & Czyska picti sunt.*

Sub Zyska hi versus leguntur.

Strenuus in bellis hoc dormit Zyska sepulchro,
Zyska sua gentis gloria, Martis honos.

Ille

Ille luem scelerum Monachos, pestemq; nefandam
Ad Stygias justo fulmine trusit aquas.
Surget adhuc rursus, quadrat & cornua crista
Supplicii ut pœnas, quas meruêre, luant.

Sub Hussо veró é latere hi versus leguntur.

Husse tuus vindex jacet hic dux Zysca Johannes,
Supplex Sigsmundus cui quoq; Cæsar erat.
Et, quoniam bustis clarent loca multa, sepulcro
Zysca Czaslavii fama perennis erit.

Pauló inferiús hoc distichon adscriptum est.

Jam venit é superis Hus. quod si forte redibit
Zysca suus vindex; impia Roma cave.

Post altare ex eodem pariete dependet lapis quidam quadratus, é catena ferrea, sesquispithamæ magnitudine in quolibet latere. Huic sequens distichon adscriptum visitur.

Mensa fuit Zyscæ lapis hic; dum corpore Christi
Vescitur; & potum sanguinis ore bibit.

Super sepulchralem autem cippum é templi fornice clava ferrea dependet, quam semper in præliis manu sua tractavit Zysca.

ALIUD EJUSDEM MONUMENTUM.

Joannes Zysca, nulli Imperatorum Ducúmve rei militaris peritia inferior, superbiæ simul & avaritiæ Clericorum severus ultor, patriæque acerrimus propugnator, hîc jacet.

Quod Appius Claudius Cæcus bene consulendo, & M. Furius Camillus strenué agendo suis Romanis præbuere, hoc ipsum Boëmis meis præstiti, fortunæ belli nunquam defui, neque illa mihi. omnem opportunita-

tem rerum bene gerendarum etiam cæcus prævidi, signis collatis undecies, semper victor depugnavi. Visus sum mihi miserorum & esurientium justissimam causam, adversus delicatos, pingues, & saginatos sacerdotes egregiè egisse: & ob hoc Dei auxilium sensisse. Nisi illorum invidia obstaret, inter illustres viros numerari proculdubio meruissem. Tamen ossa mea hoc sacrato loco cubant, etiam insalutato Papa, invitoq;.

Diis manibus sacrum hoc Joh. Zyska
Gregorius avunculus PP.

DANI.

DANICA.

INSCRIPTIO SALINI INAURATI QUOD D. HENR. RANZOVIUS, CHRISTIANO IV. *Regi ex baptismo una cum aliis a se suscepto honorarii loco dedit.*

DEus trinus & unus largiatur huic regio nato, abavi sui Christiani felicitatem & fortunam: proavi Friderici I. mansuetudinem & benevolentiam: avi Christiani III. pietatem & clementiam: Friderici II. patris sui magnanimitatem & prudentiam: ac horum regum omnium majorum suorum contra hostes suos glorioſas victorias. Hæ enim virtutes ex tot Regibus & paterno sanguine in illum defluxere: talesq; decent tot regum prolem.

HAFNIAE.

IN SUMMO TEMPLO.

MElchior hic Ranzo situs est clarissimus, atq;
Nobilibus veteri stemmate natus avis.
Qui virtute sua, multis & dotibus, ampla
Inclyta Ranzoa gloria gentis erat.
Quem dolet in media sublatum ætate virili
Cimbria, præstantem magnificumq; virum.
Illius in duris industria cognita rebus,
Danorum & regi sæpe probata fuit.
Corporeisq; bonis, nunquam vitæve pepercit,
Pro domini salva posteritate sui.
Impiger, assiduus, celer, imperterritus, acer
Præfectus pacis militiæq; fuit.

Eloquio gnarus, magna cum laude, diserto
Mentis abundanter promere sensa sua.
Quantum & præstiterit, cúm res poscebat, in armis,
Pallida testatum reddere Trava potest.
Invida cur Lachesis non hunc es vivere tantum
Passa diu meritum stamina longa virum?
Rumpere sed merita nequeas cúm stamina fama;
Post cineres viget hæc, vivaq́, semper erit.

D. O. M. S.

Dn. Jacobo Bordingo Antverpiano, viro in omni Philologia & Philosophia bene & eleganter versato: & propterea Sadoleti quoq; aliorumq́; exterorum doctiss. monumentis publicé celebrato, primúm patriæ, dein Ducc. Megapp. & sereniss. Daniæ Regg. Christiani III. & Friderici II. Archiatro: Academiarum Rostochianæ & Hafniensis ornamento: ob veræ pietatis, eruditionis, sapientiæ, & omnium virtutum laudem, memoriã perennem iam pridem adepto: grati hoc animi memoraculum, patri opt. sibiq́; & omnibus bonis desideratiss. in beatæ reparationis spem, Jacobus Bordingus F. J. U. Doctor, Professor & Cancellarius Megapol. P. C.

Pié obiit Hafniæ, an. Christi cIↃ IↃ IX. Septemb. v. hora IV. vesp. an. æt. L.

In choro humi in lapide.

Petrus Palladius Ripensis, sacræ Theologiæ Doctor, Academiæ Hafnienſis Professor, & Sialandicarum Ecclesiarum Superintendens vigilantissimus, vir pietate, eruditione, comitate, & vera virtute ornatissimus, in invocatione filii Dei obdormivit tertio die Januarii, An. Dom. 1560. ætatis suæ 57.

ROSCHIL-

ROSCHILDENSIA.

IN TEMPLO CATHEDRALI.

In Haraldum Regem, ejus templi primum conditorem. qui obiit anno Christi 980.

Tergeminus fuit Haraldus, dum sceptriger omni
Temporis excursu pace beatus erat.
Cæsaris innumerum donec furit agmen, & inde
Climata Jutonica dilaniata jacent.
Consilium nimium felix: Rex gurgite sacro
Mersus, init superis fœdus: & arma jacent.
Funditus hasce Jovi summo nunc condidit ædes,
Quasq; per id memores duxerit esse sui.
Sueno etiam abluitur, præter placitum, sua proles
Præcipiti rabie qui strepit armipotens.
Imperii siquidem generosi fata parentis
Cæca libido parat, spicula missa necant.
Post natale Dei dum scripsimus octuaginta
Nongentos, meruit scandere celsa poli.

Sueno Magnus, Rex Daniæ, Angliæ, & Norvvegiæ.

Regum Sueno decus, magno quo Dania Rege
Floruit, & sceptris imperiosa fuit.
Non virtute minor Sueno, quám nomine Magnus:
Nam dici poterit Magnus utroq; modo.
Hunc soror illustris Regis præclara Canuti
Estridis genuit prole beata parens.
Anglos Marte premens, Norvvegia regna subegit,
Fit tria sceptra tenens unica Dana manus.
Res miranda nimis, quem non tria regna valebant
Imperio capere, jam petra parva capit.

Sed quia ſtare diu nequit heu terrena poteſtas;
Terrarum reges quærite regna Dei.

An. Dom. 1412. in die S. Simonis & Judæ Apoſt. obiit Illuſtriſſ. Domina D. Margareta, quondam Daniæ, Sueciæ, Norvvegiæ, regnorum regina: & anno ſequenti 4. Nonas Julii hîc ſepulta. Quam quia tota poſteritas digné, ut meruit, ſimul honorare nequeat; hoc opus in ejus memoriam, magnifici Principis Erici Regis moderni ſumptibus eſt conſtructum, An. Dom. 1423.

EPITAPHIUM
Wilhelmi olim Epiſcopi Rotſchildenſis.

Wilhelmus olim Epiſcopus Roſchildenſis
Præſtantibus Dei relucebat donis,
Pietate, religione, percelebri vita
Et ſancta, & omni genere virtutum illuſtri;
Adeó, ut incertum erat, is ne officio tali
Dignior erat, an illo officium. Tam ſpectatum
Epiſcopatus præſtitit ſui exemplum.
Hic fretus innocentia, atque item juſto
Injuſti homicidii dolore permotus,
Quod á rege factum erat, libidine magis quám
Ratione, Regem ipſum quamvis magnum, & tali
Regno potentem, comitatuq; ſtipatum
Magno, repulſum baculo, prohibuit templo,
Rebusq; ſacris, donec pœnitens facti,
In gratiam cum Eccleſia ac Deo offenſo
Rediſſet. his factis, tempore non ita multo
Póſt, mortui jam regis ſui deferebatur
Funus. quod ut reſcitum eſt appropinquare
Urbi; duo ſepulchra confici juſſit,
Duobus etiam feretris adornatis ibat
Wilhelmus obviám. Poſtquam ad funus ventum eſt
Oratione facta, ut illi (quem in terris
Deo patri jam lucrifecerat ſanam
Per admonitionem) commori poſſet.
Mox membra collapſus, animam ſanctam cælo
Reddidit.

Reddidit. Ac inde uterq; ſuo lecto impoſtus
Hanc ſacram ad ſedem pariter (mirabile dictu)
Magno omnium ſtupore deportati ſunt.
Wilhelmo honorificé ſepulto, ac de more
Epiſcopalibus inſignibus uná cum illo
Terra reconditis, novo DEUS *funus*
Miraculo hominum memoriæ conſecravit.
Hæc ipſa namq;, ut obruta tumulo terræ,
Ultro ſepultum reddidit. translatum ergo
Huc funus eſt, ac magna cum religione
Hoc in loco commendatum ſepulturæ.

Ibidem.

EPITAPHIUM SAXONIS GRAMMATICI DANORUM Hiſtorici.

Qui vivens alios æternúm vivere fecit,
Saxo Grammaticus mortuus hic recubat.
Mortuus extincto ſed tantúm corpore, mente
Qua valuit, magno vivit & ingenio.

SORANA.

IN TEMPLO COENOBII Sorani.

Hoc Abſalonem tumulo poſt fata recluſit
Ultimus humanæ conditionis honos.
Hic primas ſua prima tenens, docet, ultima cunctis
Ingruere, & nullum poſſe manere diu.
Corpore nactus humum, luſtrat ſpiramine cælum,
In duo diviſus gaudet habere duo.
Par patris patriæq; parens, hoc pulvere pauſat,
Certa ſalus populi, plebis opima quies,
Virtutis ſpecimen, juſti pater, auctor honeſti,
Militiæ robur, relligionis apex.

Hostibus excidium, tutamen civibus, æqui
Arbiter, armorum gloria, pacis amor.
Non fuit in toto quisquam præstantior orbe,
Nulla magis clarum fudit origo virum.
Omnis in hunc virtus confluxit munere pleno,
Nec quenquam vitio præstitit esse locum.
Quicquid Achillis erat, quicquid Platonis, in ejus
Splenduit ingenio, moribus atq; sono.
Fortior extiterit, num doctior, ambigit omnis,
Pectora cui sacri nota fuere viri.
Ad sacra gentiles armis transire coëgit,
Hîc mihi, ne dubites, Rugia testis adest.
Excubiis cujus patria pax constitit, hujus
Dania jam fatis pressa revixit ope.
Hinc eadem tanto viduam se sole queratur,
Et lucem luci jure precetur ei.
Lux Benedicte tua en præsens huic lumen ademit,
Donatura novum perpetuumq; sibi.

ALIUD.

Valdemarus Regum non infima gloria Danûm,
Quem tenet extinctum constructa ex marmore tumba,
Ejectus regno, magna virtute regressum
Obtinuit, pulso forti de finibus hoste
Holsato, patrias arces terramq; redemit
Expositam precio: senserunt principis arma
Invicti, gentes ponto terraq; direptæ,
Vandalicæq; urbes opibus fastuq; superbæ
O nimium! Tandem vitæ pertæsus obivit
Gurræ. Translatum recubat post funera corpus
Hoc tumulo Soræ. sed mens petit ardua cæli.
Fama solo remanet studiis celebranda nepotum.

Olaus, illustrissimæ trium Regnorum borealium Reginæ Margaretæ filius, ex Haquino Norvagiorũ rege genitus, qui primum Norvagiæ regnum jure hæreditario ex morte patris obtinuit, regnante matre: tum veró defuncto avo materno Valdemaro, cúm mater in Daniam ob heroicas animi dotes revocata esset ad imperiũ, præstantissimæ

tissimæ fœminæ beneficio, Danorum Rex in adolescentia, accepto á proceribus juramento, designatur & declaratur. Quo facto ubi Gerhardum Holsatiæ Comitem, ex voluntate & consilio matris, Ducem Regniq; Danici vasallum solenni ritu creasset, pauló póst immatura morte ex hac vita evocatus, hîc Soræ pone materni proavi tumbam sepultus est, dignissimæ reginæ matri, utriusq; regni jus & imperium relinquens, anno Christi 1387.

Dania Norvago genuit me Margaris illa,
Quæ fuit Haquino tradita connubio.
Et jus Norvagûm, sed Danûm gratia Regem
Signat, ubi fatis, cum patre, cedit avus.
Sed mihi regna negat mors immatura, deinceps
Norvagia ut Dano pareat imperio,
Et matris, tantâ regnantis laude, triumphus
In Suetos, toto notior orbe foret.
Inter avum & proavum nunc Soræ corpore condor
Olaus, cæli lumine mente tegor.
Atqui me, ob similes vultus, se finxit eundem
Nutricis ludens arte, doloq; meæ,
Falsurbodensi cineres commiscet arenæ,
Supplicium in ficto corpore ut ignis agit.

IBIDEM.

Epitaphium M. Hilarii-Johannis Malmogiensis: quî cúm profiteretur bonas artes & mathemata in Academia Hafniensi, subitó phrenesi corripitur, & 20. tandem póst annis moritur Soræ, anno nimirum Domini 1567. Octob. 28.

Scania quo multum docto gaudebat alumno,
Hilarius fatis pressus & actus obit.
Floruit is tantúm Musis & clarior arte,
Dum mens in vegete corpore sana fuit.
Ingenii primúm, tum vitæ lumine cassus
Occidit: ablatum reddet utrumq; Deus.

Christianus Machabæus Alpinas P.

ALIUD.

Subjecta recubat Canutus molliter urna
Petrejus, clara quem genuere Ripa.
Ingenium Musis cultum florentibus annis,
Est ubi Balthiacis Hafnia cincta fretis.
Póst Witeberga, viris semper fœcunda diserti,
Instituit, celebrem contribuitq; gradum.
Sed tandem sacri lectoris munere functus
Sora, grassanti morte peremptus obit.
Doctrina similes mores, & vita fuerunt.
Mors igitur vitæ est fons & origo novæ.

Ob. ann. Chr. 1569. 8. Septemb.
Christianus Machabæus Alpinas.

IN PRIMA CLASSE SCHOLÆ illustris Soranæ.

Hæc loca, quæ studiis olim sacrata fuerunt,
Invasere greges fratrum mercede rudentum
Qui Veneris ductum pulsa pietate secuti,
Barbariem spretis sparserunt artibus orbe.
Hos procul hinc pepulit mediis lux orta tenebris
Lux veri & recti, Scripturis eruta sacris.
Hinc procul hos abiget Musis instructa juventus,
Quam fovet & format, veterem translata sub usum
Sora tuis Rex auspiciis Friderice secundis,
Atq; tuo nutu, te servet sancta moventem,
Fundantemq; scholas, & Danica sceptra regentem
Justitiæ frenis totum qui temperat orbem:
Et faciat fructu DEUS *ut schola cœpta redundet.*

Christianus Machabæus Alpinas,
ejus monasterii præses F.

IN COENOBII CUJUSDAM cœnaculo.

Doctorum famuli sunt omni tempore tardi.
Sudant quando vorant, frigescunt quando laborant.

BAR-

BARDESHOLMIA.

IN TEMPLO MONASTERII BARDESHOLMII.

Epitaphium Episcopi Vicilini.

Ossa pii patris hic condita sunt Vicilini.

Addita metra, quæ ipsi vocant quadrangula.

Aldenburch	*Præsul*	*Holsatis*	*nobile*	*germen*
Præsul	*finalis*	*præstans*	*tutamen*	*alumnis*
Holsatis	*præstans*	*lumen*	*purissima*	*gemma*
Nobile	*tutamen*	*purissima*	*gemma*	*refulgens*
Germen	*alumnis*	*gemma*	*refulgens*	*o Viciline.*

IBIDEM.

Anno Domini 1554. obiit D. Wolfgangus Pogvvischæ, eques auratus in Buckenhagen hîc unâ cum uxore & liberis sepultus.

Hic sita Wolfgangi Pogvvisci membra quiescunt,
Majorum veteri nobilitate sati.
Qui virtute sua dignos sortitus honores,
Clarus ob ingenii splendida dona fuit.
Magnificé gessit partum, quem fulvus equestris
Militia aurata postulat ordo, statum.
Teutonicoq; fuit facundus, & ore Latino,
Mentis ut efferret sensa probanda sua.
Ille nec ingenuas artes didicisse, pudendum
Splendori duxit dedecus esse suo.
Quattuor illustres Danorum regibus aulæ
Eloquio rexit consiliisq; suis.
Grande decus patriæ, quo fortunata vigente,
Floruit incolumi Cimbria lata statu.
Vixit honorificé, longævus Nestor ut olim
Verba Pericleo more diserta tonans.
Doctus ubi fuerat, regnum cæleste parari
In Christum viva justificante fide;

Spiritus hic posito mortali corpore tandem
Transit æterni regis ad astra sui.

Obiit anno Christi M. D. LII. die Matthiæ.

FRIDERICO II. SEPTENTRIONIS regi potentiss. monimentum hoc cælo Musarum religiosarum est sculptum

á

NATHANE CHYTRÆO.

Laudarunt in te multi permulta, nec illud
Improbo. virtutes quis enim sat laudibus ornet,
Rex Friderice, tuas? laudum sed prima tuarum &
Summa vel hæc una est, uno quód nomine Christi,
Christiadumq; ejus solidé contentus, in oras
Nomina nulla tuas quasvis redolentia sectas
Schismatica admisti, constans, animosus & acer
Rex, cui Christus amor, Christus decor, omnia Christus.
Utpote Christiade patre natus, & ipse relinquens
Christiaden regem electum, cui sceptra coronamq;
Cælitus Astræa ostentans jam jamq; datura est.
Scilicet istorum auspiciis, procerumq; potentum,
Quos penes est regem legere atq; amare potestas,
Et Christo sua regna manent: jamq; ultima Thule
(Qua nulli Augusto, ut tibi servit, serviit unquam)
Voce typisq; suis sacra edit Biblia, bellé
Non minús aut nitidé, quám Francogallia possit,
Inventrixq; ejus Germania nobilis artis.
Hæc, nisi decipior, laudum Friderice tuarum
(Quæ & successori ut maneat, sine fine precandum)
Laudarint quamvis multi in te multa, suprema est.

HORNS.

HORNSLETI IN JUTIA.

Dn. Georgius Rosencrantz, &c. de seipso loquitur.

Curarum satur, & rerum quas mundus adorat,
Hoc vivus mihi delegi struxiq; sacellum,
In quo tranquilla post fata quiete potirer:
Voce sua Christus dum me revocaret, & omni
Crimine mundatum cælesti in sede locaret.
Ergo valete arces, & opima jugera terræ:
Aula vale: valeant regum quos nomine honores
Et patria gessi. cui si satis utilis esse
Haud potui; studui certé; mundana valete
Omnia. sed Christus mihi custos unicus adsit;
Hic mihi solus amor, spes, lucrum, honor, omnia solus.
Ac tu qui terræ post me dominaberis isti,
Parce mihi, ne sis defuncto injurius, ipse
Qui vivus ne vel minimo gravis esse cupivi.
Scito sed ad metam hanc ipsam te tendere, eoq;
Disce mori, dum vita placet. properè omnibus instat
Mors hodierna mihi, tibi crastina forte futura.

Memoriæ D. Othonis G. F. Rosencrancii.

Othoni Rosencrancio, Georgii Equ. splendidiss. & inter proceres regni Daniæ eximii, filio: juveni pio, bene morato, docto, ab omni luxuria & fastu alieno: &, quod rarum huic ætati est, mortis perpetuó memori. qui præcipuis utriusq; Germaniæ urbibus & Academiis perlustratis, in patriam vix reversus, sub ipsum juventutis florem suorum ex oculis, non memoria, sublatus est. Anno Christi cIↃ IↃ IIXCII. die VII. Martii. Ætatis suæ XXI.

Cultor Otho á teneris sincerus numinis annis,
Musarum decus, & patris pia cura Georgi,
Hoc sua deposuit Rosencrancius ossa sacello,
Cùm tria complesset vix dum septennia. primis

Dania litterulis hunc imbuit: addidit artes
Et linguas Varnus: Scaldis, Nicer, Isula, Rhenus
Judicium & mores ita formavere, senile
Ut quiddam viridi jam conspiceretur in ævo.
Optatos hinc sperabat sibi patria fructus,
Sperabant Rex & proceres, clariq; parentes.
Verùm aliter Domino placuit, qui noluit isti
Tot spinas instare Rosæ, & mox leniter ungue
Somnifero avulsam cælestibus intulit hortis,
Pars ubi sidereæ nulli evellenda coronæ est.

Obdormivit anno clo Io IIXCII. mensis Martii die VII. hora VIII. anno ætatis XXI.

Georg. Rosencrantz & Dorothea Langa parentes mœstiss. filio desideratiss. mo, in spem lætiss. resurrectionis, cum lacrymis PP.

ALIUD BREVIUS.

Dania dat patriam, Rosecrantia nomen Othoni
Nobile gens: puerum pietas formavit: in urbes
Teutonicæ eximias Charites duxere: reversum
Mors rapuit: requiem exuviis hîc terra; beatæ
Lumina dat menti Christus; nova gaudia cælum.
Illius exemplo vel in ipso flore juventæ
Disce mori. humanæ summa hæc sapientia vitæ est.

INSCRIPTIONES QUÆ IN ARCE Uraniburgicâ, á Tychone Braheo, in insula Hellespontî Danici, Huena, anno Domini 1576. primùm é fundamento inchoatâ, & annis mox subsequentibus integré extructâ, conspiciuntur.

Lapis angularis, versus ortum in majori domo á Carolo Danzæo Regis Galliarum Legato constitutus, hanc habet inscriptionem.

Friderico II. in Dania regnante, Carolus Danzæus Aquitanus R.G.I.D.L. domui huic Philosophiæ, inprimisque astrorum contemplationi Regis decreto á nobili viro Tychone Brahe, Ottonis F. extructæ, votivum hunc lapidem,

lapidem, memoriæ & felicis auſpicii ergó, anno M. D. LXXVI. VI. Auguſti P.

Quod etiam hi verſus teſtantur.

Tempore quo regnum, qui nomine req; ſecundus,
Danorum, imperio Rex Fridericus, habet,
Carolus, ad Danos Galli legatio Regis,
Danzæus, quem orbi terra Aquitana tulit,
Huic domui, Uraniæ & Sophiæ quam Tycho Brahorum
Clara ſtirpe ſatus, Rege jubente, ſtruit.
Hunc lapidem, auſpicio felici, ut q; omne per ævum
Auguſti id memoret lux modó ſexta, locat.

Orientalis autem janua infra Philoſophum Aſtronomicum, é ſolido marmore ſuperiús extantem, hunc verſum habet Pſalmi Davidici.

Cæli narrant DEI gloriam, & opus manuum ejus oſtendit firmamentum.

Occidentalis habet eodem modo alium Philoſophum terreſtria ſcrutantem, infra quem etiam ex Pſalmis Davidicis hæc reperitur inſcriptio:

Domini eſt terra & plenitudo ejus; orbis terrarum & omnes ejus incolæ.

Frontiſpicio ſubterranei Obſervatorii, extra arcem Uraniburgum aureis literis hæc ſunt inſculpta:

NEC FASCES NEC OPES
SOLA ARTIS
SCEPTRA PERENNANT.

Ubi in dicti Obſervatorii hypocauſtum deſcenditur, ſequentia diſticha aureis litteris lapidi Porphyrio inciſa conſpiciuntur.

Urania hæc cernens terreſtria cælitus antra;
Quæ nova ſub terris techna paratur? ait.
Delapſa ingreditur. cæli quid ſidera cælo?
Rurſum ait, en tellus in mea ſacra volat.

Hîc terra in gremio quicquid secluſit Olympus
Panditur, has latebras ſidera nulla latent.
Quorſum opus immenſo cælos diſtare receſſu,
Cúrve tot abstruſis æthera volvo rotis?
Si penetrant humiles mea celſa theatra caverna:
Ima etiam tellus ſi dat in aſtra viam.

TYCHO BRAHE F.

Deinde ſupra idem Obſervatorium, poné ingreſſum ab alterâ muri parte, quæ meridiem reſpicit, lapidi Porphyrio aureis literis hæc perſcripta leguntur:

D. O. M.

Aſtronomiam, ſcientiarum omnium antiquiſſimam & præſtantiſſimam, diu quidem multumq́; cultam, nondum tamen ſolidé conſtitutam, aut á mendis vindicatam animadvertens, ei inſtaurandæ perficiendæque varia eademq́; exacta adinvenit conſtruxitq́; organa, ad omnimodas cæleſtium corporum obſervationes ſufficientia, labore, diligentia, impendio incredibili. quæ partim proxima eandem ob cauſam exædificata arce Uraniburgo; partim hisce cryptis, ad conſtantiorem & opportuniorem uſum diſpoſuit: tibiq́; ô inclyta, omni ævo ſucceſſura poſteritas, hunc theſaurum rariſſimum & precioſiſſimum commendans, dicans, conſecrans, ut in æterni DEI, admirandæ cæleſtis machinæ opificis gloriam, artisq́; divinæ propagationem, ac patriæ honorem perpetuó conſerves, nec vetuſtate, alióve incommodo collabaſcere, aut aliorſum transferri, vel quocunque modo violari ſinas. Si nihil aliud, authoris ſaltem univerſi vindicem reverens oculum.

Qui ea cuncta in hac Inſula inchoavit & abſolvit, hoc monumento poſito, te rogat & obteſtatur.

TYCHO BRAHE O. F.

Have, qui hæc legis, facisq́;, & vale.

In

In Observatorii priús nominati hypocausto sequentium Astronomorum icones, & harum unicuiq; suum distichon aureis literis subscriptum, inveniuntur.

TIMOCHARES ALEXANDRINUS.
Anno 300. ante Christum.

Salvete heroës, vetus ô Timochare salve,
Ætheris ante alios ause subire domos.

HIPPARCHUS RHODIUS.
Anno 120. ante Christum.

Tu quoq; dimensus solis lunæq; recursus
Hipparche, & quotquot sidera Olympus habet.

CLAUDIUS PTOLEMÆUS ALEXANDRINUS.
Anno 140. post Christum.

Antiquûm superare volens Ptolemæ labores,
Orbibus & numeris promptiús astra notas.

ALBATEGNIUS ARRATENSIS.
Anno 880. post Christum.

Emendare aliquid satis Albategne studebas,
Sidera conatus posthabuere tuos.

ALPHONSUS REX HISPANIÆ.
Anno 1250. post Christum.

Quod labor & studium reliquis, tibi contulit aurum
Alphonse, ut tantis annumerere viris.

NICOLAUS COPERNICUS TORONENSIS.
Anno 1520. post Christum.

Curriculis tritis diffise Copernice terram
Invitam astriferum flectere cogis iter.

TYCHO BRAHE DANUS DE KNUDSTRUP. Anno 1580.

Quæsitis veterum & propriis norma astra subegi.
Quanti id, judicium posteritatis erit.

TYCHONIDES.

Te venerande parens tuaq́ alta inventa sequutus
Det DEUS, *athereas ipse & inibo vias.*

In ejusdem hypocausti horologio majori.

Tempora circuitu calum fugientia volvit,
Nec modó prateriens hora redire potest.
Temporibus totus fugitivis clauditur orbis,
Praterit & toto quicquid in orbe viget.
Ergo quid expediet mundi fugitiva figura,
Cur his conformes, qua peritura, sumus?
Est aliud quod nos calum expectatq́, vocatq́:
Idq́ avo, aspectu, limitibusq́ caret.
Jova ubi sol ipse est, similatq́ Ecclesia lunam,
Angelico stellis conveniente choro.
Huc huc tendamus. manet illic patria vera.
Nec mundi immundi nos remoretur amor.

TYCHO BRAHE O.F.

Magno Tychonis globo ex orichalco, qui in dimetiente sex pedes continet, locumq́ in Museo ipsius habet, aureis literis, in ambitu horizontis, hæc circumscribuntur:

Anno á Christo nato M. D. LXXXIIII. regnante in Dania Friderico secundo, hunc cælesti machinæ conformem globum, in quo affixa octavæ sphæræ sidera cælitus organis deprehensa, suis quæque locis ad amussim repræsentare; errantiumq́; stellarum per hæc apparentias pervestigare decrevit: Cælo terrigenis, qui rationem eam capiunt, mechanico opere patefacto.

TYCHO BRAHE O.F. sibi & posteris F.F.

ALIA QUÆDAM.

Anno 1590. 20. Martii (quo tempore sereniſſimus Rex Scotiæ Tychonem Brahe Uraniburgi invisit) exarabat Regiæ suæ majestatis Cancellarius Jo. Metellus, ibidem hoc μνήμοσυνον.

Regia

Regia Musarum, decus orbis, & æmula Olympi,
Alma domus, dignum nomine numen habes.
Quæ Sophiæ, aut miri, Babylonia, Græcia, Memphis
Prisca habuere, habet hic unus, & una domus.

ITEM.

Si mirum Alciden calum subiisse ferendo,
Aut puerum raptu detinuisse DEOS:
Uraniam in terras celso qui eduxit Olympo,
Quantus! & θρανίοις annumerandus erit.

Circa arma Tychonis.

Arma, genus, fundi pereunt, durabile virtus
Et doctrina decus nobilitatis habent.

Typographiæ.

Uraniæ ingenuo & celso molimine parte
Imprimeris manuum sic ne labore labos?
I, mundiq; diu vasti pete regna, superstes
Successus tribuat conditor Uranion.

In Museo

Non haberi, sed esse.

Sub Baccho.

Stultitia in vinis, fervor in igne furit.

Sub Sole aureo.

Calor & color omnia pandit.

Ad fornacem.

IN MUNDO
CALLET CALLIDUS CALET
IMMUNDO.

Sub pyramide.

Stans viret in solido, ventus strepat, ignis & unda.

Circa ſpeculum opticum.

EXTERIORA PATENT, INTERIORA LATENT.

Supra januam hypocauſti.

DOMI { latêre conſpici / conſpici latêre } FORIS.

In Muſæo dictum Platonis.

Unum eſt naturæ vinculum, doctrina numerorum, figurarum, & motuum cæleſtium.

Circa annulum adamante acuto conſpicuum, juxta quem ex duabus perticis, in modum crucis decuſſatim manu ferrea in medio ſuſtentatis, duo vaſcula dependent, alterum igne, alterum aqua diffluens.

NON INIMICA ABOLET VIS ULLA, NEC UNDA, NEC IGNIS.

Supra tectum in quatuor anni tempora.

VER.

Ver, juvenis tepet, & variis ſe floribus ornat.

ÆSTAS.

Æſtas, vir torret, fruges pratumq́, reſcindit.

AUTUMNUS.

Autumnus ſenior madet, & ſibi congregat intrò.

HYEMS.

Brumaq́, decrepitus friget parcitq́, potitis.

In ambitu horologii.

Me Tycho Brahorum ſoboles, teſtarer ut horas,
Impoſuit celſis ædibus Uraniæ.

ALIA.

Hoc vallum, & molendinum papyraceum, cum omnibus

bus adjunctis artificiis, & superiùs dispositis piscinis, hîc ubi nihil tale antea extitit; instinctu, ordinatione & sumptibus propriis, patriæ, sibi, & posteris,

Tycho Brahe O.F. de Knudstrup F.F.
Incepit anno 1590. complevit 1590.

Symbolum sereniſſimi R. Scotiæ manu adscriptum. Anno Dom. 1590. XX. Martii.

Est nobilis ira leonis,
Parcere subjectis, & debellare superbos.
Jacobus Rex.

Symbolum Elisabethæ Reginæ sereniſſ. manu adscriptum. 1586.

Gott verleßt die seinen nicht.
28. Junii.

In templo Helsinburgensi.

Exuvias abiens tulit huc Kirstina tenellas,
Quæ Brahæi olim nata Tychonis erat.
Illa quidem modicum mundi fuit incola tempus,
Interea modicis non tamen aucta bonis.
Ingenio sexum superavit, moribus annos,
Eloquii grata dexteritate pares.
Ergo hanc, quæ dederat subitò natura, recepit,
Consuetis majus ne quid adulta foret.
Vivit at illa tamen: naturæ obstacula vicit;
Pro modico æternum tempore tempus habet.
Æthereisq; potita bonis, mortalia temnit,
Per Christum gratis consociata polo.

Obiit peste Anno 1576. Septembris die XXIIII. Vixit hîc in terris saltem annos duos, menses II. dies II. horas II.

MORS
Quó citior, dulcior,
Quo serior, amarior.

Kirſtinæ dulciſſimæ filiolæ, præter æ-
tem induſtriæ, & moratæ, pater mœ-
rens F. & P.

WESBUII IN SCANDIA.

Claudius hîc parvâ requietus clauditur arcâ,
Cui vivo in toto non foret orbe quies.
Hunc natura ſemel terris monſtravit, at illic
Conceſſit ſaltem ſex ſupereſſe dies,
Ut tener & levior mortali labe ſolutus.
Ad ſuperos nullo pondere tardus eat.
Tempora pro modicis ubi nunc æterna diebus
Obtinet, & gratis pace potitus ovat.

Claudio dilecto filio unicam ſeptima-
nam in terris non complenti pater
lugens F. & P. Anno 1576.

CRONEBURGICA.

CARMEN FRONTISPICIO ARCIS CORONEBURGI INCISUM.

Inclytus hanc celſam Fridericus condidit arcem,
Nomine qui ſimul & ſorte ſecundus erat.
Rex pius & juſtus, mitis, robuſtus in armis,
Qui tamen invitus pratulit arma togæ.
Cui Regina toro vixit ſociata jugali,
Mechelburgiaca nata Sophia domo.
Quæ pariter virtutis amans, ſtudioſa mariti,
Pignora conjugii plena decore dedit.
Ergo ubi pacatos ageret Rex impiger annos,
Structura tanta mole peregit opus.
Munivit q; arcem, velut aſpicis. haud quód in iſta
Spem ſibi tutelæ præſidiiq; locet:
Nec velut antiquæ ſtructor Babylonis, ovando
Jactet ut humanâ robora facta manu.
Iſte luit pœnas faſtus, dum ſeptimus annus
Cerneret amentem perſimilemq; feris.

Rex

Rex nihil ostentat Danus, se credit & optat
Præsidio tutum solius esse Dei.
Scit bene, nî faveat Numen, quód robora nulla
Vel chalybe, aut duro facta adamante, juvent.
Ergo det astrorum, terrâq; marisq; creator,
In quo spem solo Rex Fridericus habet,
Prosper ut ille diu & soboles seriq; nepotes
Hus habitent firma pace vigente domos.

Ad Regis ipsius mandatum Tycho Brahe F.

Ad horologium.

Transvolat hora levis, neq; scit fugitiva reverti.
Nostra simul properans vita caduca fugit.

CIMBRICA.

IN ARCE VIRI ILLUSTRIS D. HENRICI RANZOVII VICARII REGII, BREDEMBERGA.

Inscriptio portæ.

SI nihil ædificas, qui spectas nostra, viator,
Aut mea ne carpas, aut meliora struas.
Si meliora tenes; id Divos poscito mecum,
Ne, quod uterq; tenet, fascinet invidia.

IBIDEM.

Janua sinceris ego nunquam claudor amicis,
Osorem semper clausa subire veto.

Armamentarii.

Longa domus belli capit instrumenta cruenti,
Dum bona tranquilla tempora pacis eunt.
Grandia stant illic uteris tormenta cavatis,
Et nunc ceu placido pressa sopore tacent.
At subeant hostes, mox longa silentia rumpent,
Et piceas flammas ore pilasq; voment.
Sidera pulsabit sonus alta, remugiet æther,
Et gemitus tellus, mota fragore, dabit.
Sulphureoq; globos procul ejaculata cavernis,
Turbine prosternent obvia quæq; solo.

IN COENACULO COMMUNI.

Qui novus hic nostris succedis sedibus hospes,
Esto bonus, mensam consulitoq; boni.

Crateram

Craterem de more lubens philotheſion hauri,
At litem moveas ebrietate, cave.
Pocula amicitiam faciunt, & pocula ſolvunt.
Si bibis, ut valeant mensq; pedesq;, ſapis.

Ad cochlidem.

Hæc cochlis exciſis quam conſpicis ardua ſaxis,
Magnanimi donum principis illa mihi eſt.
Saxonicam qui frena tenet ſeptemvir in oram,
Et pius Auguſtum nomine req; refert,
Hic mihi donavit lapides, cúm miſſus ad illum,
Dania cui paret, nomine Regis eram.
Ipſe ſuum munus commendat muneris auctor,
Gratáq; ſunt magnis dona profecta viris.
Ergo etiam nobis dono data principe tanto,
Gratior hæc noſtrâ ſtabit in arce cochlis.
Et ſpectaturis ſero teſtabitur ævo,
Nobile ſe munus Saxonis eſſe Ducis.

In tabula quadam ſuſpenſa, muſcæ, in calice ſubmerſæ, hoc legitur epitaphium.

Guſtatrix jacet hîc lautorum muſca ciborum,
Et conviva frequens Principis in tabula.
Non volucris roſtro, ſtimulis nec aranea aduncis,
Cretica ſed guſtans pocula, pota cadit.
Nil opus eſt luctu: quis enim tam nobile fatum
Lugeat? eſt auro condita, merſa mero.

Dn. Joannis Ranzovii.

Cúm placido vita mutaſſet tempora fato
Heu Janus hic Ranzovius:
Luxerunt nati, conjux, Holſatica tellus,
Uno ore plangentes patrem.
Mars tumulo impoſuit laurum, zonamq;, trophæumq;,
Et hoſtibus demptas opes.
Pax etiam, aut concors huic, aut contraria Marti,
Laudavit ipſa animum viri.

Fama hinc dispergens laté ore, manúq; secuta est,
Virtutis excellens decus.
Qualiter hunc igitur vixisse putabimus ævum,
Per lustra bis septem & tria?
Tot namq; hic vixit, quem Mars, Pax, Fama perennis
Laudent, requirant, efferant.
Et pia cum natis conjux viduata marito,
Et patria, lugeant patrem.

Ad fores hendecasyllabi sequentes conspiciuntur.

Hunc quicunq; subis locum, resiste
Paullum, si placet, atq; paucula audi.
Votivum domini vides sacellum,
In quo res perago sacras, & ore
Nostra percipitur salutis autor,
Funduntúrq; preces, piæq; voces
Et dicuntur & audiuntur. Ergo
Arcem si venis huc videre saltem;
Illius studium, bonamq; mentem,
Qui poni voluit sibi, probato;
Aut, si res ita fert tua, æmulare,
Et semper pietatis esto cultor.
Sin huc ingrederis, sacris ut ipse
Interfis simul, ad fores, profanas
Omnes exue cogitationes,
Et mentem indue sancta cogitantem,
Præsentemq; puta Deum videre,
Ad quem verba facis, precesq; fundis;
Illi corde pio, piaq; lingua,
Pro donis age gratias benignis,
Collauda, venerare, concine, atq;
Dictis suppliciter precare votis.
Huic soli est operi locus dicatus.
Illud te monitum priús volebam.

Libros bibliothecæ suæ ampliss. ad imitationem Flaminii sic alloquitur D. Henr. Ranzovius:

Salvete aureoli mei libelli,

Mei

Meæ delicię, mei lepôres,
Quám vos sæpé oculis juvat videre,
Et tritos manibus tenere nostris.
Tot vos eximii, tot eruditi,
Prisci lumina sæculi & recentis,
Confecêre viri, suasq; vobis
Ausi credere lucubrationes,
Et sperare decus perenne scriptis.
Neq; hæc irrita spes fefellit illos,
Vestro præsidio per universum
Ævo perpetuo leguntur orbem,
Doctorumq; volant per ora clari.
Vos estis requies honesta mentis,
Jucunda ingeniis bonis voluptas,
Rebus perfugium minús secundis,
In latis decus, & nitor refulgens.
Vos ætate puer virente, magno
Sum complexus amore. nunc vir autem
Multó prosequor impotentiore.
Et, quam fata diu sinent amare,
Vobis immoriar mei libelli:
Ac cum rege lubens fatebor illo
Alphonso egregio, esse cariores
Vestras divitias mihi, benigna
Quám sors quas mihi contulit caducas.
Salvete aureoli mei libelli.
Salvete, ex quibus hæc mihi voluptas
Ævum percipitur per omne grata.
Quám vos intueor libenter, & quám
Lubens colloquor! Ecquid æstimandum est
Curis esse beatius solutis?

In porticu Bredenbergensi ad imagines heroum.

Scipio cúm Romæ statuas spectaret avorum,
Hæc ad virtutem sunt mihi calcar, ait:
Hos quoq; quis spectet referentes inclyta facta,
Seq; aliquo tangi laudis amore neget?

Sint licet abstractis procul in regionibus orti,
Omnes aternum promeruêre decus.

Josua Dux Populi Israelitici. H. R.

Aspice, Nunnides ego sum, qui maximus armis
Pro populo gessi bella cruenta meo.
Promissamq; diu, cæsis cultoribus ense,
Distribui jacta sorte, dediq; plagam.
Triginta numero reges, quis credat? & unum,
Hæc mea divina dextera fudit ope.
Et mihi Jordanis, tacitis immobilis undis,
Et mihi tardatis, Sol stetit altus, equis.
Esse typum Christi factis & nomine quisquis
Me putat, errorem quo tueatur, habet.

Aliter. H. R.

Josua ter denos Reges unumq; peremi,
Occupo promissi dum fera regna soli.
Sol quoq; bissenis lucens immobilis horis
In medio cæli, me cupiente, stetit.

David Rex Israeliticus. H. R.

Parvus eram, pecudumq; gregem per rura sequebar,
Extulit ad regni de grege sceptra Deus.
Et leo prædator, violentus & unguibus ursus
Occisi manibus procubuêre meis.
Ore Philistæus terram indignante momordit,
Immanem letho quem mea funda dedit.
Laberis in crimen, quisquis malè providus, ingens,
Ne venia culpam crede carere tuam.
Me quoq; mens in grande scelus cæca impulit, at non
Gratia lugenti sacra negata fuit.

Aliter. H. R.

Sum David quondam caula, nunc arbiter aulæ:
Proq; pedo vili regia sceptra gero.

Gathiten

Gathiten funda sterno stridente Goliam,
Bis quino fermé qui pede longus erat.

Judas Machabæus Dux Judaicus. H. R.

Ut leo conspectum ruit iracundus in hostem,
Et ferus illata vulnera strage facit:
Sic ego commotis in prælia viribus ibam,
Pro patriâ capiens legibus arma meâ.
Excidiumq; urbi sacræ, gentiq; minantes
Sæpe trucidavi, Marte favente, viros.
Pulchrius est visum, paucos opponere multis,
Vertere quám turpi terga pudenda fuga.
Sic me conjeci medios moriturus in hostes,
Et mihi mors voto digna reperta meo est.

Aliter. H. R.

En ego sum Judas, Machabæ gloria stirpis,
Qui nullis unquam terga pudenda dedi.
Pro grege, proq; sacris pulchram per vulnera mortem
Oppetii, inde virûm cuncta per ora volo.

Hector Dux Trojanus. H. R.

Argolicis terror ducibus, dum fata sinebant,
Proq; meis murus civibus, Hector eram.
In decimo primùm quod concidit Ilion anno,
Nemo negat factum viribus esse meis.
Phylacides per me, Antilochusq; Menœtiadesq;
Præterea multi procubuêre duces.
Quid querar? unius pervenit crimen ad omnes,
Et caput oppressit publica pœna meum.
Fraude locum captans, vita spoliavit Achilles,
Et rapidis circum mœnia traxit equis.

Aliter. H. R.

Murus ego patriæ pereuntis aheneus Hector,
Dimico pro Troja per duo lustra mea.

Vulnifica multos transfigo cuſpide Grajos,
Fortis at á forti victus Achille cado.

ALEXANDER REX MACEDO. H. R.

At quis Alexandrum? quis fata perennia neſcit,
Orbe quibus toto notus ad aſtra feror?
Nomine ſicut eram magnus, ſic maximus armis,
Terga fugæ nunquam, victus ab hoſte, dedi.
Imperium extendi, quá decolor Indus oberrat,
Et quá Riphæas verberat aura nives.
Perſide, ſe, victa, totus mihi ſubdidit orbis,
Sed mihi tunc orbis non ſatis unus erat.
Mors ſatis una fuit, luxu faſtuq; tumentem
Quæ me ſub terras abſtulit ante diem.

ALITER. H. R.

Dicor Alexander factis & nomine magnus,
Cui juveni totus ſubditus orbis erat.
Par mihi nemo foret, modicé ſi vina bibiſſem.
Interitum luxu diſce cavere meo.

CAJUS JULIUS CÆSAR MONARCHA Romanus. H. R.

Non ego ſum duris tantúm ſpectatus in armis,
Et mea doctrinæ nomine fama viget.
Sequana quis bello fuerim, Rhenuſq; fatentur,
Et mihi cum toto ſubditus orbe Tybris.
Quis fuerim ſcriptis, monumenta relicta loquuntur,
Quæq; manu geſſi bella, legenda dedi.
Nec ſatis hoc etiam cælum ſcrutabar & aſtra,
Hinc meus æternum permanet annus opus.
Immemores tellus homines producit ubiq;,
Hoc queror, hæc fati cauſa neciſq; meæ.

ALITER. H. R.

Quinquagena inii collatis prælia ſignis,
Autor Romani Julius imperii.

Quis

Queis vitam dederam, sæva me morte trucidant,
Pro meritis reddunt sic mala facta meis.

HARMINIUS DUX CHERUSCORUM. H. R.

Nec ducibus virtute minor, nec fortibus armis,
Gracia quos jactat, magnaq; Roma, fui.
Quod nimis impensum est illis, mihi defuit unum,
Nullaq; de factis edita scripta meis.
Unicus inventus Tacitus, qui nostra tacere
Noluit, hunc de me consule, certus eris.
Hic tibi narrabit, per me Germania victrix
Ut sit depulso libera facta jugo,
Et duce cum Varo, stratis legionibus, illa
In quanto fuerit Martia Roma metu.

ALITER. H. R.

Harminius Latias delevi ego Saxo catervas,
Vix ubi prima mihi barba resecta fuit.
Me metuens Cæsar, Vare, ô Vare, ocyus inquit,
Redde aquilas, Romæ robora, redde aquilas.

ARTURUS REX BTITANNIÆ. H. R.

Qui vocor Arturus, me Gallia nominat Artum;
Paruit imperio terra Britanna meo.
Non me sceptra tulit quisquam præstantior illic,
Egregius belli laude togæq; fui.
Nomina quæ monstrat procerum virtute potentum,
Hæc est inventum mensa rotunda meum.
Saxonas & Dacos domui, Romanaq; fudi
Agmina, quæ regno damna dedêre meo.
Optima prima cadunt, sic firmus & integer annis
Occido. me regni sceptra cadente ruunt.

ALITER. H. R.

Barbariem objectat cum Grajis Roma superbis,
Barbariem præ se num mea facta ferunt?

Sum pius Arturus, nulli pietate secundum
Dixeris, in bello sum leo, pace pater.

CAROLUS MAGNUS PRIMUS IMPERATOR Germanicus. H. R.

Quis me jure neget Magni cognomen adeptum?
Quin titulus factis est minor ipse meis.
Floruit optata sub me duce Gallia pace,
Pannoniis fusus concidit Hunnus agris.
Itala sublatis tellus pacata tyrannis,
Pulsus & est oris hostis, Ibere, tuis.
Imperii per me sedes Germania facta,
Saxonis est Christi terra professa fidem.
Me quoq; neglectis duce reddita gloria Musis,
Ipse repurgata nec rudis artis eram.

ALITER. H. R.

Te quater octonos debellat Carolus annos,
Ut celebres vivum mascule Saxo Deum.
Hic scopus, hac regum belli sit norma movendi,
Proq; gerant aris prælia, proq; focis.

CANUTUS MAGNUS REX DANIÆ, SUECIÆ, Norvvegiæ, Angliæ & Normanniæ. H. R.

Desine mirari, quos garrula laudibus effert
Græcia, quos jactat Roma superba duces.
Danica me nulli veterum virtute secundum
Edidit hyberno terra propinqua freto.
Facta mihi Magni, pepererunt inclyta nomen,
Quinq; sub imperio regna fuêre meo.
Me sibi delegit socerum, qui tertius orbis
Arbiter, HEINRICUS nomine, sceptra tulit.
Justitia præclarus eram, Regesq; potentes
Subjectos docui legibus esse suis.

ALITER. H. R.

Justitia bellive prius mireris honorem,
Addubites, certé par in utroq; fui.

Ipse

Ipſe mihi, latæ legis reus, irrogo mulctam,
Imperiis ſubdo quinaq́ regna meis.

GODEFRIDUS BILIONÆUS. H. R.

Omnibus Europæ lectis heroibus oris
Nobile ſuſcepi, Jaſonis inſtar, iter.
At mihi non Colchis, non dives velleris aurei,
Terra fuit votis ſancta petita meis.
Hanc validis armis, Solymamq́ recepimus urbem,
Quæ fuerat diro capta ſub hoſte diu.
Mœnibus inſilui primus ſublimibus urbis,
Hinc data, cum regno, fulva corona mihi eſt.
Urbe ſed hanc auro Solyma geſtare negavi,
Qua tulit occiſus ſpinea ſerta Deus.

ALITER. H. R.

Quod vexit fulgens é Colchide vellus Iaſon,
Æternum Græco carmine nomen habet:
Qui pepuli é Solymis procul agmina Turcica regnis,
An non Godfridus laude vehendus ero?

CAROLUS V. ROMANORUM IMPERATOR. H. R.

Non ego quód virtute minor, ſed in ordine vitæ
Quód ſequor, extremum ſpector habere locum.
Nam neq́ ſuſcepit me ſceptra potentior ullus,
Hoſte nec ex victo plura trophæa tulit.
Africa, quæ ſemper ſitiens, Europaq́ vidit,
Auriferoq́ recens terra reperta ſolo.
Sic mihi perpetuo fortuna ſecunda tenore
Adfuit, & cœptis favit amica meis.
Aſſiduis donec curis confectus, & ævo
Invalidus, fratri ſceptra relinquo meo.

ALITER. H. R.

Carolus unanimi mundum cum fratre gubernans
Romanum cogo vincula ferre patrem.
Franciſcus capitur Ticinum Gallus ad amnem,
A me devictus dat quoq́ Turca fugam.

CHRISTIANUS EJUS NOMINIS III. Daniæ atque Norvvegiæ Rex. H. R.

Si mihi, quod faciunt alii, memorare liberet,
Quæ fuerit bello gloria parta mihi:
Oppressos regni motus, armisq́; referrem
Cum duce te fractam, clara Lubeca, meis.
At mea laus major, non tantúm Marte feroci,
Sed præstans etiam quód pietate fui.
Vix princeps, ego quo vixi, me justior ævo,
Aut pius, aut clemens, aut magis æquus erat.
Sic placida servans populos in pace regebam.
Fama volat mundo, spiritus astra tenet.

ALITER. H. R.

Pacis amans, pietate vigens, fera bella perosus,
Et vita talis, nomine qualis eram.
Ergo Deus pugnans pro me, malé perdidit hostes:
Felix quem ducit, curat, amatq́; Deus.

FRIDERICUS II. DANIÆ, NORVVEgiæ, &c. Rex. H. R.

Quid juvat & prodest populis imponere leges,
Claraq́; per latas sceptra tenere plagas?
Si fluit ignavum tempus terituráq́; quiete;
Vita voluptatis quid pigra ferre potest?
Hoc studium, hæc cura est, factis efferre sub astra,
Et supra proavos tollere avosq́; caput.
Ditmarsi domiti bello, & cúm Suecus in annum
Jam sextum arma malo ferret amara suo,
Fractus multiplici subit horrida vincula clade:
Præmia justa, licet sera, tyrannis habet.

ALITER. H. R.

Ad eundem apostrophe.

Macte animo, & virtute nova, & victricibus armis,
Dilecte ô animæ plus Friderice meæ:

Mutuum

Munere divino & supplex Ditmarsia venit;
Sic Sueci pacem te petiêre tuam.

---

* JOHANNES PISCATOR.

Quód me pictoris magnis heroibus illis
Docta manus junxit, non ratione caret.
Hi velut in terris quærunt distantibus hostes;
In fluviis hostes sic ego quæro meos.
Et capio insidiis, & aperto Marte trucido,
Invigilans studio nocte dieq́; meo.
Si quis erit nostras penitus cognoscere laudes
Qui cupit, has unum distichon illud habet:
Squamigeros undis reti velut extraho pisces;
Pocula sic pleno gutture sicco bibens.

* Ne erres lector: scias hoc epigrãma non esse scriptum á Ioh. Piscatore Theologo, sed in Iohannem Piscatorem servum H. Ranzovii.

ALITER.

Tres cubitos vix dat statura, tricongius haustus
Est meus: hac sola dux ego rexq́; via.
Magna illi magni fecêre; ego magna pusillus:
Illi pugnantes sæpe, ego sæpe bibens.

IN IMAGINES DUCUM VIRTUTE bellica illustrium.

Quos hìc stare vides sua fortia facta loquentes,
Indomito clari Marte fuêre duces.
Una tulit nostris ætas vicinior annis,
Clarior hac armis vix priús ulla fuit.
Non satis est ipsos virtute extollere reges,
Et fortes illic expedit esse duces.

CONSALVUS FERDINANDUS CORDUBA, cognomento Magnus, Ferdinandi Hispaniarum regis Dux. H. R.

Quod gero præclarum cognomen ob inclyta facta,
Hoc mihi concordi est militis ore datum.
Bella meo victor confeci ingentia Regi,
Terra sub imperio cujus libera fuit.

Effrenes domui Mauros, armisq; subegi,
Quâ rigat Hesperios flumine Bœtis agros.
Adjeciq; novum regnum, quá mœnia culta
Parthenopes salsum verberat alta fretum.
Qua non invidiæ virtus patet? ultima fecit,
Hæc me privato sub lare fata pati.

ALITER. H. R.

Magnus ego verò Consalvus nomine dicor,
Hoc pater, ast illud strenua dextra dedit.
Exegi Gaditana feros trans æquora Mauros,
Asserui regi Bœtica regna meo.

MAXIMILIANUS COMES BÜRENSIS,
Caroli v. Imperatoris Dux. H. R.

Vir gravis, armorumq; fui spectatus in usu,
Nec virtute minùs, consilioq; potens.
Ut fuit ejectis erepta Bolonia Gallis,
Anglia quam tenuit dux ego regis eram.
Hinc tu belligerans semper victricia signa
Auspiciis duxi, Carole Quinte, tuis.
Cumq; ingens gereres bellum per Teutonis oram,
Inferiorq; tuo viribus hoste fores:
Agmina traducens Rhenum, tibi Belgica junxi,
Nec fuit absq; opera palma parata mea.

ALITER. H. R.

Expugnata fuit captis Bolonia Gallis,
Cùm ferrem auxilium flave Britanne tibi.
Hessus, & invicto septemvir pectore Saxo,
Me duce dant palmam Carole dive tibi.

GEORGIUS FRONSPERGIUS SUEVUS
ejusdem Caroli v. Dux. H. R.

Corporis ut præstans superabam viribus hostes,
Sic animi pollens robore ductor eram.
Militiam didici teneris perductus ab annis,
Armaq; sub magno Cæsare prima tuli:

Qu

Quo sene defuncto, sectanti castra nepotis,
Vix quisquam belli par mihi laude fuit.
Prælia justa manu promtus ter quinq; subivi,
Bis decies pugnas sustinuiq; leves.
In patria morbo morior serpente per artus,
Dum petitur signis Martia Roma meis.

ALITER. H. R.

Promtus eram, nulli veterum virtute secundus,
Seu res consilio, seu peragenda manu.
Stans ego equum potui frenis inhibere volantem:
In valido tantum corpore robur erat.

ODETTUS FUSIUS LOTRECHIUS COPIARUM Gallicarum in Italia Imperator.

Non habuit virtute parem mihi Gallia quenquam,
Quo data sunt vitæ tempore fata meæ.
Horror eram Latio, famâ notissima cælo
Oppida sunt armis multa subacta meis.
Hinc nomen, quod rex meruit Demetrius olim,
Mira expugnatis urbibus arte, tuli.
Qui bellis invictus eram, me sæva subegit
Acriter insurgens per mea castra lues.
Et cineres fortuna meos afflixit iniqua,
Dum tumuli expertes bis duo lustra jacent.

ALITER.

Sunt quia capta meo quám plurima mœnia ductu;
Expugnatorem me vocitare solent.
Claruit hac olim Macedo Demetrius arte,
Participem laudis nunc habet ille suæ.

MARTINUS ROSHEMIUS GELDRENSIS, primó Galliarum regis, deinde Caroli V. dux. H. R.

Quis fuerim, longo non est opus edere versu,
Quod subit, hoc uno carmine scire potes.

Fulmen eram belli, ferro grassabar & igni,
Oppida militibus diripienda dabam.
Id satis est, testes Belgæ, Moriniq; remoti,
In mare quá Scalde, Dilia, Mosa fluunt.
Illa viris opibusq; potens Antverpia testis,
Quæ mihi victrici pæné subacta manu est.
At sibi me sicut tunc Gallia sensit amicum;
Sic eadem clades me tulit hoste graves.

ALITER.

Cæsarëis inhians opibus spe divite Gallus,
Me duce pæné suis excidit ipse bonis.
Argentoratum petit hic, Campania per me
Vulcano passim Marteq; damna facit.

ANTONIUS LEVA, DUX CAROLI V. H. R.

Non leve momentum est magno didicisse magistro
Militiæ leges & grave Martis opus.
At mihi cúm nemo belli præceperit artes,
Plurima naturæ dona fuêre meæ.
Nec me ulla indecorem ventura redarguet ætas,
Maxima sunt ductu bella peracta meo,
Meq; ideo Insubrum præfecit Carolus oræ,
Propugnata manu fortiter illa mihi est.
Quód nisi fregisset vires dolor artubus hærens,
Essem magnorum gloria magna ducum.

ALITER. H. R.

Astutus, sapiens, felix, belliq; peritus,
Impiger, intrepido pectore Leva fui.
Et licet æger eram articulos vastante podagra;
Nullam aciem fugi, munia nulla ducis.

ANDREAS AURIAS, CÆSAREÆ classis Præfectus. H. R.

En ego, quem spectas, Latiæ fama inclyta terræ,
Et Ligurum quondam lausq; decusq; fui.

Quis

Quis pelago gessit me bella peritior alto?
Quis patriæ adduxit commoda plura suæ?
Ut mare purgavi prædonibus, & mihi classem
Ducenti semper terga dedêre Scythæ:
Sic patriam asserui, pulsis sine cæde tyrannis,
Et stabilem jussi legibus esse suis.
Hinc statuam patriæ mihi patria grata locavit;
Hæc mihi virtutis posthuma testis erit.

ALITER. H. R.

Qui mihi marmoreum Ligures posuêre colossum;
Me patriæ patrem voce manuq; colunt.
Et terris, & nota mari spectataq; virtus,
Cùm Mahometigenas classe fatigo Scythas.

SEBASTIANUS SCHERTELINUS, URBIS Augustæ Vindelicorum belli dux. H. R.

Vindelicis insignis agris belloq; togaq;,
At melior valido dux ego Marte fui.
Cùm celebres junctis sociarent urbibus arma
Pro defendenda relligione duces:
Agmina præfectus duxi, vicinaq; celso
Alpibus arx clivo, me duce, capta fuit.
Victor ob id mutare solum me Cæsar adegit,
Præmia decernens in caput ampla meum.
Obtinuit generosa locum clementia tandem,
Et pius ignovit, restituitq; meis.

ALITER.

Cæsari ubi jussus feci socio agmine bellum,
Quod tum Augustanæ relligionis erat,
Capta Fiessa mihi est Alpini ad flumina Lechi,
Aërioq; jacens arx Ereberga loco.

SEVERINUS A NORBU, CHRISTIERNI II. Danorum regis in Scandia præfectus. H. R.

Rex licet effugit meus, & turbante tumultu
In loca quæsitum tuta recessit opem;

Non ego projeci tamen arma, sed impiger hosti
Conserui, eventum Marte negante, manus.
Indulsit veniam virtutis in hoste probator,
Inq; fidem accepit victor, amore fovens.
O mihi si tantum libuisset fallere nunquam,
Nec tua trans Alpes, Carole, castra sequi;
Liber ab hac essem macula, nec morte luissem
Perfidiæ pœnas, dum tua signa sequor.

ALITER.

Ut tuear valido fugientem milite Regem,
Vendo domos, vendo quicquid ubiq; meum est.
At Deus exosus saturatum cæde tyrannum
Non sivit nostram pondus habere fidem.

GULIELMUS THUMSERNUS, PROTEstantium bello Dux.

Quid terrore carens, docui, constantia possit,
Invictoq; malum pectore posse pati.
Ut stetit infenso victoria tristis ab hoste,
Maxima pars victos deseruere metu.
At mihi fœda fuit res visa relinquere fœdus,
Et victas unâ tendere clade manus.
Arma recollegi subitó discrimine belli,
Mœnia quá Bremæ lata Visurgis adit.
Nec pius eventum causæ Deus abnuit illi,
Fortunæq; meæ victor in hoste fui.

ALITER.

Cùm quateres validæ tormentis mœnia Bremæ,
Ut coleret Latii dogmata spreta Papæ,
Piscosum tranas desertus Erice Visurgim,
Victori palmam porrigis atq; mihi.

JOHAN-

JOHANNES RANZOVIUS, TRIUM DANIÆ Regum, Friderici I. Christiani III. & Friderici II. summus Consiliarius, & bellorum dux, hujusq; arcis fundator.

Non sine re magnis heroibus inferor illis,
Quos volui tantos hoc ego stare loco.
Nam nec eram virtute minor, nec fortibus ausis,
Sive toga spectes edita, sive sago.
Regibus assedi tribus, imposuiq; coronam,
Exuvias victo bis quater hosti tuli.
Effera submisit, Duce me, Dithmarsia collum;
Libera bis ductu Dania facta meo est.
Sic satur invicta fama virtutis, & armis,
Succubui fatis, nunc habet aula poli.

ALITER.

Quis fuerim bello, quis pace, referre recuso,
Invidiam conflent ne mea gesta mihi.
Dicet id invicto Dithmarsus Marte subactus,
Bisq; asserta mea Dania clara manu.

DANIEL RANZOVIUS, DUX EXERCITUS REGIS Danorum Friderici II. in Succos. H. R.

Me quoq; viventem complexus amore propinquus
Illustres inter jussit habere locum.
Nec res quas recitem desunt mihi fortiter actæ,
Sed prohibet victus cuncta referre pudor.
Hoc dicam saltem, ter aperto Marte Suecum
Expertum nostras non sine clade manus.
Tres belli amisisse duces, quos cepimus armis,
Quid moror? ipse opera fert quoq; vincla mea.
Sex licet inconstans Mavors nutaverit annos,
Utrinq; insignes perdiderit q; viros.

ALITER.

Quód me inter tantos Heinrice propinque reponis,
Si non judicio, certé id amore facis.

Dent vitam mihi fata, & nulla redarguet ætas,
Ille ero judicio, quem cupis esse tuo.

FRANCISCUS A BROKENHUSEN, REGNI Daniæ Mareschalcus, ac universi peditatus Dux.

Pro patria tecum qui belli munere junctus,
Sæpius hostiles est populatus agros;
Pro patria tecum qui justis inclytus armis
Oppida contrivit Suecica, castra, duces;
Pro patria tecum qui læsus vulnere sphæræ
Occubuit, fato vix remorante diem:
Hic tibi nunc meritò, ut magno Patroclus Achilli,
Ranzovi junctus proximiore loco est.

GUNTHERUS COMES SCHVVARTZburgensis.

Egregia natum generis descendere stirpe,
Ingenio visum est non satis esse meo:
Sed claris etiam factis extendere nomen,
Et studiis belli cura vigere tenet.
Sic contra Gallos multa cum laude feroces,
Et Mahometigenas fortiter arma tuli,
Sic tibi suscepi bellum Friderice gerendum,
Cùm peteres armis Suecica sceptra tuis.
Unde mihi posthæc surgit nova laudis origo?
Panè subit votis fata favere meis.

ALITER.

Quòd Friderice olim tibi opima stipendia feci,
Sueco cum Danis Teutonibusq; liquet.
Quid ventura dies trahat, id scit, qui omnia novit,
Quæ veniunt, quæ sunt, quæq; fuêre, Deus.

HEINRICUS RANZOVIUS AD HERLUFFUM Trollium, Præfectum classis Danicæ.

Et mihi tu proceres inter spectabere Trolli,
Hic quibus ex merito justus habetur honor.

Est tibi

Est tibi cum multis decus hoc commune, quód arma
Chara pro patria Rege jubente capis.
Est tibi cum multis decus hoc commune, quód inter
Tela, mari victor, saucius inde cadis:
Hic tibi sed propria consurgit laudis origo,
Ullo quæ non est interitura die,
Divite quód censu longos possessa per annos
Prædia vis Musis esse sacrata piis.

OTHO RUTE, POST TROLLIUM
Præfectus classis Danicæ.

O miranda Dei, nostráq; incognita menti
Judicia, & nullo dissoluenda modo!
Quis tempestatum meliús, pelagiq; furores
Solerti ex astris noverat arte vagis?
Quis mihi, sive tenere altum, seu stringere littus
Velles, par marium cognitione fuit?
Navali explicuit quis fortiús ordine classem,
Danica cúm peterent Sueonos arma vafri?
Fata obstant, mihi fata negant inimica triumphum.
Consilia absq; Dei nulla favore juvant.

GEORGIUS AB HOLLE EQUES
Brunsvicensis.

Stemmate quæ tantúm celebri se jactat avorum,
Nobilitas dici non mihi vera potest.
Sed quæ virtutem superátve æquátve parentum,
Et meritis ortum comprobat ipsa suis.
Hic labor, hic animus teneris mihi sedit ab annis,
Inde mihi adverso vulnus in ore tuli.
Hoc mihi sternenti Gallos infertur honestum,
Dum tua præfectus castra, Philippe, sequor.
Et me cognovit Suecus, nec proximus illi,
Quisquis eris, tardas experière manus.

ALITER.

Martis opus primis toleravi semper ab annis,
Militiæ & statui multa trophæa meæ.

Grandia diffindit, nec dedecet, ora cicatrix,
Me docet intrepidi pectoris illa ducem.

Nemo ante finem beatus.

Dum versat dubio vitam fortuna tenore,
Felicem sese dicere nemo potest.

JOHANNES COMES ARNSBURGENSIS, in Frisia cæsus.

Si quibus inconstans peperit fortuna dolorem,
His ego me socium dicere jure queo.
Et mihi natales, genus, & connubia magnum
Nobilitas factis quæ fuit aucta, dabant.
Cùm gereret bellum Germanide Carolus ora,
Bureni consors strenuus arma tuli.
Ut nova turbavit fortes discordia Belgas,
Regis ab Hispani partibus ipse steti.
In Phrisia vitam mihi mors ita flebilis aufert.
Sic rapiunt claros tristia fata viros.

ALITER.

Non moror, in bello cecidi quód victus ab hoste.
Pugnando fortes claudere fata decet.
Hoc queror, obscuro perii quód milite casus,
Nec laudem de me strenuus hostis habet.

ANTONIUS PERENOTUS ATREBATENSIS, & Lotharingicus, Cardinales.

Desine mirari hîc armatis esse togatos
Immixtos, ducibus cardineosq; patres.
Bella manu haud gerimus, mens est armata sub omnem
Fortunæ casum consiliis validis.
Consiliis nostris motus componimus orbis,
Impia cùm reges bella movere student.
Non decet, ut patriæ patres certamina nectant,
Magnosq; irritent ad fera bella viros.

APO-

APOSTROPHE H. R. AD JOHANNEM Fresium, Cancellarium regis Danorum, Friderici II.

Nec tu carminibus nostris indictus abibis
Fresi, canicie sparse decente caput.
Nam tua Ranzovio certé de sanguine creta
Est avia, ut versu te quoq; jure canam.
Addo tamen majus, duplici ut te jure nepotes
Ranzovidum hos inter me posuisse legant.
Nam tua te virtus ad summos vexit honores,
Insuper & studii præmia larga dedit.
Id quod erat geminis facundus Nestor Atridis,
Dania te sensit Regibus esse suis.
Externum bellum bellé non cesserit ulli,
Si non sit Nestor, consiliumq; domi.
Longa igitur tibi nent fatales stamina Parcæ,
Implentes vitæ lustra bis octo tuæ.

MAURITIUS SEPTEMVIR SAXONIÆ.

Arma, animus, virtusq; meis maturior annis,
Carole nota tibi, Turca fuêre tibi.
Namq; in Pannonicis quod gestum est fortiter agris,
Omne manu nostra consilioq; stetit.
Tu quoq; Landrisii ad muros es Galle repressus,
Exutusq; armis, non sine clade, tuis.
Ergo mihi in septem proceres Germanidos oræ
Ascito Cæsar bella gerenda dedit.
Huic etiam clausis bellum feci Alpibus, arte
Hessus ab Albano cúm duce captus erat.

ALITER.

Plurima nunc pacata forent, nisi stamina vitæ
Rupisset medio tempore Parca mihi.
Namq; meo decreto animo sententia stabat,
Marte mori, aut pacem Marte parare meis.

ADOLPHUS DUX HOLSATIÆ & Slesvici.

Vix mihi prima genas vestibat flore juventa,
Te procul ut patria, Carole Quinte, sequor.
Usq; adeó mea mens juvenili ardebat amore,
Nosse urbes, claros militiaq; viros.
Nec votis fortuna meis bona defuit unquam,
Signa tyrocinii plurima Metis habet.
Inde domum rediens Dithmarsorum agmina fudi,
Ultus avos, animum dedocuiq; trucem.
Nec nostras Gotha, nec Grimsthenia saxea vires,
Imperii socio milite cincta, tulit.

ALITER.

Qui toties lecto, Reges, cum flore juventa,
Holsaticos quoties qui repulere duces:
Servati nostra gens imperterrita palma,
Dithmarsi, victas Marte dedere manus.

HEINRICUS JUNIOR DUX BRUNSVVICENSIS.

Nulla humanarum quám sit constantia rerum,
Collige ab exemplo, qui legis ista, meo.
Hilsheimense solum, primo sub flore juventa,
Per valida adjeci finibus arma meis.
Gaudentem spoliis Hessum cum Saxone partis,
Armata patrio vi pepulêre solo.
Ut niger hos vicit Jovis ales ad Albidos undam,
Felix amissos occupo rursus agros.
Perpetuum at nihil est, & ab omni parte beatum,
Fortuna alternans datq; adimitq; datum.
Nam geminos natos una Mars impius hora
Abstulit, hos letho machina dira dedit.
Haud quenquam dubiæ fas est confidere sorti.
Vita aloës multum, mellis habet minimum.

PHI-

PHILIPPUS LANDGRAVIUS HESSIÆ.

Me belli varia afflixit fortuna procella,
Optatos portus inveniente Deo.
Exul in undecimum Ulricus Wirtbergicus annum,
Invito nostram Cæsare sensit opem.
Et mihi pulsus agris Leo Brunsuiganus avitis,
Captus cum nato póst sine cade suo.
Nec Carolum fuerit mihi turpe lacessere bello,
Sed nocuit temere nos habuisse fidem.
Vincula simplicitas parit: en custodia servat,
Dum quinq; autumnos Pleïas orta facit.
Quód nisi Mauricium dolor armavisset acerbus,
Tam mea non fuerat pœna futura brevis.

CHRISTIERNUS II. REX DANORUM quondam.

Non mihi si centum linguæ sint oraq; centum,
Dicere facta satis pro ratione queam.
Innocuos mactare viros, & humata sepulchris
Eruere, & flammis ossa verenda dare.
Non tondere pecus, totam at deglubere plebem,
Uxore exclusa, te, Siebrechta, frui.
Delicia illa fuêre meæ, stabilesq; fuissent;
Ni privavisset me Deus ipse throno.

ALITER.

Discite justitiam moniti & non temnere Christum,
Quicunq; in vultus figitis ora meos.
Carcere in undecimam ferme trieterida captus,
Sævitiæ magnus Rex luo supplicium.

ERICUS XIIII. EJUS NOMINIS SUECORUM Rex, in vincula conjectus.

Quid memorem mea facta miser? reticere luberet,
Cæde & conjugio notus ubiq; meo.
Sexaginta meis manibus sine jure peremi,
Pars mihi magna horum sanguine juncta fuit.

Quoquo ergo aspicio, diri mens conscia facti
Occurrit, miseris excruciatq; modis.
Nunc mihi præceptor Dionysius ilia crudo
Trajectus ferro, tristis Erynnis adest.
Nunc proceres Orco missi, atq; innoxia bello,
Ante meos oculos perdita turba volat.

ALITER.

Me quis Alexandro similem inficiabitur unquam?
Obtruncat proceres ebrius ille suos.
Sobrius ipse etiam satior vel cæde meorum,
Perfossi manibus qui cecidêre meis.

SUB D. HEINRICI RANZOVII IMAgine, ad Lectorem.

Si quis erit, quem forte juvat sic quærere, quare
Hi tabulis præbent ora videnda viri?
Is sibi virtutis proponi exempla probata,
Quam vitiis spretis discat amare, sciat.
Quámq; sit instabilis vitæ fortuna caduca,
Quám varios servent lubrica fata modos,
Quám subito magnæ spes evanescere casu,
Et soleant labi grandia cœpta virûm.
Quisquis es incertæ diversa pericula vitæ,
Et dubiæ sortis spernere fata, cave.
Nam caro ceu fœnum est, & gloria nostra velut flos;
Mané viget primo, vespere lapsa jacet.

JOANNISCUS MORIO H. RANzovii de seipso.

Quis prohibet, si me viventem semper amavit
Hunc domino hoc junctum me quoq; stare loco?
Stat quoq; Piscator stomachum si piscibus ille;
Jucundus animum pavi ego sæpe jocis.
Morio non vulgaris eram, juvenesq;, senesq;
Luxerunt raptum funere, luxit herus.
Illi mordaces poteram depellere curas,
Ridentemq; jocis exhilarare meis.

Aut

Aut illos imitare, juvat si perdere vitam;
Aut me, si cordi est vivere dulce tibi.

ALIUD.

Quid mirare duces miser, ardescis q; tuendo?
Nescis quale tegat splendida vita malum.
Lerna periclorum, & certi sentina laboris,
Prudentum vita est: stultus at hisce caret.
Ergo agé stultitiam simula, sic nulla subibis
Munia, donantur pectora stulta rude.
Ut fugeret longi malesana negotia belli
Sisyphides, littus fertur arasse maris.
Aut flue deliciis, & duc inglorius avum,
Aut mercare gravi grande labore decus.
Ingreditor quodcunq; velis iter, unus utriq;
Finis, mors fatuum cum sapiente rapit.
Vivere non tibi vis, alieno ut tempore vivas,
Quid, num póst ut edas, ante famem moreris?
„ *Ah nimio fallax emitur me judice nomen.*
„ *Vive tibi, nimiúm nec sape, tutus eris.*
„ *Vive tibi, nec te crucia, neq; crastina cura.*
Hoc ego prudentes admoneo fatuus.

IN PRIOREM IMAGINEM JOANNIS Ranzovii equitis aurati.

Hac est Ranzovii depictus imagine vultus,
Qui decus Holsatica nobilitatis erat.
Consilio bonus, & prastans illustribus ausis,
Pro patria gessit maxima bella sua.
Omnia non dicam, sed & hoc te scire volebam,
In magno virtus corpore magna fuit.

IN ALTERAM.

Felix quem virtus generosa exornat avorum, &
Qui virtute suis adjicit ipse decus.

In tabulam, Romæ ruinam ob oculos ponentem.

Urbs ego Roma, patrum quem scripta corona regebat,
Crescebam, ut Phœbe dimidiata solet.
Ast ubi me demens & cæca juventa gubernat,
Hujus consiliis funditus heu pereo.
Quisquis adhuc populos sceptro, verbisq; coërces;
O discas casu cautior esse meo.

Aliud.

Roma vetus, veteres dum te rexêre Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat.
Defunctis patribus successit prava juventus,
Quorum consiliis præcipitata ruis.
Ne similis similem casus, da rector olympi,
Adducat nostræ perniciem patriæ.

Imperatores, Turca et Moscovita, principib. Germaniæ.

Ludite securi, dum nos hostilibus armis
Hungaricum rapimus Sarmaticumq; solum.
At nisi prospicitis, quid res, quid tempora poscant,
Hic ludus vobis exitialis erit.

Fecialis.

Luditis ô proceres, & vos fera bella movetis?
Pace quibus debet gratius esse nihil.
Interea Turcæ, si cesserit Hungarus armis,
Et celer á Moscho Sarmata jura petet:
Quid superest? proprios postquam sævistis in artus,
Quin reliquum corpus barbarus interimat.
Mittite nunc ergo ludos, conjungite vires,
Donec in afflicto corpore robur inest.
Inq; hos infestis agmen convertite telis,
Sic vestra & patriæ gloria salva manet.

SUB EFFIGIE CAROLI V. IMPONENTIS fratri Ferdinando coronam circumstantibus Germaniæ Septemviris.

Si tibi plus ultra placuit contendere Cæsar;
Ad fossas Metis non bene castra locas.
Hîc positus limes fatalis Carole sortis,
Quæ tibi tot bellis obsequiosa fuit,
Admonet, ad metam te perveniſſe, nec ultra
Victrici cursum posse tenere manu.
Ergo siste gradum, capiat Ferdnandus habenas
Imperii. reliquum jure Philippus habet.

GRAMMATICA.

Grammatica os tenerum pueri, balbumq; figurat.
Scientiarum cæterarum janitrix.

DIALECTICA.

Uti hominem ratione docet Dialectica, quare
Meritó artium apicem magnus hanc Plato vocat.

RHETORICE.

Rhetorice gratos sermoni astuta colores,
Quo dulciùs fluat is ad aures, adjicit.

MUSICA.

Concentum inter se discrimina grata canorum
Aure erudita deprehendit Musica.

ARITHMETICA.

Hac contemplandis numeris ars gaudet, eorum
Occulta solers eruens mysteria.

ASTRONOMIA.

Astrorum Urania cursus, variosq; recursus
Oculis notans, futura mente prævidet.

GEOMETRIA.

Vestigare Geometria intervalla locorum est,
Quamq; alta, longa, lata, rerum corpora.

HEINRICUS RANZOVIUS.

Hic pater exhalans animam, concessit ad umbras,
Hinc mihi semper erit lugubris ille locus.
Ingrediens cari mortem lugebo parentis,
Dum reliquus nostro corpore sanguis erit.
Cumq; quid humanum eveniet, si fata probabunt,
Tu locus ægroti, tu morientis eris.
In te confugient (quoniam secretus es) omnes,
Accipiet morbus quot quot in arce meos.

VELLULA.

Ranzovius postquam crudeli funere raptus
Cessit ad Elysii regna beata soli:
Fleverunt montes, fleverunt pascua, & amnes,
Atq; pharetrata candida turba Deæ.
Aruit immenso viridissima sylva dolore
Vellula, glandiferis culta cacuminibus.
Squalet ager, lætisq; carent nunc frugibus arva,
Cuncta dolent tanto depereunte viro.

STORA.

Rivule, cur præter solitum tuus humor abundat,
Dic Stora, lucidulam quis tibi turbat aquam?
Ranzovii miserum me tristia funera turbant,
Cresco ego de lacrymis perditus ipse meis.
Ille erat heu summi vivens mihi causa decoris,
Ille mihi moriens abstulit omne decus.
Ne mihi quis lympham violaret, condidit arcem
Me prope, depresso, Palladis arte, solo.
Extinctum plangant Pax, & cum Marte Minerva,
Religio, Charites, Cimbrica terra patrem.

Sub

SUB PYRA DIDONIS, SE FERRO, SUB ÆNEÆ navigationem, trajicientis, & morientium affectu plané servato, expirantis. H. R.

Amor venenum dulce, quem non illicis?
Primó suavior quidem melle Attico,
Sub fine vincis fellis amaritudinem.
Quam non voluptatem videbat Elissa, cùm
Maneret Æneas? ubi is littore ratem
Solvit; quid illa miserius? quin pectoris
Crates sui disrumpit ensi Troico.
En musta qui bibit, ebibat facem quoq;.

SUB LUCRETIÆ STUPRO: S. TARquinius Lucretiæ. H. R.

Si clamas; ferro morière Lucretia: vincam
Sic pugnans. sin das quæ volo, dona feres.
Abnuis? interimam, cum quo dormisse feraris,
Servum, & adulterii testis adulter ero.

LUCRETIA TARQUINIO.

Sexte, quid ô facis? ô frænis inhibeto furorem.
Ante fores Nemesis sanguinolenta cubat.
Vivit adhuc idem, qui puniit Ilion ingens,
Ad tua connivet nec malefacta Deus.
Scilicet unius noctis peritura voluptas
Expellet regnis teq; genusq; tuis.

REX A SUBDITIS SUIS CIRcumdatus.

Stat REX *in medio nudus, quem cingit utrinq;*
Civis, sacrificus, nobilis, agricola.
Hoc monet ut regi sint publica commoda curæ,
Et colat inprimis numina sancta Dei.
Namq; ubi rex nimiùm luxuq; addictus & armis
Nec populi memor est, nec pietatis amans:
Evertit miseros talis petulantia cives;
Eversis princeps civibus ipse perit.

HERCULIS ACTA PRÆCIPUA CUM MYTHOLOGIIS.

I. HERCULIS FACTUM.

Infans, in cunis, geminos á Junone immissos serpentes, manib. prehensos, extinxit: cúm unà cubans Iphiclus frater tertius, parentes fletu excitasset.

MYTHOLOGIA.

Serpens antiquus iis maximé, de quibus ex benigna propaginis, aut siderum inclinatione, virtutis opinionem concipit, ab ipso ortu tendit insidias. Hos contra tum sancti angeli suscipiunt tutelari præsidio defendendos, tum ipsa virtutum semina, & igniculi naturâ insiti, sese nec volunt nec possunt deserere.

SECUNDUM.

Adolescẽs hydram colubris & capitibus pullulantem, in Lerna palude telis & clava oppugnavit, tandemque facibus & igne consumsit, cúm cancrum hydræ suppetias ferentem, pressu pedum interemisset.

MYTHOLOGIA.

Adolescentia violenter á pravorum subinde renascentium appetituum impetu infestatur, quibus mundi deliciæ causam & materiam subministrant. Contra hæc in tali ætate lubricis initio vestigiis, tanquam in paludoso solo, consistit ratio, donec virtutis & pietatis studio exercitioq; confirmata, hydram appetituum cum mundi cancro pessundet & consumat.

TERTIUM.

Leonem inusitatæ magnitudinis, in Nemeæa sylva inter Cleonas & Phliuntem, cúm omnem eam regionem infestaret, jugulavit. Cujus ipsi pellis postea fuit pro indumento.

MYTHOLOGIA.

Leonem jugulavit fortissimum, quisquis repugnantes rectæ rationi appetitus, non modó sanis deliberationibus & con-

& consiliis refrænavit; sed iis omnem omnino ferociendi detraxit facultatem: atque mentis & rationis judicio effecit obedientes. Quodnam hoc indumento pectori generoso pulchrius esse potest?

QUARTUM.

Diomedem Thraciæ regem, hominem dirum & sanguinariũ, qui in humanissima crudelitate equos suos advenarum pascebat carnibus, occidit: eumque vicissim jumentis suis objecit devorandum.

MYTHOLOGIA.

Generosus animus non potest nõ odisse & execrari tyrannos, ut infestissimos libertatis & societatis humanæ hostes: qui tamen, vindicante in eos justo æterni Dei judicio, ea plerunque incurrunt mala, quibus alios ipsi afflixerunt.

QUINTUM.

In hispidis Erimanthi montis jugis, aprum terribilem & Arcadiam vastantem cepit, & vivum humeris impositum detulit ad Eurystheum.

MYTHOLOGIA.

Magistratus in monte positus est, edito videlicet & illustri loco; at immanis tyrannus atq; improbus rempub. apri instar vastat & convellit. Sed quisquis eum legitimé adeptus est, & recté gerere vult, vivum conservare debet, neque committere, ut ipsius culpâ & ignaviâ salutare ejus in repub. exercitium intermoriatur.

SEXTUM.

Acheloo pro Dejanira OEnei Calydonum regis filia, cum ipso certanti, alterum avulsit cornu: sicq; ille victus, in sui nominis fluvio se occultavit.

MYTHOLOGIA.

Qui mente prava, & malis artibus ad Reip. gubernacula aspirant, in omnes se formas callidé vertunt, quo magis voti fiant compotes. Tales consilio monendi, aut au-

thoritate coërcendi sunt, ut sua sorte contenti, in sui nominis fluviis occultentur, & in ea, quam nacti sunt, privatæ vitæ statione conquiescant.

SEPTIMUM.

In Lybia apud Lixum oppidum, Antæum gigantem, Terræ filium, á matre duplicatum robur, quoties terræ projectus esset, assumentem, tandem lucta pectori affictum suffocavit.

MYTHOLOGIA.

Qui vulgi favore evecti, legum septa perrumpere, & rempub. turbare nituntur, contra hos non solúm legitimo magistratus jure, sed arte quoq; agendum est, ut subtractis, quibus contra patriam abutuntur, præsidiis, improbi eorum conatus, absque tumultu & seditione extinguantur.

OCTAVUM.

Interemto Dracone pervigili, aurea mala Hesperidum, quæ Atlantis filiæ fuerunt, ramis decerpsit, & ad Eurystheum detulit, ut his frueretur.

MYTHOLOGIA.

An non Draconis instar auri pervigil est animus, qui dies atq; noctes sola opum cupiditate inflammatus, angitur & æstuat? An non hoc extincto animi morbo, Hesperidum aureis malis fruitur, quisquis indulgentis fortunæ beneficiis, consistente intra suos fines, utitur moderatione & liberalitate? An veró Dracones hi sunt, qui tum ad Reipublicæ labem, tum ad privatorum detrimentum, monopolia instituunt? quibus utinam Herculea clava reges & principes aurea monopoliorum mala, cum tanta publica privataq; calamitate plerumque ematurescentia, é faucibus eriperent.

NONUM.

Atlantem fessum sideribus ferendis, laborum parte levavit, cúm humeros astrorum ponderi submisisset.

MYTHO-

MYTHOLOGIA.

Cum Atlante veró an siderum pondus sustinent ii, qui omni cogitationum actionumque suarum vi, ad cælestia tantúm contendunt? An potius ii, qui regibus aliisq; magistratibus cõsilia recta, & ferendis imperii oneribus idonea subministrant.

DECIMUM.

Geryonem tricipitem, sive triformem, Fulguris filium, in Gadibus superavit, ejusq; armenta in Latiũ transtulit.

MYTHOLOGIA.

Qui parasiticis artibus se dedunt, triformes efficiuntur. Nam simul adulatoris, falsi amici, & decoctoris personam induunt. Hos devincit & armentis spoliat, quisquis eos á mensa & convictu suo, atq; ab omni adeó consuetudine & familiaritate penitus facit alienos.

UNDECIMUM.

Cacum Vulcani filium in vasta spelunca degentem, & Latium infestantem latrociniis & incendiis, cúm mugitu boum interversi pecoris receptaculum deprehendisset; in speluncæ vestibulo clava interemit.

MYTHOLOGIA.

Fures, sicarii, latrones, incendiarii, & similia humani generis stercora, in cavernis degunt, bonorum fugientes conspectum & societatem. In horum speluncas atque latibula quocunq; modo inquirere magistratus debent, ut infamibus suppliciis plectant comprehensos.

DUODECIMUM.

Centauros Ixionis & Nubis filios semihomines & semiequos, Hippodamen Pirithoo nuptiarum die eripere volentes, bello superavit.

MYTHOLOGIA.

Fit non raró, ut qui inter equestres homines indulgentiús aut negligentiús educati sunt, Centaurorum animos

induant, minusq; cæteris hominibus se delinquere existiment, si rapinis rem augeant familiarem, aut alienas temerent nuptias. Hi continendi sunt, ut ab illicita animum revocent cupiditate.

DECIMUMTERTIUM.

Alcesten Admeti Thessaliæ regis uxorem, quę pro mariti salute vitam sponte deposuerat, ab inferis ad preces Admeti reduxit, cúm Cerberum clava sustulisset.

MYTHOLOGIA.

Nihil in conjugio dulcius perpetua amicitia, & ad omnia honesta consentiente voluntate, ubi, quod alteri grave est, alter in se præoptat derivari. Proinde tales procliviús ex adversis eripit ille, á cujus omnia dependent voluntate.

DECIMUMQUARTUM.

Hesionem Laomedontis Trojanorum regis filiam beluæ marinæ expositam, & ad scopulos religatam, occiso ceto liberavit.

MYTHOLOGIA.

Hesionem spectas? virgo est, nuda est, ligata est, beluæ objecta & crudelissimæ morti propinqua est: Ecquid illa calamitosius? in ejus persona pupillos, viduas, orphanos, omnesq; adeó oppressos, & tuæ opis egentes, mente considera. Hos ut tuearis atque subleves, ideó magis tibi incumbit, quo plus & tu potentia, opibus, authoritate, gratia, consilioq; vales, & illi periculo atq; ærumnis sunt viciniores.

DECIMUMQUINTUM.

Veste indutus, quam ipsi Dejanira, conciliandi amoris ergó, accepta de Jole fama, per errorem miserat, quum pestifero Nessi Centauri sanguine imbuta esset, veneno totum corpus invadente, gravissimorum cruciatuũ dolore atq; impatientia, pæné in rabiem actus, semet in structam pyram in Œta monte conjecit, sicq; expiravit, ætatis suæ anno 52.

MYTHO-

MYTHOLOGIA.

Quám luctuosus exitus viri fortissimi? Sic fit, ut qui vagis fœminarum congressibus per omnem vitam ludunt, aut ab iis, quibus excellunt artibus, deserantur: aut eorum fructu nec diu nec veré gaudeant, quæ fortiter & præclaré agendo optimé administraverunt.

SYMBOLON ERICII-OLCKMARI DE BERleps, *Consiliarii Electoris Saxoniæ, quod herus etiam hoc loco, propter ejus venustatem, & mutuam illorum amicitiam extare voluit.*

Vincenda Virtutis Voluptas Viribus.

Non aliis, sed virtutum vincenda voluptas
Viribus, eximiæ si tibi laudis honos.

In effigiem apis pungentis Cupidinem.

Pungit apis puerum Veneris, dum roscida mella
Furatur. sic sunt dulcia mixta malis.

In casum Phaëthontis ibidem depictum.

Aspicis ut Phaëthon rapido Jovis occidat igne,
Ne ride, punit corda superba Deus.
Hic Clymenen habuit matrem, Meropemq; parentem,
Jactavit Phœbo se tamen esse satum:
Quin etiam conscendit equos, solisq; quadrigas,
Atq; suis impar viribus ursit opus.
Sed mortalis ubi temeré cælestia tentat;
Neutrum habet: at fastus præmia fulmen habet.
Te modulo metire tuo, qui talia spectas,
Ne gravet infirmum sarcina magna caput.
Qui fueris, hic esse velis, sublimia vita.
Ultra qui peram non sapit, ille sapit.

IN HORTIS VERTUMNUS.

Pomiferum quicunq; venis novus hospes in hortum,
Nec mea miratus quæ sit imago, roga.
Est mihi Vertumno nomen, quia vertor in omnes
Quas animus formas gestit habere meus.

Nunc habitu meſſor, nunc ſum robuſtus arator,
Nunc manibus jures gramina ſecta meis.
Nunc frondes poterunt credi, vitísve putata,
Mollia nunc ramis poma revulſa ſuis.
Quæ lubet, hanc ſumo faciem, res nulla repugnat,
Quælibet in vultus apta figura meos.
Hinc eſt, primitias anni quód grata vetuſtas
Iná meas aras lactea dona dabat.
Seu patulis ſurgens ramis produceret arbor,
Seu variis cingens floribus herba caput.
Nunc adeó, toto quæcunq; leguntur in horto,
In manibus ſpectas munera prima meis:
Poma, nuces, uvas, pyra, pruna, cydonia, mora,
Quæq; nimis longum cuncta referre foret.
Si lubet é multis aliquid, quodcunq; lubebit,
Accipe, larga manus nil tibi noſtra negat.
Hoc ſaltem oro unum, pleno ſi ventre recedes,
Dicas, Vertumni munere vado ſatur.

NYMPHA VENATRIX HORTI & piſcinæ cuſtos.

Hujus Nympha loci, parvi cuſtodia ſtagni,
Dormio, dum ſtando feſſa reclino caput.
Parce meum, quisquis venis huc, abrumpere ſomnum,
Seu tibi ſtare lubet, ſive ſedere, tace.
Me meus Henricus dominus cognomine Ranzo,
Excubias horto juſſit habere ſuo.
Si ſtrepitum facis, & ſomnum mihi rumpis, in horto
Furem clamabo protinus eſſe meo.
Ut reor, indignum nemo ſcelus eſſe putabit,
Quód volui pulcræ virginis eſſe comes.
At mihi ne junctam thalamo quis credito: non eſt.
Non adeó ſordet libera vita mihi.
Stulta meum rapit officium, ſeq; ingerit ultró,
Atq; meo cuſtos vult vigil eſſe loco.
Stultus ego contrá ſervo vigilantior illam,
Et pariter mentem paſco oculosq; meos.
Victa jacet ſomno, tu ſis quicunq;, caveto
Rumpere, ſoli hoc eſt fas licitumq; mihi.

Simon

Si non obſequeris, fuſtem falcemq; recurvam
Non fruſtra ſumtos experiêre mihi.

APIARII.

Quam ſpectas apibus domus dicata eſt,
Ex magna ratione: nam propinqua
Quondam examen apum reſedit arce,
Huc latos procul advolans per agros,
Cúm vix undiq; jam parata ſtaret:
Quod fauſtum ratus omen eſſe, parvam
Hanc illis dominus domum locavit,
Et ne dejiciant jubet nepotes,
Neu quisquam moveat loco, precatur.

Seminarium arborum hâc inſcriptione cippo inciſa conſtat.

Anno Domini 1580. H.R. has, quas vides, quercus ordine plantavit, abietes cõſevit, betulas in vallo distribuit, cæterasq; arbores in hoc ſeminarium aliunde translatas, & ſatas coluit, foſſaq; munivit, ac initium ſationis aſſcribi juſſit, eam ob cauſam, ut harum arborum ætatem explorare poſſit poſteritas, quam in omnia orbis ſecula æternæ divinitati commendat.

ALIUD.

Has ego conſevi quercus, betulasq; patenti
In campo, propria diſpoſuiq; manu.
Et rogo ne temere violet l&dátve ſecuri,
Poſt mea qui tandem fata ſuperſtes erit.
Scilicet ex illis, quot quercus duret in annos,
Poſteritas facilé diſcere ſera poteſt.

Ad horologium automaton.

Hoc opus æquales ſpaciis diſtantibus horas,
Lapſaq; ſub terras, ortaq; ſigna docet.
Qua mediam cæli labentia ſidera & imam
Obtineant verſo cardine ſigna domum.

Lunaq; quo Phœbo jungatur tempore monſtrat,
Oppoſitum teneat Lunaq; quando locum,
Felices animæ, quibus hæc ſapientia cura eſt,
Lucidaq; immotis legibus aſtra colunt.
Illas poſteritas meriti memor inferet aſtris,
Aſtrorum monſtrat fabrica mira Deum.

In armamentario.

Dividere arma patris cùm vellent bellica nati,
Corpore quæ proprio geſſerat ipſe ſuo.
Mars clypeum abjecit, dixitq;, ô parcite nati,
Parcite, in his aliquid Mars quoq; juris habet.
Quæ toties genitor defendit ab hoſtibus arma,
Turpe, ea ſi natis diripiantur, erit.
Integra, dante Deo, poſt triſtia fata manebunt,
Ut ſacra, dum vixit, tutaq; ſemper erant.
Ergo dedit Paulo fraterni pignus amoris
Henricus partem, Marte monente, ſuam:
Exoptatq; armis cum laude utatur iisdem,
His uſus genitor qualiter anté fuit.

PONTIS.

HENRICUS RANZOVIUS, Joannis filius, Regis Daniæ in Ducatibus ſuis locum tenens, dominus in Bredenberg, Ranzovisholm, &c. Anno ætatis LX. & Chriſtina ab Hallen, Franciſci ab Hallen unica filia, ejus uxor, anno ætatis LI. Anno Domini M. D. LXXXV. hunc pontem conſtrui curarunt.

Pons ſpectatori.

Henricus celebri Ranzoo ſanguine natus,
Me pontem curvo fornice ſtruxit eques.
Poſſit ut hâc pedibus ſiccis tranſire viator,
Quælibet & currus res gravis axe vehi.
Ligneus anté fui, ſaxum jam verſus in album,
Res hominum varias teſtor habere vices.
Trajectus fratrum, qui ſubter labitur amnis,
Dicitur, hinc formæ pendet origo novæ.

Nam q

Namq; meo domino natos, par nobile fratrum,
Cúm juvenes essent, abstulit atra dies.
Hic Theodorus erat vocitatus, at ille Joannes
Indolis eximiæ, charus utrq; patri.
Me dominus voluit niveam quoq; sumere formam,
Amnis fraterni qui tego rité vadum.

ALIUD.

Stat sua cuiq; dies, natos ante ora parentum
Nunc cadere, & patres nunc tumulare vides.
Labitur omnis homo, labuntur flumina cursu
Diverso, & semper sunt mala mixta bonis.

INSCRIPTIO FONTIS Bredenbergensis.

Fons ego communem scateo fœcundus in usum,
Tota domus de me commoda multa capit.
Nec pretium posco, nec egenti denego cuiquam;
Gratuitas ex me quilibet haurit aquas.
Utq; queam semper dare, nunquam copia dandi
Deficit, & damnis augeor ipse meis.
Cúm prior egeritur, semper nova prosilit unda,
Dum successura cedat & illa locum.
Si licitum est magnas parvis componere rebus,
Hi domini mores, qui meus autor erat.
Is patriæ talis (fas est laudare sepultum)
Exstitit, & multis munera larga dedit.
Ejus erat domus, ut portus communis, habebat
Hic sibi speratam, quisquis egebat, opem.
Ut faceret, vires & opes fortuna merenti
Contulit, & larga præbuit usa manu.
Sic patriæ, dum vita fuit, servivit amatæ,
Ereptam multis asseruitq; malis.
Nec mercede caret, nunquam licet ipse petivit,
Gloria defunctum sponte secuta manet.
Ad patris exemplum sese componere natus,
Hunc qui me cultum jussit habere, studet.
Sed mihi viventem pudor est extollere verbis:
Qui legis hæc, illi fausta precare, vale.

INSCRIPTIO MONUMENTI
CAJI RANZOVII.

SUBSISTE VIATOR,
ET
HENRICO RANZOVIO TRIUM
Daniæ Regum in Ducatibus Vicario, viro optimo,
patri mœstissimo, pro pietate tua
condoleto.

Hîc conditur
CAJUS
Ex nobilissima & antiquissima Ranzoviorum gente
apud Cimbros oriundus:
Spes patris & patriæ, matris solamen, columen familiæ:
Qui reverendiss. Bremensis Archiepiscopi, Holsatiæ
Ducis Johannis-Adolphi Consiliarius, &
arcis Gottorpiæ Præfectus,
in ipso ætatis flore,
in medio vitæ cursu,
Cúm, hebdomatico quarto completo, vixisset annos octo & viginti, menses octo,
diesq; undecim,
Pro thalamo, quem cogitabat, tumulum adit.
A.C. cIↃ IↃ XCI. XX. Aprilis.

EPITAPHIUM
Eidem Cajo Ranzovio erectum.

Magnanimi heroïs, Ranzoo stemmate creti,
Præsens, quem calcas, continet ossa locus.
Cui pater HENRICUS, *cui clari sanguinis ortus,*
Cui nomen CAJO, *Cimbriaq; est patria.*
Nomine qui regis Danaûm legatus abivit
Ad Parmæ illustrem, non sine honore, Ducem.
Quem Princeps Cimber, nunc præsul Janus-Adolphus
Bremensis, voluit consilium esse suum.
Et fidei illius Gottorum tradidit arcem,
Quâ vix Holsatico pulcrior ulla solo.

Cui

Cui ſponſata fuit Diderici filia Blomi,
Quæ nunc triſtis habet pro thalamo tumulum.
Nondum complerat decimam trieterida vitæ,
Illum cùm rigidæ mors daret atra neci.
Cælica pars cælum ſubiit, pars terrea terram,
In quam poſt mortem ſummus & imus eunt.
Qui legis hoc noſtrum carmen funebre, viator,
Ut moriare bene, in tempore diſce mori.

HENRICI RANZOVII PERpetuum de bibliotheca ſua DECRETUM.

Quæ infrá ſcripta ſunt, hunc in modum ſancita ſunto, inviolateq; obſervantor.

Ranzovii, nec quisquam alius, hanc poſſidento,
Hæredes eam non dividunto,
Nemini libros, codices, volumina, picturas,
Ex ea auferendi, extrahendi,
Alióve aſportandi,
Niſi licentiâ poſſeſſoris,
Facultas eſto.
Si quis ſecus fecerit;
Libros, partémve aliquam abſtulerit,
Extraxerit, clepſerit, rapſerit,
Concerpſerit, corruperit,
Dolo malo:
Illico maledictus,
Perpetuó execrabilis,
Semper deteſtabilis
Eſto, maneto.

OFFICINÆ FABRI FERRARII.

Non opus eſt, quis ſit locus hic, exponere verbis,
Ipſa gravi produnt verbera clara ſono;
Haud ſecus Æthneo quám cum Cyclopes in antro
Informant manibus fulmina ſæva Jovi.
Nec ſatis hoc; quosvis quód pramollitur in uſus,
Iná omnes ferrum cogitur ire modos:

Et validi ſubiguntur equi, vinctiq; catenis
Seſſori præbent crura tenenda ſuo.
Ut ſoleis ferro plantas armentur opertas,
Aſpera per duros ne via ladat agros.
At nihil hoc mirum: quid nunc homo linquit inausum
Illius ingenio, quicquid in orbe, ſubeſt.

IN PYRAMIDE ET SACELLO EX QUOVIS *latere formam arcus triumphalis referente, prope* SEGEBERGAM, *ab H. Ranzovio exſtructo.*

IN OSTIO VERSUS ORIENTEM ſub crucifixo.

Ipſum tu Chriſtum, quem crux deſignat, adora,
Atq; tuam placidé ferre memento crucem.

AD VIATOREM.

Non hæc vel vivo, vel cocto fabrica conſtat
Saxo, nec ligno. facta ſit unde rogo?

Hoc monumentum conſtat pyramide & ſacello, ita ut ſub illa in forma arcus triumphalis ſit ſitum ſacellum in perpetuam memoriam honoris ac virtutis Dn. Friderici II. Danorum regis, &c. ab Henrico Ranzovio ejusdem vicario, Domino in Bredenberg, propriis impenſis, in via regia prope Segebergam exſtructum. Anno Domini 1588. annum agente LXIII.

IN PARTE ORIENTALI INTIMA, PROPOſita ſunt ſequentes leges ingredienti ſacellum cognoſcenda & obſervanda.

HOC SACELLUM, NE EJUS VIOLETUR religio, ingrediens hasce obſervato

LEGES.

Deum Opt. Max. trinum & unum ante aram flexis genibus adorato. Manibus immundis nihil contrectato. Omnibus luſtratis, quę ſaxis inciſa ſunt perlegito. His peractis, Friderico II. Regi Daniæ de placido obitu & vitæ immortalitate gratulator. Et filio ejus Chriſtiano IV. cæteriſq;

terisq; Principibus Holsatiæ gubernationem piam pacatamq; exoptato. Secundúm illos, Senatoribus & proceribus regnorum Daniæ, & ducatuũ Holsatiæ, &c. nec non Henrico Ranzovio, ejus liberis, posteris, familiæq; universæ successus salutares atq; prosperos precator. Hosque omnes Deo Opt. Max. commendato. Mortalem deniq; te esse memento, & vitæ spacium, quod omnibus natura circumscripsit exiguum, sanctissimé honestissimeq; conficito, ut moriens vivas in omnem æternitatem.

Ab australi parte, intima Henrici Ranzovii querimonia se offert, & ejusdem consolatio.

Subsiste hæc intuens, & mihi Henrico Ranzovio Regum Daniæ, Christiani III. & Friderici II. quondam, & nunc Christiani IV. in Ducatib⁹ Holsatię Vicario, LXIII. annum ætatis agenti, pro pietate tua condoleto. Unius enim anni spatio orbatus sum Friderico Duce Holsatiæ, &c. Domino meo, filia Catharina in Dania, filio Friderico natu tertio in Gallia, nepte Catharina, ex Oligarda filia, in Germania, nec non duobus fratris mei Pauli filiis, Daniele in Gallia, & Johanne in Polonia, tandem etiam Friderico II. Rege Daniæ, &c. Domino meo clementissimo, non tantúm Rege, sed patre patriæ, cujus Europa vix jam habet pietate, virtute, magnanimitate, fortitudine in rebus gerendis, & consiliorum felicitate similem. Qui omnes longé disitis locis mortui, resurrectionem vitamque cælestem conjunctim expectant. Jam egomet dissolutionem mei corporis, ut servus dominos, pater liberos, avus neptem, patruus fratris filios, & grandævus juvenes, præpostero plané naturæ ordine præcedentes, ad vitæ æternæ societatem quamprimum sequar, avidé pieq; desiderans exopto.

NULLA CALAMITAS SOLA.

Interim hujus expers lector, vive, vale, prosperiori fortuna utere: quod tibi ex animo precor.

Henricus Ranzovius consolatur semetipsum.

Ipse ego sic casu terræ, tristesq; ruinas

Consolor, damnis contraria lucra rependens.
Terra est hospitii domus, est mihi patria cælum;
Advena sum terris, hæres ac civis Olympo:
Hîc parvus dolor est, illic immensa voluptas.
Fide igitur mea mens, & fer, quodcunq; ferendum est:
Mox tibi finis erit requiesq; petita laborum.

In parte occidentali intima.

Divo Friderico II. Chr. F. Frid. N. Christian. Pronep. Regi Daniæ, Norvvegiæ, Gothiæ, Wandaliæ: Duci Slesvici, Holsatiæ, Wagriæ, Stormariæ, Dithmarsiæ: Comiti Oldenburgi & Delmenhorstæ, &c. Europæ lumini, Reipub. Christianæ columini: Post immortalia belli pacisq; opera domi forisque insigni cum laude confecta: summi Regis imperio, é regni mortalis statione ad cæleste regnum immortale evocato, anno publicæ sal. CIↃ IↃ XIIC. prid. Non. April. ætatis LIII. m. II x. d. IV. magno patriæ cum incommodo, bonorum omnium incredibili cum luctu, principi optimo maximo P.M.M.P.

ALIUD.

Deo Trino & Uni, Opt. Max. gentis humanæ creatori, sospitatori & sequestro sacrum: & æviternæ memoriæ glorioſissimi, fortissimi & religioſissimi Principis, D. Friderici II. Daniæ, Norvvegiæ, Gothorum, Vandalorumq; regis, patris patriæ, divorum principum, Christiani III. Friderici I. N. Christiani I. Pronep. qui sui ævi monarchas religione in Deum, sinceritate erga confœderatos, virtute & justitia adversus cunctos antecelluit: Christianã remp. constantissimé asseruit: cujus in bello magnanimitas enituit: in pace fides culta, clementia in omnes ordines singularis extitit, candor pené proprius fuit. Ei Reipub. bono genito, ejusdem gravi jacturæ denato, postquam LIV. annos felicissimé exegisset. XXIX. regnasset, utriusq; sexus sobolem, tres mares, quatuor filias ex illustriss. & clementiss. Principe, D Sophia ex Mechelburgensium Ducum stirpe oriunda, conjuge suaviss. sustulisset, ac in his Christianum IV. filium paternarum virtutum hæredem,

regnorum

regnorum succeſſorem reliquiſſet ſuperſtitem: terram denique cælo IV. April. anno últimi ſeculi CIↃ IↃ XIIC. Anderſchoviæ in Selandia Cimbrica commutaſſet, Roſchildiæ juxta Mauſoleũ auguſtiſſ. herois Chriſtiani III. patris ſito, Daniel Rogerſius, ſereniſſimæ heroinæ D. Eliſabethæ, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Reginę in Daniam ſecundúm legatus, hoc mortale immortalis obſervantiæ monumẽtum, Muſarum & Gratiarum cælo ſculptũ, mœſtiſſimus poſuit, ſupremumq́; P.V. vovit, &, ut Henricus Ranzovius id hoc loco ſuis inſcriptionib⁹ adderet, petiit.

Partes interiores ab inſcriptionibus etiamnum vacuæ ſunt: quocirca ibidem hæc leguntur:

Mœrentum locus hic, procul hinc discedite lati.

Ergo

Marmoreis hoc vacuum lacrymis impleto viator,
Si pietas animum commovet ulla tuum.

ORIENTALIS PLAGA HASCE INſcriptiones *extrinſecus obtinet.*

DEO TRINO ET UNI SACRUM.

Friderico II. Chriſtiani III. Regis filio, Friderici I. Regis nepoti, Chriſtiani I. Regis pronepoti, Danorum, Norvvegiorum, Gothorum & Wandalorum Regi, Sleſvvicenſium, Holſatorum, Stormariorum & Dithmarſorum Duci ac Principi, pio, felici, inclyto, Domino ſuo clementiſſimo, A.C. CIↃ IↃ LXXXIIX. IV. Aprilis, ætatis anno LIV. defuncto, Henricus Ranzovius Regiæ ſuæ majeſtatis in Ducatibus Holſatiæ Vicarius, mœrens dolensq́;, debitæ gratitudinis erga, in memoriam perpetuam honoris & virtutis majeſtatis ejusdem hoc ſacellum FF.

Fridericum II. Regem Daniæ alloquitur Henricus Ranzovius.

Qui caput Europæ, qui Martis & artis ad Arcton,
Qui juris columen, qui pietatis eras;

Hunc tibi, Rex, tumulum, Friderice, Henricus honoris
Ranzovius soboli constituiq; meæ.
Uno namq; senex anno sex funera plango,
In quibus, heu, summus sunt tua fata dolor.
Id testor. Tu dive meum ne despice pignus:
Sic tuus ex merito te tueatur honos.

Henricus Ranzovius ad serenissimum Regem Daniæ Fridericum II.

Dum tibi vita fuit, felici sorte fruebar,
Est nunc per mortem sors mea versa tuam.
Conficior curis lachrymarum in valle relictus,
Te sine plena gravi vita dolore mihi est.
Accipe supremos, Rex, quos largimur, honores,
Præstiterat nostro te superesse rogo.
O utinam vivo potuissem præmia justa
Reddere: pro meritis accipe nunc tumulum.

In Australi parte extrinsecus *videre licet sequentem inscriptionem: & solarium unum in plano descriptum cum versibus.*

Deo Opt. Maximo Posteritatiq; sacrum.

D.D.D.D. Friderico I. Christiano III. Friderico II. & Christiano IIII. proavo, avo, patri ac filio, quatuor ex ordine Danorum Regibus, victoriosis ac potentissimis, de se & suis optimé meritis, Henricus Ranzovius trium posteriorum in Ducatibus Holsatiæ &c. Vicarius, subjectissimæ observantiæ ergó, Anno Domini CIↃ IↃ LXXXIIX. ætatis suæ LXIII. fieri curavit.

In solarium.

Hic tibi cum numero spectantur nodus & umbra,
Quæ tria quid doceant, commemorare libet.
Umbra notat dextré, quota cursitet hora diei,
Hincq; monet vitam sic properare tuam.
Ast in quo signo magni lux publica mundi
Versetur, mira nodulus arte docet.

Si cir

Si vis scire, dies quot quilibet occupet horas;
Id numerus media sede locatus habet.

PARS OCCIDENTALIS RETINET DONATIONEM *huic sacello addictam, hoc modo:*

Ego Hen. Ranz. do, lego, dariq; volo quotannis tertia feria Pentecostes, peractis sacris, & proximis sequentibus tribus diebus, per Presbyteros & Diaconos hujus oppidi (quos conjunctim ejus rei dispensatores, certo laboris præmio constituto, ordinavi) ante hoc sacellum, ad refectionem centum pauperum præfecturæ Segebergensis, eleemosynas anniversarias, ex reditibus cujusdam pecuniariæ obligationis ipsorum fidei traditæ, residuamq; horum redituum partem ad reparationē hujus sacelli, quotiescunque necessaria fuerit, converti. Ea tamen lege ac conditione, ut illi reditus á Diaconis ad nullos alios usus conferantur, nec alio loco eleemosynæ distribuantur. Quod si factum fuerit, hæredibus, posteris, familiæque meæ Ranzovianæ concessi potestatem, huic sacello addictam donationem revocandi, reditusq; ad alios pios usus transferendi. Et licet hanc formā dispositionis acta sigillata pleniús contineant; tamen ejus tenorem, ad fidem harum rerum posteris faciendam, huic tabulæ quoq; incîdi placuit.

SEPTENTRIONALIS PLAGA *hæc habet:*

JEHOVÆ DEO SACRUM.

DEUS OPT. MAX. Quam indidisti mentē, animum, vitam, quemq; dabis extremum spiritum, voti reus, jure tibi reddo, dedo, addico ego Henricus Ranzovius: qui

Friderico II. Rege Danorum,
Friderico Duce Holsatiæ, dominis meis,
Friderico Ranzovio filio meo,
unius anni spacio
præpropera morte sublatis
concepti acerbissimi doloris
monumentum hoc votivum,

obnoxia piaque affectione,
contra votum posui.
Anno Domini 1588. agens annum ætat. 65.

In sacellum.

Hoc Henricus ego tibi, Rex Friderice, sacellum
Ranzovius sumptu condo sacroq; meo.
Ut faciam non me movet ostentatio, suadet
Unicus ille bono principe dignus honos.
Talis enim rex noster eras, ea gloria qualem
Postulat, haud alius nempe parente bono.
Ergo tui placidé cultoris suscipe pignus:
Sic tua sit virtus nescia nocte premi.
Quisquis adis autem fanum, prece numen adora,
Idq; pio similes pectore posce Duces.


Ad viatorem.

Si pia majorum violas monumenta viator,
Ultrices furias experiere brevi.

Opus absolutum diebus CCXX.

PYRA-

PYRAMIS



Denig; sublato in cælum, quod culmine signet,
Calceq;, quâ facta est, purâ, sine crimine puram
Quilibet ut vivat vitam, mortalia linquat,
Et crebró solum suspiret, anhelet Olympum.
Hæc ubi cognosti, ex animo bona multa precare
Ranzovio domino, & quó te via ducit euntem
Perge statim, & felix longissima tempora vive.

H. R. 1590. V. R.

OBELISCUS RANZOVIANUS
SEGEBERGENSIS
altus pedes $52\frac{1}{2}$

AD ORTUM.

Sanctæ & individuæ Trinitatis honori: nec non in Friderici II. Regis Daniæ, ac progenitorum, posterorumq; suorum memoriam

HUNC OBELISCUM STATUI CURAvit Henricus Ranzovius

Ab orbis principio 5552.
A Christo nato 1590.
Ætatis anno 65.

Sincero trinum quem corde fatemur & unum,
In laudem sunt hæc cœpta peracta Dei.
Utq; Fridericum digné post fata celebrent,
Sub quo florebat Dania rege potens.
Et sint natorum natis, abavis atavisq;
Ranzoviiq; diu mentio grata senis.

In tintinabula é corona obelisci dependentia.

Hoc diadema sonum ut ventis spirantibus edit;
Sic tua laus nusquam rex Friderice silet.

ITEM.

Hoc opus exstruxi Henricus Ranzovius, omne
Numinis in laudem, conditor alme, tui,
Et simul in Danaûm Friderici Regis honorem,
Totiusq; mei seminis, atq; domus.

Ad occasum.

Pro meritis, Friderice, tuis, Rex optime regum,
Hæc monumenta tibi dedico, sacro, struo.
O utinam majora mihi præstare liceret,
Hoc totus stares aureus ipse loco.

Ad

Ad meridiem.

Quem Regi & vobis Obeliſcum dedico, nati,
Ad virtutis iter nobile, calcar erit.
Certumq́, indicium, quærendas æthere ſedes,
Et nihil in terris certius eſſe nece.

Ad ſeptentrionem.

His viſis, lectis, placidè diſcede viator,
Cunctaq́, ſtructori fauſta precare meo.
Perpetuò infelix & deteſtabilis eſto,
Qui ſacrum in minimis hoc violabit opus.

IN EUNDEM OBELISCUM.

Inſiſtit terræ, caput inter nubila condit,
Aëreas penetrans en Obeliſcus aquas.
Quo ſe Ranzovius, Cimbrorum gloria gentis,
E terrâ ad ſuperos hac quaſi voce vocat.
O mea mens ſurſum, quem tendis, dirige curſum.
Mens oblita ſoli, ſuſpice regna poli.
Optima pars mundi cælum eſt, pars peſſima tellus.
Tellurem ô liceat linquere, & aſtra ſequi.
Quisquis es, hæc imitare ſenis pia vota beati,
Hic tibi nec viſus fruſtra Obeliſcus erit.
Nathan Chytræus.

IBIDEM.

IN MONASTERIO.

Henricus Ranzovius, domini Joannis, Equitis aurati filius, hujus arcis præfectus, avo ſuo materno Gerhardo Walſtorpio, ex pia matris ſuæ poſtulatione, anno 1562. hoc monumentum conſtruxit.

IBIDEM

Sub inſignibus Gentis

WALSTORPIÆ.

Henricus Ranzovius, D. Joannis filius, hujus arcis præ-

fectus, insignia Walstorpici generis huic parieti appensi, fere abolita, in gratiam ac memoriam avi proaviquematerni, hîc sepulti, redintegrari jussit.

ITZEHOÆ.

IN D. LAURENTII.

Sub vicino lapide Magdalena Joannis equitis aurati filia, á patre fratribusq; primó honorificé condita est, deinde in paternum conditorium per Henricum fratrem translata, quæ nupserat viro nobili Osvvaldo á Wischi; & cúm vixisset annos 29. & menses circiter quinque, diem suum in puerperio clausit. anté tamen puerulum enixa, cum quo tumulata est, Anno Domini 1557. die 5. Augusti.

IBIDEM.

Anno Domini 1579. H. Ranzovius cryptam sepulchri sui paterni corporibus fere completam, ampliorem fieri curavit, pro se, filiis ac filiabus suis, & in sarcophago lapideo, quem in medio cryptæ posuit, sese sepeliri hæredibus injunxit.

IBIDEM SUPRA MONIMENTUM *Jo. Ranzovii.*

HENRICUS RANZOVIUS
filius ad patrem.

Accipe chare pater qua munera dedico natus,
Sintq; precor cineri munera grata tuo.
Tu mihi das lucem vitæ, do mortis honores.
Heu heu quàm dispar gratia nostra tua est!

CIↃ IↃ LXVI.

JOANNI RANZOVIO, nobili Holsato, equiti aurato, qui post susceptum balthei militaris decus, & perlustratas remotissimarum gentium provincias, quantum pacis belliq; artibus, omnibusq; corporis atq; animi eximiis bonis eniti potuit, id omne, secundúm pietatem in Deum, uni patriæ, ejusq; laudatissimis Principibus Friderico

derico I. Christiano III. & Friderico II. Danorum ex ordine Regibus, hujusq; patruis Joanni & Adolpho Holsatiæ Ducibus impendit, felicissimo eventu. Utpote summus cum imperio justo dux, exortis subinde bellis destinatus, semper victor, qui præter captas deditasq; urbes atque arces, profligatos ejectosq; procul Cimbricis & Holsatis finibus hostes, rebellium Dithmarsorum contusam ac fractam armis cõtumaciam, octies patentibus in campis diversis præliis superatas hostiles acies, vel ab ipsius indulgentia, vel á fœda fuga vitam coëgerit impetrare, illustri & fidei erga patriam, ejusq; Principes, & clementiæ erga victos gloria, quam ad fatalẽ maturæ senectutis horam, sine fortunæ ludibrio perduxit, sicq; domi suæ, ætatis veniam nactus, omnibus animi sensibus integris, in carissimę conjugis, filiorum & nepotum complexu, æterno numini spiritum, á quo acceperat, firma in Christum fide, & certa resurrectionis spe cõfirmatus, reddidit, Henricus & Paulus filii, parenti amantiss. mœrentes posuêre. Oppetiit anno Domini M. D. LXV. die XII. mensis Decemb. cúm vixisset annos LXXIII. & mensem unum.

Uxor ejus Anna Walstorpia vixit annos 72. reliquit nepotes ac pronepotes numero 48. mortua anno Domini 1582. 29. die Decemb.

DEFUNCTA LOQUITUR.

Ultima Walstorpûm proles hîc Anna quiesco,
Juncta viro, gnata, filiolaq; senex.

DIES MORTIS, ÆTERNÆ VITÆ NATALIS EST.

Des zeitlichen lebens außgang ist des ewigen anfang.

IBIDEM.

PAULUS RANZOVIUS, Joannis filius, in viridi ætate, apud Philippum Landgravium Hassiæ educatus, postea Alberti primi, Ducis Prussiæ cubicularius factus, deinde cum Duce Adolpho ad Caroli V. aulam se contulit, ac deinceps Metensi obsidioni signifer adfuit. Cum eodem Duce Adolpho primúm ad bellum Dithmarsicum,

deinde ad expugnationem Gothanam profectus; denique cúm Dux Albanus Adolphum Regis Hiſpaniarum nomine, ad ſocietatem belli cum bis mille equitibus evocaret, ejus militiæ Legatus factus eſt; qua finita expeditione, domũ rediens, diuturno morbo correptus, in complexu matris, uxoris ac fratris, firma in Deum fide, ac glorioſæ reſurrectionis ſpe certiſſima, vitã cum morte commutavit. Anno 1579. Cal. April. cúm vixiſſet annos 31. menſes 5. dies 6.

IBIDEM.

Anno á nato Chriſto 1582. 4. Cal. Januar. obiit nobilis & pia matrona ANNA WALSTORPIA, Joãnis Ranzovii conjux, poſt obitum mariti XVI. anno, ætatis verò ſuæ anno 72. cúm vidiſſet filios, filiorumque eorum liberos, nepotes ac pronepotes numero 48. quos omnes, non minùs quám ſemetipſam moriens Deo commendavit. Hanc H.R. primogenitus ejus filius, in hoc templo ſepulturæ mandari, corpusq; ejus cum mariti ac liberorum oſſibus conjungi, nec non mœrens hoc monumentum ejus memoriæ locari curavit.

IBIDEM CENOTAPHIUM.

Henricus Ranzovius, Friderici II. Regis Daniæ Conſiliarius, tam utriusq; Ducatus Sleſvvicenſis & Holſatiæ, quám Dithmarſorum Gubernator, JOANNI RANZOVIO, filio ſuo infelici, natu minimo, qui candore animi, religione in Deum, pietate erga parentes, caritate in fratres ſororesq; inſigni fuit, Heidelbergæ, dum literis operam navaret, ac Principibus Holſatiæ D. Friderico & Philippo adeſſet, in ipſo ætatis flore peſte exſtincto, in memoriam ejus, ac futuræ immortalitatis ſpem, hunc tumulum honorarium, apud conditorium majorum, á ſe ſibi ac poſteris etiam deſtinatum, mœrens dolensq; FF.

Cúm mihi caneſcens tumbam tumulumá; paraſſem,
Quo, tu nate, meos contegeres cineres:
Sunt ubi compoſiti poſt acta tempora vitæ,
Cum patre germanus, cum genitore ſoror.

Tu

Tu quoq; dicebam, simul hic ô nate quiesces,
Cúm tibi supremum finiet hora diem.
Obstitit hei fati vis, ac immobilis ordo,
Te procul á patria surripuitq; tua.
Sic priús exequias tibi sum præstare coactus,
Qui me debueras ad mea busta sequi.
Hæc tibi sint igitur luctus monumenta paterni,
Hæc patrimonii sint tibi, nate, loco.
Et quoniam transacta meæ pars optima vitæ;
Spero mihi summum non procul esse diem.
Spiritibus nostris quo conjungemur, & unâ
Vivemus faciem jugiter ante Dei.

IBIDEM.

Catharinæ Ranzoviæ filiæ, Friderici Alefeldii uxori, post unius diei morbũ, subitæ mortis casu abreptæ, cúm vixisset annos 23. menses 5. dies 13. horas 4.

Henricus Ranzovius, Vicarius Regius, & Satrapa Segebergensis, ac Christina ab Halle, parentes, præpostero naturæ ordine, in senio superstites relicti, insperatum hoc memoriæ sacrum statuerunt.

IBIDEM.

FRIDERICO RANZOVIO, Henrici filio, Archidiacono & Canonico Slesuicẽsi, teneris annis in aula Electoris Augusti educato, Latinæ linguæ non ignaro; qui, cúm quinq; expeditionibus interfuisset, primúm Colonienſi apud Joannem-Casimirum Palatinum, anno 83. Secundó Livonienſi versus OEsel & Arnsburgũ, cum regio Danico Admiralio, anno 84. Tertió cum Ernesto de Mandelschlo in Gallia, anno 85. Quartó veró in Belgio, anno 86. ubi unius turmæ equitum ductor fuit: Ac tandem in Gallia anno 87. Regis Galliæ Henrici III. partes secutus, non procul á Chaumperaulx á sicariis globo aliquoties ex insidiis trajectus periisset: Henricus parens, qui Catharina filia, & Catharina, ex filia Oligarda, nepte, & tandem filio natu tertio Friderico in Gallia; nec non duobus fratris sui Pauli filiis, Joanne in Polonia, & Daniele etiam

in Gallia, spatio unius anni orbatus est, senex juveni, mutato naturæ ordine, summo animi dolore affectus, insperatum, minimeq; opinatum hoc monumẽtum sacravit.

Non laudes æquare, sed exsuperare parentum,
Vincereq; haud vinci, mens mihi firma stetit.
Diis aliter visum, qui mortem Marte propinant,
Laudem per fraudem, vivere perq; necem.
Nil moror, ignivomi pereo quód fulmine teli.
Hoc queror, hoc doleo, clam quód ab hoste necor.
Sic est. sæpe malum peregré comitatur euntes,
Atq; ibi mors præstó est, longé ubi abesse putas.

Parens Filio.

Dispensante Deo, quæ fiunt, omnia fiunt,
Hic bene agit, quod agit, seu grave seu leve sit.
Hic mihi te natum dedit, hic te rursus ademit,
Patre dolente procul, matre gemente procul.
Et procul á patria terra nostrisq; sepulchris,
Quæ mihi jamdudum, condideramq; tibi.
Sed bene habet; Patria omne solum, & verissima cælũ
In quo te vivum, nate, videbo iterum.
Cúm mihi te reddet, qui te mihi ademit Iesus,
Et veniet summo turbine summa dies.
Interea has lacrymas, & quæ tibi justa parento
Nolens atq; volens, signa doloris, habe.
Vin' mage? nolo pater. Quî fili? Fata recusant,
Nec libet. Ah liceat, non licet. Ergo vale.

Supra Crucem.

Hoc altare á Breidone Ranzovio A.C. 1456. consecratum est sanctæ & individuæ Trinitati, & ab ipsius filiis Hermanno, Marquardo, Petro, Henrico, Paulo, eorumq; posteris, perpetuis annuis proventibus liberaliter dotatũ.

Infra Crucem.

Cajus Ranzovius, Henrici Vicarii Regii filius, Præpositus Hamburgensis, qui Latinam & Gallicam linguam calluit,

calluit, cúm aliquot annos in Aula Regis Daniæ Friderici II. substitisset, & ab eo decem millibus Thalerorum, eó quód cum litteris regiis, pacem concernentibus inter Regem Hispaniarum, Reginam Angliæ, & Belgicos Status, in Belgium missus, & captivus non leves ibidem injurias sustinuerat, donatus fuisset: in aulam Brunsvvicensem cum conjuge Henrici-Julii Episcopi Halberstadiensis, ac Ducis Brunsvvicensis & Lüneburgensis, profectus est. Postea veró ab Archiepiscopo Bremensi & Holsatiæ Duce, D. Johanne-Adolpho, in numerum Consiliariorum Holsatiæ ascitus, & amplissimæ præfecturæ Gottorpiensis Administrator designatus, cúm ad provinciã sibi demandatam contenderet; ac vix Bredenbergam ad lares patrios veniisset; ibiq; ex febri pestilenti dies 14. decubuisset; immatura, proh dolor, morte præreptus, sponsus obiit: A.C. 1591. die 20. Aprilis, circa horam 7. vesperti-nam, ætat. 28. mensium 8.

Inscriptio Lapidis, in ædicula S. Georgii extra urbem Itzehoënsem.

Ego Henricus Ranzovius, Johannis filius, Christianĩ III. Friderici II. & Christiani IV. Daniæ Regũ Vicarius, S.P.Q. Itzehoënsi & pauperibus, hos lapides, numerum decem millium excedentes, ad ædificationem hujus Fanĩ DD. An. Christi M. D. XCI. ætatis 66.

Epigramma.

Quid lapis iste? Pii autoris pia munera signat.
Munera quæ? Lapides, unde stat ista domus.
Autor quis doni? Henricus Ranzovius autor,
Insigni cujus de pietate fluit.
Dat miseris: miseri pro tanto heroë precantur,
Ut placidé, at seró, calica regna petat.
Heroëm tellus, calum, maria alta loquentur,
Donec in hac saxum mole superstes erit.

Inscriptio sacelli Itzehoënsis.

Ego Henricus Ranzovius trium Daniæ Regum in Ducatibus Vicarius, ex unanimi Dn. Abbatissæ Catharinæ Alefeldiæ, & Consulũ urbis Itzehoæ, ac templi ibidem D. Laurentii curatorum consensu, quibus ad ædificationem ejusdem tetradrachmas dedi, Anno á partu semper virginis 1591. ætatis verò meæ 66. hanc ædiculam seu sacellum exstrui, Deoq; trino ac uni dedicari ac consecrari feci, inq; illud ex avita jam penitus repleta, & nimis angusta crypta, patris, matris & filii Caji corpora transferri curavi, ut esset tam meiipsius, conjugisq; Christinæ ab Hallen unicé carissimæ, & posterorũ, quàm utriusq; parentis & filii conditorium commune. Cum quibus etsi nunc non queo loqui: tamen á morte invicem ossa miscebimus nostra; & quemadmodum in terris vximus vitam mortalem; sic iterum resuscitati in cælis vivemus æternitatem æternam.

Condidit Henricus monumentum hoc nomine Ranzo
Pro se, proq; sua posteritate domus.

Inscriptio Sarcophagi, quem idem *Henricus Ranzovius, mortalitatis memor, ex solido lapide excavari, & in prænominati conditorii medio, ad se in eo sepeliendum, poni curavit.*

In hoc sarcophago conditus est Henricus Ranzovius, Johannis equitis aurati filius, Henrici nepos, Bredonis pronepos, Caji abnepos, Regis Daniæ Christiani III. Friderici II. & Christiani IIII. olim vices in Ducatibus Slesvicensi, Holsatiæ & Dithmarsiæ gerens, Præfectus arcis Segebergensis, Dominus in Bredenberg, Ranzovv, Ranzovisholm, Nutschovv, Melbeck &c. qui vixit annos mortuus Anno

Job XIX.

Et ego scio redemptorem meum vivere: & is novissimo die me é pulvere excitabit.

Hen-

HENRICUS RANZOVIUS VICARIUS Regius ad imitationem Pontani de suo sarcophago.

Vivus lapideum hunc mihi paravi lectulum,
In quo jacerem mortuus.
Noli obsecro me mortuum lacessere,
Qui vivus obfui nemini.
Henricus ille namq; sum Ranzovius
Regis Dani vicarius.
Quem plurimúm plures amarunt Principes,
Suiq; passim subditi.
Quem docti honestarunt viri, cumq; improbis
Laude cumulaverunt probi.
Nunc, hospes, ecquis sim, aut mage fuerim, tenes:
Veruntamen qui tu sies,
Non cognitum est mihi. igitur ut teipsum bene
Noscas rogo. His longúm vale.

ALIA MONUMENTI INSCRIPTIO.

Hîc depositæ sunt Joannis Ranzovii Equitis aurati ejusdemq; uxoris Annæ Walstorpiæ, & Magdalenæ eorum filiæ, sicuti & hujus filioli & Caji, Henrici Vicarii R. filii, exuviæ.

IN PARIETE TEMPLI ITZEHOENSIS.

DEO TRINO ET UNI S.

Henricus Ranzovius Johannis filius, Regiæ Majestatis Daniæ in Ducatibus locum tenens, Dominus in Bredenberg, Drakenburg, Rintelem, Willingsbuttel, Hatstedt, Tuschenbeck, Ranzovisholm, Wandesbeck, Bücken, Melbeck, Redingstorp, Ovendorp, Nutschovv, Nuchel, Gronovv, Stelnovv, Erfradt & Ranzovv, hoc monumentum in honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, ac memoriam majorum suorum, juxta altare S. Trinitatis sepultorum, propter loci commoditatem, hîc poni curavit. Anno 1578.

SUPRA MONUMENTUM.

Nascendo morimur, vita altera morte paratur.
Vita hæc mors: mortis funera finis erunt.

Si vita censes defunctum me esse, viator,
Falleris, annexa quod ratione probo.
Præclarum in terris nomen post fata relinquo,
Spiritus in summo vivit ovatq; polo.

ALIUD.

Vivo, pòst moriar: sic fert divina voluntas;
Hæc quæ vult, eadem me quoq; velle decet.
Vita mihi melior continget temporis hujus
Vitâ; quam vixi, vita operosa fuit.
Quam spero vitam, Christi mihi sanguine parta est,
Hac dabitur lata pace, Deoq; frui.

Ejusdem.

Sat mihi; sat laudi, caris vixi sat amicis,
Mors mihi sperati muneris instar erit.
Ergo fama vale, spes & fortuna valete,
Tu quoq; rex clemens, patria, stemma, vale.

ALIA EJUSDEM TUMULI INSCRIPTIO.

Sunt his tres nati tumulis, sunt tresq; nepotes
Ranzovii, qui sex ordine bis duo sunt.
Janus & Henricus, Breido, Cajusq; sepulti,
Filius atq; parens, ac avus, ac proavus.
Ordine Ranzovidum veteri de stemmate nati,
Reddet at, horum animas quattuor, una dies.
Henricusq; nepos, qui stemmate natus eodem,
Quattuor his jungi post sua fata cupit.

PRECES H. R. PRO FELICI EX HAC vita exitu.

Alme pater, vita qui das primordia nostra,
Quiq; sacro nobis numine semper ades:

Fac etiam vitæ felix sit ut exitus hujus,
Ultima nec mortis sit gravis hora mihi.
Patria, fama, domus, spes, Rex, fortuna, valete,
Sat mihi, sat vixi, Cimbria clara, tibi.
Dissolvi cupio vitæ pertæsus, & esse
Cum Christo. Christo dulce vocante mori.

MORUS DE MORTE.

Nos semper mortem procul, & procul esse putamus,
At mediis latet hæc abdita visceribus.
Paulatim morimur, momento exstinguimur uno,
Lampas ut hîc oleo deficiente perit.

PYRAMIS NORDOENSIS PROPE ITZEHOAM.

Salvus & incolumis dum rex tibi, Dania, vivit,
Ranzovidûm felix stemma genusq; manet.

Pyramis hæc quadrata, & in apice acuminata, ex albo lapide Buckeburgensi supra montem conspicuum, apud pagum Nordöe, non procul á civitate Itzehoënsi erecta est. causa ex incisis illi litteris patet.

LATUS ORIENTALE.

DEO TRINO ET UNI SACRUM.

D. Friderico I. Christiano III. Friderico II. avo, patri, ac filio, Danorum Regibus piis, victoriosis, ac bene de se meritis, Henricus Ranzovius, duorum posteriorum in Holsatia Vicarius, nec nō Johanni Ranzovio, Annæ Walstorpiæ, parentibus gratitudinis ergó, tum sibi ac uxori suæ Christinæ ab Halle, filiisq; ac filiabus, Francisco, Bredoni, Friderico, Gerhardo, Theodorico, Cajo, Johanni, Magdalenæ, Catharinæ, Elisabethæ, Oligardæ, Margaretæ, & horum posteris posuit.

An. Dom. M. D. LXXVIII. ætat. suæ LIII.

Henricus Ranzovius mortuus anno
Domini ætatis

LATUS OCCIDENTALE.

Hüt dich mit fleiß/vnd nicht zerbrich/
Was zur gdechtnis ist aufgericht/
Dann wo solches von dir geschicht/
Verbleibt die straf gewißlich nicht.
Hiemit befehl ich Leser dich
In Gottes schirm stets ewiglich.

HENRICUS RANZOVIUS HOC LATUS *memoriæ fratris Pauli, ac Magdalenæ sororis dedicavit, anno Domini 1578.*

Spes salutis ipsam sævitiam doloris levat.

Pyramis æthereas velut est educta sub auras,
Quá jacuit plano Gracia clara solo:
Ut moneat, nobis quærendas æthere sedes,
Virtuti & proprias esse sub astra vias:
Sic patulis, Henrice, tibi est quoq; pyramis arvis
Condita, quæ cæli fert caput alta plagæ.
Ut moneat cælum patriam post fata petendam,
Quá virtus pretium dulce laboris habet.
Pectora quadratum signat constantia saxum,
Quæ levis accursu non movet aura suo.

LATUS SEPTENTRIONALE.

Construxit tribus ex ordine Danorum Regibus, sibi ac suis, Henricus Ranzovius hoc monumentum; posteritas exoptatissima, ut inviolatum maneat, rogat, æternæque te divinitati, in omnia orbi ventura sæcula commendat.

Anno á principio mundi 5540.
Anno á diluvio inchoato 3484.
Anno á Christo Deo nato 1578.
Anno á nato Pseudopropheta Mahometa——————985.

Operis violator infelix esto.

LATUS

LATUS MERIDIONALE.

Umbra horas Phœbi designat climate nostro.
Nodus, quod signum sol tenet, arte docet.
Salvo Rege Daniæ
Felices Ranzovii.

NOSOCOMII GRONOVIENSIS PROPE LUBECAM.

DEo Opt. Max. honestæq; hominum societati conservandæ, nec non ærumnosæ pauperum inopiæ, & senectuti sublevandæ pium præstituri officium, hoc oppidulum atq; Nosocomium suis impensis exstrui curarunt Henricus Ranzovius, & Christina ab Halle, conjuges, domini & hæredes in Bredenberg, Drakenburg, &c.

CHILONIÆ.

IN MONASTERIO FRANCISCI.

EPITAPHIUM ADOLPHI COMITIS HOLSATIÆ.

Monachi loquuntur.

Quondam nostrorum pater & speculum Dominorum,
Laus Holsatorum, Comes Adolph, regula morum,
Hic situs est flos florum, & honos & gemma bonorum,
Cui dedimus sertum nostrorum more Minorum,
Ne pravorum anima noceat fraus Dæmoniorum.
Oramus Deus utq; receptet in alta polorum.

IN BASILICA RANZOVIANA UNA.

Henricus Ranzovius fieri curavit, Anno Domini 1562.
Virtus post funera durat.

In altera.

H. R. Vicarius Regis, sibi ac suis hanc domum construxit, anno Domini 1575.
Domini benedictio ditat.

IN TEMPLO.

D. Joannes Ranzovius, eques auratus, trium regum Daniæ summus bellorum Dux ac Consiliarius, hîc sacras conciones audire solitus est. Occubuit anno 1565. 12. Decemb.

WANDESBURGI PROPE HAMBURGAM.

HEnricus Ranzovius, Joannis equitis aurati filius, castellum hoc Wandesburgum suis sumptibus & impensis funditus ædificari & exstrui curavit, anno post partum Virginis 1568, ut patriæ suæ sibi carissimæ, decora & ornamenta augeret, & sibimetipsi, uxoriq; & posteris suis domum pulcram & secessum amœnum pararet.

IN ARCE MELBECA.

HEnricus Ranzovius, Joanni Ranzovio, Annæque Walstorpiæ, parentibus bene meritis, nec non sibi ac uxori suæ Christinæ ab Hallen, filiisq; ac filiabus, Francisco, Breidoni, Friderico, Gerhardo, Theodorico, Cajo, Joanni, Magdalenæ, Catharinæ, Elisabethæ, Oligardæ, Margaretæ, & horum posteris posuit, anno á principio mundi 5537. á diluvio inchoato 3481. á Christo nato 1576. Construxit suis H. R. hoc monumentum, posteritas exoptatissima, & ut inviolatum maneat, rogat, æternæque Trinitati te commendat.

SLESVICI.

IN SUMMO TEMPLO.

HAc *dux magnanimus patriæ servator Ericus*
Woldemari natus cum patre tectus humo est.

Pater

Pater anno Domini 1314.
Filius 1325. obiit.

IBIDEM

Monimentum est satis magnificum Friderici I. Regis Daniæ, cum hac inscriptione:

Qui pius est quondam merito cognomine dictus
Danorum hîc tegitur Rex Fridericus humo.
Moribus egregiis non degeneravit avorum,
Christiade primo de genitore satus.
Pacis amans fuerat, qui dum moderatur habenas,
Hostibus á sævis Dania tuta fuit.
Sincera heroum nulli pietate secundus,
Munifica fuerat quo neq; mente prior.
Regno præfectus, rerum duo lustra potitur,
Invida cúm vitæ stamina Parca secat.

EPITAPHIUM

Johannis Ducis Holsatiæ, qui obiit anno Christi 1580.

Principis hoc tumulo Johannis membra quiescunt,
Cimbrica cui fuerat subdita terra duci.
Justitiam coluit, crudelia bella perosus,
Et placido fovit pectore pacis opes.
Dithmarsos domuit cum Rege & fratre feroces,
Fortiter ultus avos Marte favente suos.
Ausonias oras etiam grandævus adivit,
Et varias urbes visere cura fuit.
Conjugii expertem decrevit ducere vitam,
Ne nimis Holsatas debilitaret opes.
Eripitur fatis senio confectus, & arce
Nunc capit ætherea gaudia læta poli.

FLENSBURGI.

ANno Domini 1571. Henricus Ranzovius hanc domum, cúm á tractatione pacis inter Daniæ ac Sueciæ reges instituta rediisset, fieri fecit.

PATRIA ET DOMUS OPTIMA COELUM EST.

ODENSEHÆ.

GErhardo Ranzovio, Pauli filio, Joannis nepoti; qui, cúm in hoc oppido Odenſehe, á Rege Daniæ Friderico II. Ducatus Sleſvvicenſis, Principibus Holſatiæ, Joanni & Adolpho, in feudum concederetur, ſingulari certamine cõmiſſo cum alio nobili Holſato, quem rurſus graviter vulneravit, enſe trajectus, ac hîc præſente Rege, ac Ducibus, nec non proceribus Daniæ ac Holſatiæ, ſepulturæ honorificé mandatus ab Henrico Ranzovio patruo: Beata mater, quæ maritum, filiam, & jam hunc filium natu majorem feré ſpatio unius anni amiſit, mœrens non ſine luctu, dolore ac lacrymis, collocavit. Deceſſit anno Domini 1580. die 19. Maji. Ætatis 26.

IN PAGO WESTENSEHE.

NObili viro DANIELI RANZOVIO, Equiti Holſato, domino caſtrorũ Nienhoves, Trojeburgi & Woldenborn, belli inter ſereniſſ. Danorum regem Fridericum II. & Suecos, per ſeptennium geſti, ſummo Duci & primario adminiſtratori: multarum pugnarum acerrimarum, cum Suecis manu prorſus impari commiſſarum, victori; in illorum regione viarum abſtruſarum, & antehac incognitarum inveſtigatori ac inventori: earundemq; urbium, pagorum & agrorum everſori ac depopulatori: de Rege ac regno Daniæ optimé merito, gentili, cognato & amico ſuo cariſſimo, qui in obſidione arcis Warburgæ tormento ictus, moriendo vincens, vitam viriliter profudit: HENRICUS RANZOVIUS D. Joannis filius, hoc non tam privati, quám totius Daniæ ac Holſatiæ luctus perpetuum monumentum mœrens non ſine lacrymis erexit. Exſtinctus eſt anno 1569. die 11. Novemb. Anno ætatis ſuæ quadrageſimo.

INSCRI-

INSCRIPTIO FONTIS IN PAGO MUNSTERDORP.

HUnc fontem, olim D. Sixto sacrum, & potu contra febrim salubrem, vetustate collapsum H. R. anno Domini 1587. restauravit.

Non procul á celebris Bredebergæ mœnibus arcis
Fons est, qui Sixto dicitur esse sacer:
Corpora lethali qui febre levare putatur
Horrida, quæ quartâ luce redire solet.
Scilicet hæc virtus patuit per somnia Galli,
Ex quo quis medicas hauserat ager aquas.
Hunc pius Henricus Ranzo reparavit, & illi
Restituit fonti, quod fuit anté, decus.

CATHARINÆ RANZOVIÆ filiæ, Friderici Alefeldii uxori, post unius diei morbum subito mortis casu abreptæ, cúm vixissent annos 23. menses 5. dies 13. horas 4. HENRICUS RANZOVIUS Vicarius Regius, ac CATHARINA ab Halle parentes, præpostero naturæ ordine, in senio superstites relicti, insperatum hoc memoriæ sacrum statuerunt.

Hac ego Fridrici conjux Alefeldii in urna
Dormio Ranzoviæ lux Catharina domus.
Nil nil præclari generis mihi profuit ortus,
Nil tenera ætatis tempora prima meæ.
Omnia mors aufert, diadema ligonibus æquans,
Omnia Parcarum tollit avara manus.
Disce hinc, quicunq; es, nostram qui præteris urnam,
Quid sis, quid fueris, quidve futurus eris.
Nil aliud mortalis homo est, quám labilis aura,
Pulvis, imago, vitrum, flos, cinis, umbra, sonus.
Nil aliud fragile hoc corpus, quám putre cadaver,
Et dira illuvies congeriésve luti.
Nil aliud vita hæc, quám semita plena malorum,
Cumq; dolore labor, cumq; labore dolor.
At mors æterna est requies, via certa salutis,
Et torrens vitæ principiumq; novæ.

Felix qui Domino, cùm possit vivere, vivit,
Et Domino moritur, cùm venit hora mori.

APENRODÆ.

INSCRIPTIO MONUMENTI IDÆ RANZOVIÆ.

IPSA LOQUITUR.

OPtimum quidem est, Sileno teste, non nasci, aut natum citó mori. Ast ego illud improbo, hoc probo. Illud, inquam; Si enim non nata; nec homo, nec imago Dei opificis fuissem. Hoc; Si enim non tam citó mortua; multis exposita fuissem morbis & periculis. Cúm itaque per mortem ad vitam, de peregrinatione ad patriam, ab æstu ad refrigerium, ex agone ad bravium, dulci somno sopita pervenerim, gratulor mihi, quód & ego IDA idea & imago Dei mei nascendo facta, quodq; citó moriendo ego Ida ita innumeris sim prærepta malis: Nunc autem trimula hîc Apenrodæ sub monumento á patre Cajo Mauritii filio, & matre Elisabetha Henrici trium Daniæ Regum Vicarii filia, utrisq; Ranzoviis erecto, resurrectionem carnis exspectans recubo, mortua 24. Februarii, sepulta 22. Martii, anno Domini 1591.

INSCRIPTIO ARCIS RANZOÆ.

Henricus Ranzovius sereniss. Danorum Regis Dux Cimbricus, hanc arcē Ranzoam á gentilibus suis 57000. Daleris emit, & de integro ædificavit anno Domini M. D. XCII agens annum ætatis LXVII.

Omnipotens faxit stirps ut Ranzovia sedes
Incolat has placidé possideatq; diu.

BEL-

BELGICA.

BRUXELLIS.

ANno 1558. exeunte Decembri in exequiarum Caroli V. pompa funebri navis supra L. pedes longa Phil. regem Hispaniæ admirabili arte & opere præcessit, cujus sinistræ parti sequentia inscripta legebantur:

Non auri sitis aut famæ ambitiosa cupido,
Non sceptri persuasit amor, tot adire labores:
Humani sed te generis pia cura coëgit
Navibus ignotas investigare per oras,
Queis sacra inferres, populos Christoq; dicares,
Membra salutifera lustrans aspergine lymphæ.

Fide Indis invecta,
Tuneto capto & restituto, captivisq; reductis.
Metone Coroneq; vi captis.
Germania Bohemiaq; sedatis.
Geldria recepta.
Alphrodisio deleto.

Ad latus dextrum.

Successus neq; te, Cæsar, spes certa petiti,
Destituit: donec te littore solvit Ibero:
Neptuno sternente viam, & Tritonibus udis,
Auspiciis veneranda tuis, transq; æquora vecta
Relligio, tandem auriferis allabitur Indis:
Luce nova irradians mersas caligine mentes.

Mari pacato.
Tremisseno restituto.
Solymanno profligato.
Orbe novo invento.

De puppi vexillum magnum dependebat, *cum hac inscriptione:*

Imp. Cæs. Carolo Max. P.F. Augusto, Gal. Indico, Turc. Africo, Sax. victori triumphatoriq; multarum gentium. Tametsi res ab eo terra mariq; gestæ, singularis humanitas, incomparabilis prudentia, ardentiss. religio satis terrarum orbi conspicuæ sunt: Resp. tamẽ Christiana ob memoriam justitiæ, pietatis, virtutisque ejus: Victoriam Navem, quæ mundum circumivit, quem suis ipse victoriis illustravit, P.D.S.B.P.

Præterea quód novum orbem orbi nostro patefecerit: exteris gentibus Christiano nomini additis: multisq; regnis provinciisq; Hispaniar. aucto Imperio.

Quód Solymannum Turcarum imperatorem, cum CCC. M. equitum: C. M. peditum Germaniæ impendentem, ruptis in fuga pontibus, amissisq; XV. millibus equitum in suos fines compulerit: Germaniâ servatâ.

Quód classe Peloponnesum invadens, civitates Turcarum Methonem & Coronem vi ceperit.

Quód Barbarossam tyrannum, cum CC. M. peditum, XVI. equitum M. prælio ad Carthaginem superatum; arce Goletana LX. triremibus, multis piraticis navibus, cum nautico bellicoq; apparatu, ipsa Tuneto, Hippone novo, Hippone Regio civitatibus captis; regno Tunetano, Imperioq; Libyæ spoliaverit: restituto, vectigaliq; facto veteri legitimoq; rege.

Quód undeviginti Christianorum captivorum millia eo bello liberata in patriam reduxerit.

Quód regnum Tremissen. devictâ prælio Mauritaniâ Regi restituerit.

Quód Aphrodisium Libyæ nobilissimum emporium, Sussam, Monasterium & Clupeam classe ceperit: maritimasq; Libyæ civitates principesq; vectigales fecerit.

Quód duas Turcarum classes, nostrum mare infestantes, duobus præliis, altero ad littus Mauritaniæ, ad Siculum altero, deleverit.

Quód pristinam Reip. Januensium libertatem restituerit.

Quód

Quód Ducatum Mediolanensem, VI. exercitibus hostium repulsis, tribusq; magnis præliis devictis, Imperio Rom. bis, Duci semel restituerit.

Quód præclaro rei militaris peritiæ exemplo, primúm cunctando, mox longis difficilibusq; itineribus celeriter confectis, Albiq; tramisso, tumultuantis Germaniæ motus, pacata insuper Bohemia, victor sedaverit.

Quód contra Christiani nominis hostes sponte, contra Christianos non nisi lacessitus, & injuriam propulsans, arma sumpserit. Fortiss. Catholico Opt. q. Principi: titulos trophæaque, additis tumulo regnor. signis, devictarumq; gentium imaginibus; eadem Christiana Resp. majestati ejus devotiss. D. D.

Ad columnas Herculis navim sequentes.

Jure tibi Herculeas sumpsisti signa columnas,
Monstrorum domitor temporis ipse tui.

Epitaphium Caroli V.
ex Guicciardino.

DEO OPT. MAX. S.

D. Carolo V. Imp. Cæs. Aug. Max. Indico, Turc. Afric. Germ. Hispaniæ, Siciliæ & Indiarum Regi, P. P. Principi potentiss. & invictiss. sacri Imperii liberatori, fundatori quietis, Christianæ Religion. acerrimo propugnatori; justitia, animi magnitudine, prudentia, religione, clementia, patientia, aliisq; insignibus virtutibus longé ornatiss. qui post ingentes ubiq; terrarum partas victorias, & clarissimos de Gallo, Turca, Afris, Italis, Germanis, actos triumphos, tot multis Indiæ provinciis & insulis etiam priscis incognitis, per legatos magno Reipub. Christianæ ornamento inventis, atq; lustratis, deniq; post feliciter administratam, & prudenter constitutam Remp. Philippo filio tot amplissimis Hispan. Regnis, Flandriæ, & aliis provinciis inaugurato, Religione ductus ex Flandria in Hispaniam trajecit: seque in justum Hieronymiani ordinis cœnobium, ædibus illic jussu ejus constructis, recepit, ubi reliquum vitæ, quod vix biennium fuit, tranquil-

lissimé egit, & sanctissimé obiit XI. CAL. Octob. M. D. LVIII. Joanna Lusitaniæ Princeps Hispaniarum gubernatrix, patri opt. & max. P. Vix. ann. LVIII. mens. VI. dies XXVII. Imperavit ann. XL. Regnavit ann. XLIII.

ANTWERPIANA.

IN ANTWERPIAM JUL. CÆS SCALIGER.

OPpida quot spectant oculo me torva sinistro;
Tot nos invidia pallida tela petunt:
Lugdunum omnigenum est: operosa Lutetia: Roma
Ingens: res Venetum vasta: Tolosa potens.
Omnimoda merces, artes priscæq; novæq;,
Quorum insunt aliis singula, cuncta mihi.

IN AREA ARCIS ANTVVERPIENSIS.

Ferdinando Alvarez á Toledo, Albæ Duci, Philippi II. Hisp. apud Belgas præfect. quód extincta seditione, rebellibus pulsis, religione procurata, justitia culta, provinciæ pacem firmarit, regis optimi minist. fidelissimo positum.

IN MARIÆ.

Henricus Ranzovius, Regis Daniæ in Ducatibus Administrator, Francisco ab Hallen Domino in Drakenburg & Rintelem, ex equestri Brunsvicēsium ordine nato, socero suo, hac in urbe pié defuncto, anno nimirum 1553. die 27. Septemb. marmoreum hoc monumentum constituit: & jam secundúm belli tumultibus destructum, innovavit.

IBIDEM.

Cornel. Scrib. Grapheus, præclaræ hujus urbis á secretis, sibi suisq;, & Hadrianæ Philippiæ dulciss. uxori vivens pos

posI. Ipsa quidem vixit annos LXXI. decessit autem XVII. Aug. M. D. LVI. uno & XL. ann. marita, matrona & prudentiss. & pietatis cultrix eximia. Ille verò caram sequutus conjugem migravit XIX. Decemb. M. D. LVIII. cùm vixisset ann. LXXVI.

ANTVVERPIÆ IN PROPUGNACULIS.

Divæ Mariæ Hung. Reg. Divi Carol. V. Cæsaris sorori, patriæ ex fratris auctoritate tutrici S. P. Q. A. hanc molem ex ejus nomine Marianam nuncupantes, piis votis D. D. Quòd sollicito illius hortatu tantæ hæc vastitatis mœnia graviss. Reipub. impensis vel quadrimestri spacio, ad mille passuum longitudinem in superiorem usque limbum excitata sint, universumq; urbis ambitum hac parte complerent, mense Augusto, M. D. LII.

Constant. Halmalus, eques auratus huic moli primum jecit lapidem, die XVII. Julii M. CCCCC. LII.

JUSSU CAROLI V. CÆS.

Joannes á Crombach, eques aur. hujus urbis Senator, huic moli indito nomine, Divi Jacobi, primum jecit lapidem anno M. CCCCCC. LII. die III. Junii.

ANTVVERPIÆ IN TEMPLO
D. Andreæ.

CHRISTO SUSCITAT. S.

GEORGII VESELERI

Imp. Carolo V. Aug. & Philippo Regi Brabant. Ducibus á moneta primarii; quo munere annos XXV. functus est. Vixit LXXVII. decessit die decimasexta Octobris,

ANN. S. CIↃ IↃ LXX.

MARGARITÆ BOCHEN.

Ejus uxoris, quæ cum marito fuit annos LII. iterato etiam geniali convivio, vixit LXIIII. expiravit die XX. mens. Sept. Anno salutis CIↃ IↃ LXIV.

Hæredes mœsti B. M. M. posuer.

IN TEMPLO B. VIRGINIS MARIÆ.

D. O. M. S.

Christophoro Plantino Turonensi, civi & incolæ Antverpiano, architypographo Regio, pietate, prudentia, acrimonia ingenii, magna constantia ac labore maximo; cujus industriâ atque operâ, infinita opera, vetera, nova, magno & hujus & futuri seculi bono in lucem prodierunt; Joanna Riviera conjux & liberi heredesque, illa opt. viro, hi parenti, mœsti posuerunt. Tu qui transis, & hæc legis, bonis manibus bene precare. Vixit annos LXXV. desiit hîc vivere Kal. Quinctilibus, Anno Christi CIↃ IↃ XXCIX.

ANNO CHRISTI M. D. LXXIX. HOC SEPULCRUM *nemini unquam referandum jure perpetuo sibi D. Joannes Engelstede Senator Lubecensis comparandum curavit.*

Clariss. & doctiss. viro Domino Joanni Engelstede Lubec. Imperialis civitatis Lubecæ Notario laud. & postea Senatori digniss. inter ardua Reip. negotia, quorum causa Legatus huc venerat, rebus humanis pié exemto, gloriosæ resurrectionis & beatitudinis spe hîc quiescenti, marito opt. dilectiss. Gesa Meyers conjunx pia mœstiss. F. F. Vixit annos XLVIII. Obiit anno D. 1579. die 27. Feb. hora VIII. vespertina.

Hæc inscriptio postea erasa, & monumentum destructum est, quòd in eo sepultus fuisset Lutheranus.

SUB PICTURA BELGIÆ.

OFFICIUM BONI PRINCIPIS.

Principi bono, fideli in rebus omnibus,
Deus stabilit regnum in perpetuum;
Illi nimirum, qui miserorum querelis aures præbet,
Qui pauperum controversias cum æquitate dijudicat.
Hæc est doctrina seniorum, & consilium prudentum.
Si populo huic hodie officium præstas

Audien-

Audiendo clementer, juvando ex ærumnis;
Subjicient se tibi ad honorem tuum.
Ubi est Roboam, qui sapientum consilium contempsit?
Premere etiamnum vis duriter subditos?
Satin' affecerunt nos virgarum plagæ?
Quærisne scorpiones ad plagas infligendas acerbiores?
An patris tui mandatis & virga innocentibus lenior fuit?
An etiam scorpionem Inquisitionis in Belgiam
Meditaris inducere? tibi contingit quod Roboamo,
Qui delectaris bello, & pace fallace.
Istáne est tandem merces laborum meorum,
Quos contra tuos hostes sustinui plurimos? (tibi.
Opibus meis, sanguine, vita, semper parata ad serviendum
Unde nominis tui fama celebrata est in terras universas;
Nominis tui eram decus, & coronæ tuæ ornatus.
Pro beneficióne maleficium accipio mercedis loco?
At ô leo rugiens & urse violentissime,
Qui tot annis bella contra me gessisti cruenta,
Et in prædam tradidisti tyrannis peregrinis,
Ventos hæreditatis nomine accipies, qui sic propriã domum
contristas,
Mercedem latrocinii & animi inconstantis &c.

FLANDRICA.

ARCUS TRIUMPHALIS, QUEM FLANDRI INSULANI EREXERUNT, CUM ISTAC TRANSIRET PHILIPPUS Rex Hispaniæ, inscriptio, sub imagine Caroli V. Cæsaris.

Quis te victorem dicat qui vinceris ipse,
Invictus victo Cæsar ab hoste tuo?
Si veniam victus petit hostis, protinus illi
Parcis, & errati te meminisse piget.
Non te hostis, Cæsar, sed te clementia vincit,
Et ratio, cùm sis victor & ipse tui.

Vincere laus ingens hoſtes, & parcere victis
Gloria, ſed ſeſe vincere major erit.

MONETÆ GANDAVENSIS.

AB UNO LATERE.

Anno XXCI. Religione & Juſtitia reduce, vocato ex Gallia pacata Duce Andegavenſi, Belgicæ libertatis vindice.

IN ALTERO.

Ganda pro Chriſto, lege, grege & patria.

IN ADVENTU
DUCIS ANDEGAVENSIS.

Abſtulit ut regni Dominus moderamina Sauli,
Et reprobum ſancti privavit numinis aura,
Præfecitq; ſuo Regem Davida popello:
Sic modò depulſis patria regnoq; tyrannis,
Dux generoſe tuo voluit nos Marte tueri.

SUB SOLE RADIOS SPARGENTE, ET SYMbolo Ducis, FOVET ET DISCUTIT.

Exoriens veluti obſcuras ſol discutit umbras,
Arvaq; nativo lata calore fovet:
Non ſecus adventu diſpergis nubila Princeps,
Ac libertatis ſpe recreas populum.

Ad ſuggeſtum prope curiam.

Veniſti tandem, tuaq; expectata tueri
Ora datur?

Item.

Hunc tamen everſo juvenem ſuccurrere ſeclo
Ne prohibete, &c.

ÆNEÆ A MARIVORTA.

Quis ſim, quis olim, quis denique

Viven

Vivens fuerim, requiris hospes optime:
Sum pulvis, olim nobilis.
Dum fata vitam haud invident superstitem
Belli, togæ, domi, foris.
Heroas inter splendidos haud infimus,
Et miles & dux agminis.
At forte nomen & genus quæsiveris
Et patriam de nomine;
Respondeo quod Cypridos quondam fuerit
Gnato, Creüsæ conjugi;
Idem parentes indidere infantulo,
Vocatus Æneas fui.
Gens Marivorta originem mihi dedit
Antiquitate splendida.
Brugis in auras me mater primùm tulit,
Heroïs inclyta & pia.
Quid sim, quid olim (vel potius nuper) fui,
Scis hospes. at tu quis sies,
Tenebris situs nequeo quidem cognoscere;
Sed tute te ipsum noveris.

LEIDAE.

LIPSIANI HORTI LEXIN IPSO ADITU, SUB PERSONA BIFRONTIS JANI. B.F.

QUisquis es, STA, LEGE, PARE.
JANUS ad hoc limen sic EDICO.
1. Horto & hero fruendi tibi jus esto:
Sed illo ad aspectum, isto ad sermonem.
Nisi oculis, quidquid heic satum aut natum,
ne LIBATO.
Tiro esto, manum apud te habeto.
Si effers ad tactum aut ad raptum:
Verbo dicam, te efferto.

2. Sed nec hero usquequaq; fruitor.
Ante sextam vespertinam ne adito:
Post septimam ne maneto.
Horæ aliæ ad alias illi curas.
Heic cogitat, heic pangit:
STILUS heic est, abi musca.
Quid si & cæna? abi musca.

3. Sermones etiam ne exlêges.
Jocari licet:
Narrare licet:
Rogare licet:
Sed nihil serium.
Gratiarum hic locus est.

4. Si quid amœnius tamen in studiis,
Inter ambulandum
Disere, doce, disce.
Et Musarum hic locus est.

5. Tu qui serioſus,
Tu qui rixoſus,
Exeste.
Clusius ego sum vobis.

6. Canis, præter unam, emaneto.
Hecuba, præter unam, emaneto.
Habes? hoc etiam.
Quoquó te agis, te video.

LEODII.

IN TEMPLO D. JACOBI.

D. O. M.

DAnieli Mauch, & Rosæ Stockerin conjugg. qui postquam hæretic. factionib. aris focisq; paternis pulsi, in hac Eburonum urbe exilii voluntarii sedem collocassent, IIII. mensium inter utriusq; obitum spatio interjecto, in æternam patriam migrarunt. Daniel filius unigena parentibus opt. dulcissimisq; mœrens P.

Vixit

Vixit Daniel ann. LXIII. Rosa LVII. In matrimonio unâ fuere ann. XXXVII. Obiit hæc prid. Id. Jul. ille XVI. Kal. Decemb. ann. Christi M. D. XL.

IBIDEM IN GUILIELMITARUM *cœnobio.*

Hîc jacet vir nobilis Dominus Joannes de Mandevile, Al. D. ad Barbam miles, Dominus de Campdi, natus de Anglia, Medicinæ Professor, devotissimus Orator, & bonorum largissimus pauperibus erogator, qui toto quasi orbe lustrato, Leodii diem vitæ suæ clausit extremum. An. Domini M. CCC. LXXI. m. Novemb. die XVII.

INSCRIPTIO FONTIS AD ÆDES COMITIS *Mansfeldiæ Petri-Ernesti, extra urbem Lützenburgam, versus septentrionem.*

Quisquis huc accedis, si te æstus sitisve urget, hîc æstū quietus vitato, sitim pronus extinguito, aquam manu haurito, os lavato, at pede ne turbato, nudo corpore ne polluito, quiescentibus enim carissimæ uxoris manibus tranquillam undam sacravit: Mariæ de nomine Mariæ fontem nuncupavit: æterni sui amoris testes latentes vasta sub rupe lymphas etui, vivo lapide cingi, æternasque fluere jussit P. E. C M.

GRONINGAE IN FRISIA.

D. O. M.

LAmberto Cantero Frisio Gruningensi, Jurisc. clariss. Philosopho & Oratori præstanti, Caroli Quincti Senatori, raro virtutis omnis exemplo, singulari patriæ ornamento, parenti merito longé cariss.

Pietatis & memoriæ ergo Gulielmus F.M.
P.C.B. Ann.XL. mens.III. Θ. An.ab O.
R. CIↃ IↃ LIII. VII.Kal.Sextil.

IN HOLLANDIAE COENOBIO NON PROCUL AB HAGA COMITUM.

Ex Guicciardino.

ILlustris Domini Florentii, Comitis Hollandiæ filia, cujus mater fuit Mathildis filia Henrici Ducis Brabantiæ, fratrem quoq; habuit Gulielmum Alemaniæ regem: hæc præfata Domina Margareta, an. salutis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, ætatis suæ an. quadragesimo secundo, ipso die Paraſceves, hora nona ante meridiem peperit infantes vivos promiscui sexus, numero trecentos sexaginta quatuor. qui postquam per venerabilem Episcopum Dominum Guidonem Suffraganeum, præsentibus nonnullis proceribus & magnatibus, in pelvi quadam baptismi sacramentum percepissent, & masculis Joannes, femellis veró nomen Elisabeth impositum fuisset: ipsorum omniũ simul cum matris anima ad Deum æternaliter victuræ redierunt, corpora autem sub hoc saxo requiescunt.

NB.

Vera esse quæ hîc narrantur, testes sunt omni exceptione majores Lud. Vives, Erasmus Roterodamus, & alii, qui etiam occasionem & causam rei sic gestæ hanc addunt. Margarita hæc mulierculam quandam, gemellos in ulnis gestantem, & stipem petentem, acerbé increpaverat, quòd eam uno partu duos infantes producere potuisse negaret, nisi duorum quoq; virorum commercio usa esset. Mendica igitur precibus á Deo contendit, ut in signum innocẽtiæ suæ Comitissa gravida tot pareret infantes, quot essent in anno dies. Quod & factũ est, ut in Epitaphio præmisso narratur.

ARNE-

ARNEMII IN GELDRIA.

Jodoci Sasbouti.

Iste gradum: quod es, ipse fui, fortassis eris cras
Quod sum cadaver putridum.
Olim Jodocus eram Sasbout: me misit in auras
Delft clara pars Batavia.
Ter denis patriæ causas decidimus annis,
Pars consuli haud ingloria.
Deinde & pacatis Præses jus Cæsare Gueldris
Dixi, jubente Carolo.
Quid tituli? quid opes? quid nunc prudentia prodest?
Mors summa miscet infimis.
Sola manet virtus homini post funera, solam
Dum vivis hanc ama: vale.

IN VICTORIAM NAVIM QUÆ totum orbem ambivit.

Prima ego velivolis ambivi cursibus orbem,
Magellane novo te duce ducta freto.
Ambivi, meritoq; vocor VICTORIA. *sunt mi*
Vela ala; precium gloria; pugna mare.

GALLICA.

PARISIENSIA.

IN LUTETIAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Francigenæ princeps populosa Lutetia gentis,
Exerit immensum clara sub astra caput.
Hic civis numerum, ars precium, sapiëtia finem
Exuperant, superant thura, precesq; Deos.
Audiit, obstupuitq; hospes: factusq; viator
Vidit: & haud oculis credidit ipse suis.

INSCRIPTIONES PARISIENSES.

In Palatio Parlamenti.

Ad dextram.

Facite judicium & justitiam. quód si non audieritis hoc, in me juravi, dicit Dominus, quód deserta erit domus hæc. Jerem. 22.

Ad sinistram.

Videte Judices quid faciatis. non enim hominis exercetis judicium, sed Dei. & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. 2. Paralip. 19.

In S. Marcelli.

Hic jacet Magister Petrus Lombardus, Parisiensis Episcopus, qui composuit librum sententiarum, glossas Psalmorum & Epistolarum. cujus obitus dies est XIII. Kal. Augusti. mortuus est anno 1164.

In

IN S. VICTORIS.

Discite mortales sortis memoranda suprema
Fata, quibus mors est indita, vita brevis.
Nobile Pontificum decus hac Reginaldus in urna
Occubat exilii contumulatus humo.
Parisia quondam præsul celeberrimus urbis,
Fatali ad superos sorte vocatus obit.
Quisquis ades, sic te fragilem memorare viator.
Mors est certa, brevis gloria, vita nihil.
Obiit anno supra M. CC. LVIII.

In armamentario regio.

Ætna hæc Henrico Vulcania tela ministrat,
Tela Giganteos debellatura furores.

IN S. MATURINI.

JOH. DE SACROBOSCO.

De Sacrobosco qui computista Johannes
Tempora discrevit, jacet hic á tempore raptus.
Tempore qui sequeris, memor esto quód morieris.
Si miser es, plora: miserans pro me precor ora.

IBIDEM ROBERTI GANGUINI Historici.

Illustris Gallo nituit qui splendor in orbe,
Hic sua Robertus membra Gaguinus habet.
Si tanto non sæva viro Libitina pepercit;
Quid speret docti cætera turba chori?
Anno 1501. 22. Maji.

IN S. VICTORIS; PETRI Comestoris.

Petrus eram, quem petra tegit: dictusq; Comestor.
Nunc comedor. vivus docui, nec cesso docere
Mortuus, ut dicat, qui me videt incineratum,
Quod sumus, iste fuit, erimus quandoq; quod hic est.

IBIDEM.

M. ADÆ DE S. VICTORE.

Hæres peccati, naturâ filius iræ,
Exiliiq; reus, naſcitur omnis homo.
Unde ſuperbit homo? cujus conceptio culpa;
Naſci pœna; labor vita; neceſſe mori eſt.
Vana ſalus hominis, vanus decor, omnia vana,
Inter vana nihil vanius eſt homine:
Dum magis alludit præſentis gloria vitæ;
Præterit, imó fugit: non fugit, imó perit.
Poſt hominem vermis, poſt vermem fit cinis, heu heu
Sic redit in cinerem gloria noſtra ſimul.
Hîc ego qui jaceo miſer & miſerabilis Adam,
Unam pro ſummo munere poſco precem.
Peccavi fateor, veniam peto, parce fatenti,
Parce pater: fratres parcite: parce Deus.

IN SUMMO TEMPLO.

Quem cathedræ decoravit honor, quem ſanguis avitus,
Quem morum gravitas, hîc jacet Odo ſitus.
Præſulis hujus erat, quod habent hæc tempora raró,
Mens ſincera: manus munda: pudica caro.
Lenibus hic lenis: toga nudis: victus egenis:
Vita fuit juvenis clara, probata ſenis.
Bis ſexcenteno Chriſti quartoq; bis anno
Tredecimo Julii transiit Odo die.

IN FRANCISCANORUM.

ÆGIDII MÆSTRE, PRIMI IN SUPREMO ſenatu, æquitatis religioſiſſimi & publici amantiſſimi, epitaphium.

Præſes eram: præſes morior: poſt funera præſes
Permaneo, recti fama perire nequit.
Anté loco pelli, vitæq; pericla ſubire,
Quám ſacra mutari patria juſtinui.
Nil regem offendi, nil legem, nil quoq; mentem,
Utq; priùs conſtans, integer emorior.

Vive

Vive meo exemplo quisquis succedis honori,
Mortuus & vivus tum bene clarus eris.

In templo S. Augustini ad Sequanam sacellum ædificavit Philippus Comineus Historicus; ubi ipsius & uxoris imago expressa: & ibidem est epitaphium D. Johannæ de Cominis filiæ Philippi Cominei.

Quingentis annis, bis septem & mille peractis
In lucem quartam post idus Martius ibat,
Octavamq; parens Phœbus properabat ad horam,
Comminia occubuit generosa á stirpe Johanna,
Penthebriæ Comitis Britanni sponsa Renati,
Atq; Argentonii domino prognata Philippo,
Chambeaq; Helena, mens hîc in pace quiescat.

In Coelestinorum.

Hoc tecum illustris Pario Ludovice sepulchro,
Juncta Valentinæ conjugis ossa cubant.
Emerito Insubris tibi jura ducalia sceptri,
Tradita legitimæ præmia dotis erant.
Subjacet & Carolo clausus cum fratre Philippus,
Inclyta jam vestri pignora bina tori.
Magnificus Carolo nascens Ludovicus ab alto
Hæc posuit larga busta suprema manu.
Sforciadem indigna pepulit de sede tyrannum,
Et sua qui Siculas sub juga misit opes.
Ut tantos decorata duces Aurelia jactat:
Gallica sic illo sceptra tenente tument.

Quis tumulum posuit? regum rex maximus ille
Filius, & regum rex Ludovicus honor.
Quando? post Ligurem, Insubrem, Siculumq; triumphũ,
Post captos reges, Sforciadasq; duces.
Quis jacet hîc? magni heroës, Ludovicus & uxor
Alma Valentina, regia progenies.
Aureli proceres, Carolus cum fratre Philippo.
Ille avus, illa avia est: hic pater, hic patruus.

Qui genus? á Francis ſtudium quod? regna tueri,
Bellaq; ſanguinea ſollicitare manu.
Qua mulier? Ducis Inſubris pulcherrima prole
Ius Mediolani ſceptráq; dote dedit.
Vivere debuerant, propter facta inclyta, ſemper!
Debuerant: ſed mors impia, cuncta rapit.
Hos ergo rapuit proceres? non, corpore tantúm.
Semper erunt anima, gloria ſemper erit.

Ludovicus Rex XII. quieti perpetuę, & memorię perenni, illuſtriſſimorum Principum Ludovici avi, Valentinæ avię, Caroli patris, piiſſimorum pientiſſimorumque parentum, ac Philippi patrui. Feliciter M. D. III.

SUB PONTE SEQUANÆ.

Jucundus geminos poſuit tibi Sequana pontes,
Hunc tu jure potes dicere pontificem.

IN LAUDEM PARISIORUM.

ARCHITENII EPIGRAMMA.

Pariſius Cyrrhea viris, Chryſea metallis:
Græca libris: Inda ſtudiis: Romana poëtis:
Attica terra ſophis: mundi roſa: balſamus orbis:
Sidonis ornatu: ſua menſis, & ſua potu.
Dives agris, fœcunda mero, manſueta colonis,
Meſſe ferax, inoperta rubis, nemoroſa racemis:
Plena feris: piſcoſa lacu: volucroſa fluentis:
Munda domo: fortis domino: pia regibus: athra
Dulcis, amœna ſitu. bona qualibet, omne venuſtum,
Omne bonum, ſi ſola bonis fortuna faveret.

IN TEMPLO BENVIENTE.

Eſt commune mori, nulli mors parcit honori.
Debilis & fortis veniunt ad limina mortis.

APUD

APUD FRANCISCANOS IN SACELLO
ambulationis orientalis, in tabula ænea
litteris aureis:

EPITAPHIUM DN. NICHOLAI DE LYRA.

Defunctus loquitur.

Ne me ignores properans dum plurima lustras,
Qui sum, ex his nosces quæ pede busta teris.
Lyra brevis vicus Normanna in gente celebris
Prima mihi vitæ janua sorsq; fuit.
Nulla diu mundi tenuit vesania natum,
Protinus evasi relligione minor.
Vernolium admisit currentem ad sacra tyronem,
Et Christi docuit me domitare jugo.
Ut tamen ad mores legis documenta beatæ
Addita planaret simplicitatis iter,
Artibus ipse piis & Christi dogmate fretus
Parisii excepi sacra magisterii.
Et mox quæq; vetus, & quæq; recentior affert
Pagina, Christicolis splendidiora dedi,
Littera nempe nimis quæ quondam obscura jacebat,
Omnis per partes clara labore meo est.
Et quos sæpe locos occîdens littera tradit,
Hos typicé humanis actibus exhibui.
Extat in Hebræos firmissima condita turris
Nostrum opus, haud ullis comminuenda petris.
Insuper & nostri releguntur sæpe libelli,
Quos in sensa Petri quatuor arte tuli.
Est quoq; Colibetis non irrita gloria nostris,
In qua tu justus arbiter esse potes.
Non tulit hæc ultrá vitam proferre merendo
Omnipotens dominus, quo sumus & morimur.
A cruce tu cujus numeres si mille trecentos,
Adjungens vná quattuor & decadas,
Illo me rapuit mors omnibus æmula cyclo,
Cúm micat Octobris terna vigena dies.
I jam quo tendis Nicholai illectus amore,
Quo doctore tibi lex reserata patet.

In Cosmi.

Nobiliſſimo, piiſſimo, omniq́ue diſciplinarum genere cumulatiſſimo, D. Claudio Eſpencæo, Theologorum hujus ſeculi facilé principi, paterno quidem genere ex clariſſima Eſpencæorum, materno illuſtri Urſinorum familia orto, divini verbi præconi celeberrimo, pauperum patri benigniſſimo. qui cúm per XLVI. annos continuos in hac prima omnium Academia literis humanioribus, Philoſophicis & divinis operā cum omnium incredibili admiratione navaſſet; á Rege Chriſtianiſſimo Franciſco I. Melodunum, ab Henrico II. Bononiam, á Franciſco II. Aureliam, á Carolo IX. Poſſiacū, inter religionis primos hujus auguſtiſſimi regni proceres, partim legatus, partim orator, de re Chriſtiana ſanctiſſimé doctiſſimeq́ue diſceptaſſet; permultos in ſacroſanctam ſcripturam commentarios edidiſſet; tandē graviſſimo calculi morbo diu multumq́; vexatus, cum omnium principum ſenatorum, nobilium plebeiorumq́; luctu ac deſiderio obiit, anno ætatis LX. die V. Octobris, M.CCCC.LXXI.

Guido Gaſſarus Flaminius Prior ſanctę Fidis apud Columerios, ejusdem amanuenſis, & per annos XVII. negotiorum geſtor devinctiſſimus, hanc effigiem cum ſuo elogio piæ domini chariſſimi & benigniſſimi memoriæ erigebat, & mœrens ponebat, anno M.CCCC.LXXII. die ultima Januarii.

Apud Franciscanos in *choro interiori.*

Guilielmo Frölich, nob. ac ſtren. equiti: prudenti Solotuренſ. civitatis Senatori: legionum Hel. trib. ob eximias animi virtutes, resq́; præclaré geſtas civibus univerſæque patriæ acceptiſſ. qui cúm XI. annos ſtipēdiis regiis magna animi alacritate militaſſet: ter ſignis collatis conflixiſſet: ſuos veteranos magno discrimine (nationi alioqui fortiſſ. inſuetum) per æquor in Italiam trajeciſſet: tandem ſexagenarius, cui quieſcendum erat, ut eâdem perpetua animi conſtantiâ erga Francorum Reges perſiſteret, præfectus XXII. ſignis poſtremó in Gall. rediit, ubi Lutetiæ fatis cō-

ceſſit.

cessit. Ejus cives & cognati, (quorum é numero patruelis ipsius Capitan. Guillielmus Tuggnierus, cogno. Frölich, primus fuit) gratiss. pientiss. animis funus mortemque prosecuti: hoc monumentum posteritati, in memoriam heroicæ virtutis, mœsti ac mœrētes pos. anno M. D. LXII. die IV. mens. Decemb.

IBIDEM IN MURO TEMPLI *septentrionali.*

Reginaldo Dangernero equiti fortiss. cúm strenuam operam in omnibus bellis Carolo VIII. & Ludovico XII. regibus Gallis navasset: & ad senium usque sanctè & prudenter, cum summa apud omnes gratia, vixisset: ex labore ad quietem, ex brevi ævo ad perpetuum, cum summo tamen omnium, præsertim nobilium, mœrore erepto: Vincentius F. memor patrem æqua cum reliquis mortalibus lege natum, ut omnibus horis mori posset, memoriam, non luctu, aut ægritudine, sed pietate ut coleret, paterni beneficii ergo posuit. Obiit M. D. XXX.

IBIDEM PROPE JANUAM *occidentalem.*

M. ANT. Gallerato nobili viro, Cremona patria, equitum præfecto, Mauretæ ab incursoribus (dum Lugdunū Christianissimi Caroli noni Francorum regis jussu, belli commodo per expeditos equos peteret) ex insidiis trucidato, M. Ant. Martinengus de Columna, Villæ claræ Comes, sub cujus ductu tunc stipendia fecerat, amico militique dilecto mœrens posuit, ne maximæ inter eos benevolentiæ memoria aboleretur. Vixit annos XXVI. Obiit tertio nonas Aprilis, anno á partu virginis M. D. LXVIII.

IBIDEM IN MURO MERIDIONALI.

Hîc situs est M. Ant. Herculanus, Comes, in clariss. Italiæ urbe Bononia ex Ill. Herculanorum familia ortus, ac sua ipsius virtute & probitate non minús quám generis nobilitate clarus, qui huc peregré profectus, ut diversis regionibus, ac variis hominum moribus inspectis, majo-

rem ſibi rerum uſum experientiamq́; compararet; in medio vitæ curſu immatura morte præreptus fuit, magno ſanè omnibus, quotquot illum norant, deſiderio ſui relicto. Vixit ann. XXXVI. menſ. XI. Obiit ann. M. D. LII. menſe Jan. die XV.

IN S. JACOBI POST SUMMUM *altare*.

DEO IMMORT. OPT. MAX. ET CHRIſto Jeſu hominum ſalvatori ſacrum.

Joanni Fernelio Ambiavenſi Henrici II. Galliarum Regis Conſiliario, & primo medico nobiliſſimo atque optimo, reconditarum & penitus abditarum rerum ſcrutatori & explicatori ſubtiliſſimo, multorū ſalutarium medicamentorum inventori, veræ germanæq́; medicinæ reſtitutori: ſummo ingenio, exquiſitaq́ue doctrina mathematico, omni in genere Philoſophiæ claro, omnibusque ingenuis artibus inſtructo, temperatiſſimis ſanctiſſimisque moribus prædito, ſocero ſuo pientiſſimo, Philibertus Bercotius ſupplicum libellorū in regia magiſter, magniq́ue regis CONSILII præſes, affinitate gener, pietate filius, mœrens poſuit, anno á ſalute mortalibus reſtituta M. D. LVIII. Obiit XXVI. April. ann. M. D. LVIII. Vixit ann. LII.

APUD AUGUSTINIANOS IN *ſacello S. Joannis & Jacobi.*

DEO Optimo Maximo, & diuturnæ memoriæ Jani-Jacobi Memnii, multis præclaris muneribus honoribusque perfuncti, Juriſconſulti anteceſſoris Tolozę, proprætoris urbani Lutetiæ Pariſiorum, libellorum ſupplicum in regia magiſtri, & regii in conſilio ſanctiore Conſiliarii, liberi mœſtiſſimi poſuerunt. Natus eſt Rupeforti in Aquitania. Obiit Lutetiæ Pariſiorum, anno á virginis partu CIↃ IↃ LXIX. VIII. Kal. Novemb. Vixit annos LXXIX. menſes V. dies XIII.

Æternúm placida compoſtus pace quieſcat.

IN JA-

IN JACOBI ANTE CHORUM.

STEPHANO GOVARDI AB AMERONgen Ultrajectensi, Joan. ab Amerongen Fr. mœstus posuit.

Quisquis ad hoc venies non grandi ætate sepulchrum,
Disce; malo poteris doctior esse meo.
Formæ nemo suæ confidat, nemo juventæ;
Lanificas nequeunt ista movere DEAS.
Nec juvat immensis didicisse laboribus artes,
Mors etiam doctis injicit atra manus.
Mi nihil illorum facilis natura negarat,
Et tamen obscuras cogor inire vias.
Securus miser exitii, ignarusq; futuri,
Vive memor leti: mors inopina venit.

Obiit Lutetiæ, ann. ætatis XXIIII. XIX. Novemb. ann. M.D.LX.

IN TEMPLO B. VIRGINIS.

Paulus Emilius Veronensis, hujus ecclesiæ Canonicus, qui præter eximiam vitæ sanctitatem quantâ quoq; doctrinâ præstiterit, index atque testis est historia de rebus gestis Francorum, posteris ab eodem prodita. Obiit anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono, die quinta mensis Julii.

Τῷ χριστῷ ἁπάντων σωτῆρι.

dicatum

Piis dormientium animis.

Nobili viro Joanni Volantio, quondam Neustriæ quæstori diligentissimo, regiæque aulæ á secretis fidelissimo, conjugi suo charissimo, Izabella Bruna, in certam resurrectionis spem fieri curavit 1556.

QUI LOQUITUR DORMIT.

Vitam transegi perfunctus honoribus amplis,
Displicui nulli, jam tibi munde vale.
Nunc cinis; at vivam, judex cúm venerit æquus
Omneis ante suum sistere judicium.

Joanni Volantio patri chariſſ. mœrens
filius fecit.
Obiit 1550. 13. Cal. Septembris.

Ludovicus Gayant, probus ſenator,
Quem nulla flexit unquam cupiditas,
Durum laborem qui reſpuit nunquam,
Qui populo vixit magis quám ſibi,
Sepultus iſto jacet in ſepulchro.
Idem impiger luſtra novem vixit,
Sed ter quinq; luſtra natus deceſſit.

Perpetuæ memoriæ Bernardus Fortia
Senator defuncti gener poſuit. In-
teriit die prima Octob. 1565.

In Coemiterio.

ΔΕΟΣ ΕΝ ΕΛΠΙΔΙ.

Jo. Cognetii V. impr. ſummæ piet. ac relig. agendis in cur. pupill. vid. & paup. cauſis patroni clariſſ. & frequentiſſ. Radeg. item Ferrutiæ integerr. matris f. ac omnibus mulieris fortis dot. inſignitæ ciner. Angel. & Guill. fratres, tam ſanctis parẽtibus Deo grati & glorii, non admodum exquiſito opere hunc tum. poſ. Virum uxor obiens antevertit XVI. Cal. Febr. anno á reſtit. ſal. M. D. XLII. cujus obitu ſol. matr. totus ille Chriſtum ſpirans, Chriſto inſpirante & ultro vocante, in ſacerdotum ordinem cooptatus eſt, non ut ſacerdotiorum reditu augeretur, quæ ſæpius oblata recuſavit; ſed ut ſacræ illius victimæ jugi & perpetua oblat. Dei ſpiritu & gratia auctior fieret. Isquoque, ut in otio nec otioſus, nec ſibi vixit, excerpta multa ex utr. Teſtam. Patrumq; comment. in unum vol. digeſſit: cogitans, ut dicere ſolebat, ſacerdotum, qui inſtructam biblioth. non haberent, tantillo divinarum ſentent. faſce levare inopiam. Quæ omnia ne gratiæ potius & aſſentat. quám veritati tributa, viator, putes, teſtem omn. illius temp. ordinum memoriam appellamus. Obiit Jo. Cog. an. á partu Virg. M. D. XLVIII. ætatis LXXXII.

CRAINTE EN ESPOIR.

JACOBI

JACOBI CAGELLI REGIS ADVOcati digniſſimi.

Quid tam frequentes huc amici curritis?
A me quid expectatis hiantes ampliùs?
Non ſat loquuntur, clamitantq; marmora?
Nam quantus erat Cagellus, hoc tumulo jacens,
Non poſſum, Apollo non poteſt, non deniq;
Cagellus ipſe, ſi reſurgat, dicere.
Quanto ingenii ſplendore, quanta argutia,
Sapientia, ſcientia, eloquentia.
Quám magno animo, quám libero, integro, probo.
Quotquot fuerunt, temporibus omnes ſuis,
Si non ſuperavit, continuit certé pares.

Hæc vix proferebat Antonius Lapiteus amicum illum lugens, qui deceſſerat an. á ſervatis hominibus 1541. Aug. Cal. 13. Optate illi quietem perpetuã.

ALIUD.

GENESIO de Luc. cauſarũ in ſenatu procuratori peritiſſ. continẽtiſſ. & ſummæ fidei: inprimis & Marg. Fourquaut uxori ejus caſtiſſ. piiſſ. q. quorũ impenſa hoc ſacellum primùm inſtauratum, deinde omni inſtrumento ad rem divinam neceſſario exornatum, poſtremó Jeſu Chriſti ſervatoris memoriæ ex eorum voto conſecratum eſt: quiq; ita in eo ſibi, liberis, poſterisq; ſuis ſedes, ſepulcrumque comparavere: Jacobus & Johannes eorum filii, teſtamentorumq; curatores, parẽtibus optimis eorumq; memoriæ faciendum ponendumq; curarunt. Vixit ille an. LXVIII. mortem obiit VI. non. Mart. an. á ſalute condita, M. D. XXIV. illa annum agens LIX. exceſſit é vita III. Cal. April. an. M. D. XXXV. poſt feſtum reſurrectionis Chriſti. Perpetua in pace quieſcant.

ALIUD.

Optimæ ſpei juveni Claudio-Valẽti Peutinger, P. Aug. D. Claudii J. C. filio, clariſſ. viri D. Chunradi J. C. nepoti,

qui ſtudiorum cauſa hîc degens, immaturé moritur: mater filio dulciſſ. mœrens P. Vixit annos XV. menſ. VI. dies XXV. Obiit anno Domini M. D. LIIII. die VI. Novembris.

ALIUD.

HUGONI Myetæo, natalium ſplendore, & Jurisprudentia clariſſ. viro ſuo, Radegundis Molinia, uxor pientiſſ. noviſſimum hoc fidei pietatisq; monumentum poſuit, ut is ob oculos poſitus, liberis ſuis primùm memoriã ſui refricet, deinde conſanguineis, affinibus & amicis animam commendet: cæteros verò officii admoneat, quando eos ſors eadem manet, tales in ſe, ubi deceſſerint, vivos; quales, dum viverent, in mortuos fuerint, experturos. Obiit V. Idus Decemb. M. D. XXXIV. hîc in familiari Myetææ gentis ſepulchro conditus.

IN TEMPLO S. OPPORTUNI.

FRANCISCI CONNANI.

Uxor mœſta ſui dum cernit buſta mariti,
Tunc ternos amplexa, gemens, in funere, natos,
Quid me linquis, ait, miſeroq; dolore ſepultam
Deſeris ô conjunx? Ah ſi nunc cara jugalis
Te tenet ulla tori; lacrymis gemituq; tuorum
Flecteris, hanc animam, quæſo, rape, namq; peremto
Te ſupereſſe piget, nulla fruar antè quiete,
Quám mihi fatales diſſolvant ſtamina Parcæ.
Iamq; dolore amens tabeſco, & tempora vitæ
Longa meæ nec erunt: primisq; extinguar in annis.
Mors mihi grata foret, poſitura & morte laberes.
Et nos una duos tandem teget urna: meusq;
Spiritus æterno tecum potietur amore.

JA. D. TRO. AMIC. PIENTISS. POSUIT
Calend. Mart. M. D. LI.

Mort eſt le corps de ceſte ame vivante,
Qui ne reçoit maintenant que plaiſir:
Et icy bas moy pouure languiſſante

Ne viz que en dueil, douleur, & deſplaiſir,
Que doib je donq deſormais pluis choiſir
Pour mon repos, & future allegence,
Si non la mort? de laquelle á loyſir
L'heure i' attens, qui toutes recompenſe.

IN S. SEVERINI.

REVERTATUR PULVIS IN TERRAM SUAM, ET SPIRITUS AD DEUM QUI FECIT ILLUM.

Expecto donec veniat immutatio mea.

Dulciſſ. conjugi, matriqúe pientiſſ. Mariæ Curtinæ Pomponiæ, in medio ætatis flore á muſto partu ad mœſtum ſuis portum ereptæ. cujus cineres ſex filiis ſub hoc famil. tumulo, maribus 4. feminis 2. obvolvuntur chariſſ. marit. Petr. Craſſinus Ablonius Sena. Pariſ. ac curta ſupellex tenelli duo liberi, maternæ relliquiæ mas & fœmina ſuperſtites tantiſper, dum hîc in ſpe fata ſummiſſi opperiuntur. piet. & hon. ergo poſuere. Obiit 4. Calend. Septemb. anno 1550. ætatis 26.

Tu precare viator his quietem.

Bonum eſt in ſilentiõ præſtolari ſalutare Dei.

IBIDEM.

Nobilitate generis Comitum orientalis Phriſiæ & animi corporisque dotibus præclaro Dn. Ennoni de Embda civitatis Embdenſis Præpoſito ac electo Satrapę, propter certam hujus corporis reſurrecturi ſpem, ac in amoris ſinceri teſtimonium, avia materque pia unico ſuo filio, qui hîc ex ſtudiorum curſu, patrię ac amicis omnibus magno cum luctu, anno ætatis ſuæ XXIII. morte præreptus eſt, hoc monumentum ſtatuerunt. Anno Domini 1545. 18. Julii.

IBIDEM

Quid fuerim, noſtra hæc recubans commonſtrat imago.
Quid ſim, quam teneo, putrida calva docet.

Peccati hanc nobis pœnam ingenuere parentes,
Hujus sed Christus solvere vincla venit.
Nunc mihi viventi spes, qui fuit & morienti,
Æternum corpus, quale habet ille, dabit.
Peccati, fidei, Christiq; hinc perspice vires,
Ut te mortifices vivificetq; Deus.

ALIUD NOBILIS ANGLI.

Consors ô Turnebe tori dulcissime mœsti,
Doctrinæ columen Palladis atq; decus:
Ampla Deus dederat naturæ tempora vitæ,
Esses ut toto clarus in orbe senex;
Rumpuntur cita fata mihi, spes cùm indolis esses,
Non pejore loco nomina nostra fore.
Oceano natale solum licet Anglia distet;
Nos rogus unus habet, junxerat una fides.
Lumen & accessit patris de stemmate nobis,
(Imperii Anglorum namq; senator erat:)
Ut vultum prater gravitas, corpusq; venustas
Vestierat, mentem docta Minerva meam:
Sic Turnebe mihi summo ducetur honori
Sublato properé, te comitem esse rogi.

Ætas ipsius.

De semisse, triente annos, quadranteq; subduc:
Octavas adhibe tres: ego binus eram.

Annus, mensis & dies obitus.

Si quatuor mediata cubes cubicé: duo dupla,
Si quadrequadres, sursolidesq; tria:
Si noctes anniq; dies adjunxeris: horas
Hebdomadæ abstuleris, bis quatuorq; simul:
A Christo dabitur nato sic funeris annus;
Sed mensem referent hi numeri, atq; diem:
Per monadem superante diem mense: actus in unum
Cum quadrante triens, sesquipla quinq; creat.

Jacobus Lecheus Anglus, nobili adolescenti, amico chariss. posuit.

DEO

DEO OPT. MAX. SACRUM.

Epitaphium Joannis Rayſii Patricii Francofurtenſis ad Mœnum.

Heu nimiùm propera præreptus morte Joannes
Rayſius hoc tumulo conditur exanimis.
Germanus patriâ, Rheni prognatus ab oris,
Francforti patrio ſtemmate clarus erat.
Non laus ingenii, non virtus defuit illi,
Non conſtans veræ religionis amor.
Et jam ſpes patriæ non parva, ſed ultima ſtirpis,
Ni cita veniſſet mors, erat ille ſuæ.
Ergo bonos tu quisquis amas, hunc plange viator:
Et velut ille optat te bene poſſe mori.

I. R.

Obiit anno ſalutis M. D. L. die III. Auguſti, ætatis verò ſuæ 20.

ALIUD.

Vir pietate gravis, veterum virtute probatus,
Cujus fatali nomen honore viget.
Ordine Patricio quem Francia terra coronat,
Noricus & ſapiens ille ſenator erat.
Miſſus ad eximium Regem, regnoq; potentem,
Pariſiis vitæ fata ſuprema ſubit.
Hujus in hoc placidè requieſcunt oſſa ſepulcro,
Spiritus atherei contigit aſtra poli.

Obiit vir præſtans Sebaſt. Futerer. Anno M.D. LX. die XXVII. Julii.

CARTHUSII.

Hanc rogo, quisquis ades, non admireris eremum,
Nec dicas: hæc ſunt tecta ſuperba nimis.
Regia ſunt etenim viridis fundamina vallis,
Francorum jecit qua Lodoicus honos.
Rex primùm inſtituit, regum rex auxit, & auget,
Servabitq; ſuam tempus in omne domum.

M. Richardi de S. Victore.

Nil tibi Parca ferox nocuit, quæ ſtamina parvo
Tempore tracta gravi rupit acerva manu.
Plurima namq; tui ſuperant monumenta laboris,
Qui tibi perpetuum ſint paritura decus.
Segniter ut lento ſceleratas mors petit ades;
Sic propero nimis it ſub pia tecta gradu.

Alibi.

Dives opum Guido, formæ, bonitatis & artis
Ditior, hocq; magis dives honoris erat.
Plura darent ſuperi, niſi fatum plura negaret.
Quó majora darent, transiit ad ſuperos.

Item.

Alberto Pio de Sabaudia, Carpenſium Principi, Franciſci Regis fortunam ſequuto, quem prudentia clariſſimum reddidit; doctrina fecit immortalem, & vera pietas cœlo inſeruit. Vix. Ann. 55. hærr. mœſtiſſ. P. P. 1535.

In sacello ædis Coelestinorum, quod vocant Ducum Aurelianenſium.

Adſta viator, non leve eſt precium mora.
Hîc grande parvo cor duplex jacet loco.
Regis Ducisq;, Regis Henrici Ducis
Mommorancii Annæ, per gradus qui ſingulos
Ad militaris ordinis faſtigium
Pervenit, & res maximas ſub maximis
Domi foriſq; Regibus geſſit tribus,
Franciſco & Henrico, ultimóq; Carolo.
Sed præcipua quo ſingularis & fides
Inter Ducemq; Regem ac Henricum foret
Teſtata; corda juſſit amborum ſimul
Rex ipſe poni pignus haud dubitabile,
Quód juncta eorum vita perpetuó fuit,
Hîc juncta quorum mors habet vitalia.

De eodem

De eodem Gallicé ibidem.

Cy dessoubs gist un coeur plein de vaillance,
Un coeur d' honneur, un coeur qui tout scavoit,
Coeur de vertu, qui mille coeurs auoit.
Coeur de trois Roys, & de toute la France:
Cy gist ce coeur, qui fut nostre asseurance.
Coeur qui le coeur de justice scavoit,
Coeur qui le ciel honnora de s' enfance.
Coeur non jamais ny trop haut ny remis,
Le coeur des siens, l' effroy des ennemis.
Coeur qui fut coeur du Roy Henry son maistre.
Roy qui vouluit qu' un sepulcre commun
Les enfermast apres leurs mort, pour estre,
Comme en vivant, deulx mesmes coeur en un.

IBIDEM.

IN ANGULO AD PARIETEM.

D. O. M S.

Siste parum & audi viator. In Anna Duce Mommorancio tanta fuit militaris scientia, & in tractādis ac explicandis negociis vigilantia, ut paulatim, tanquam per scalarū gradus virtutis ergó ascensum sibi ad honoris altissimum gradum paraverit: quem, dum vixit, tenuit honorificentissimé, cum Henrici II. Regis approbatione maxima. qui dum ipsam quam amplissimā á Rege Franco Patre consecutus erat Annas dignitatem, augere si potuisset, cogitabat, ut incomparabilē ac pæné inauditum suum erga clariss. virum amorem declararet. Eum etsi pleriq; principes viri imminuere quibus poterant artificiis conarentur; augebat tamē obtrectatio amorem, ut nihil penitus de Jure publico aut privato statueret, quod Annæ nō probaretur, ut jam unum animum in duobus corporibus facilé cernamus. Quę animorum & voluntatum firma conjunctio ut posteris monumento innotescceret memorabili; Henricus amborum corda in eadem jacere æde voluit. Igitur consentientibus Carolo IX. & Regina matre ejus, lectissima fœmina, Magdalena conjunx, & Franci filius piiss. mœrentes PP.

HENRICI II. CORDI S.

Pyramidos hujus si quis mysteria gliscit
Nosse, sub ista suo cor pede Regis habet.
Virgineos habet hæc triplici sub imagine vultus,
Ac Charites trinas signat imago triplex.
Prima fidem proprié signat, spem rité secunda,
Tertia dilectam denotat esse Charin.
Quas rex Hinricus miro possedit amore,
Has veluti sponsas notus habebat amans;
Firma Fides Regis, Spes certa, Charisq; perennis,
Nullis temporibus deseruisse virum.
Hinc fit ut admixtas cernamus jungere dextras,
Quód nusquam fuerit Rex pius absq; tribus.
Jure manus igitur conjunctas semper habentes
Absq; tribus scandit nullus ad astra, docent.
Carminis istius lectorem quemq; monebo,
Hoc Regina suum cor cupit esse loco,
Dum vitæ Lachesis præsentes finiet annos,
Et fuerit propria morte secuta virum;
Ut quorum fuerit cor unum atq; una voluntas,
Dum simul amborum mutua vita foret,
Corporibusq; suis unum vivendo cubile
Ut fuit, & vivis spiritus unus erat:
Sic quoq; mors properans minimé divisit utrumq;,
Ut fuit illorum sic erit unus amor.
Istius ergó rei sit pyramis optima testis,
Quæ simul amborum corda ligata tenet.

Distichon.

Hic sua rex, regina simul statuêre reponi
Corda, locus veri pignus amoris erit.

IN EODEM SACELLO.

Generosissimi CORDIS, illustrissimique ANNÆ primi Mommoranciorum Ducis, militum Galliæ præfecti, & Franciæ Paris,

TUMULUS.

Quem tot magnificis celebrem Bellona triumphis
Reddidit

Reddidit Heroëm Mavorte & Marte calentem:
Quem tot virtutum titulis, senioq; verendum,
Mente fideq; etiam dederat sors provida seclis:
Quem tot bellorum casus, tot signa trophæis
Ampla, tot exstructis spoliis hostilibus arcus,
Tot currus, aquilæ, monumentaq; maxima rerum
Victorem referunt extremos solis ad ortus.
Quem ceu Scipiadem Reges timuere Ducesq;,
Dum patriæ multos peperit cum laude triumphos:
Quem ceu Pompejum demissis constat ab armis
Civilem petiisse togam, potiora quietis
Armis dona ratum, portum spirantibus undis.
Non cedens fato appensis ad carbasa remis.
Annas magnanimus Dux Momorancius heros
Occubuit, dum persequitur Regisq; Deûmq;
Hostes, Parisiæ constructoq; agmine tentant
Urbis pinnatos furibundi invadere muros.
Sic pro Rege, fide, sic dum pro legibus arma
Ferre parat patriis, libertatemq; tueri;
Consilio senioq; gravis Dux occidit, astris
Spiritus infertur, Pario sub marmore corpus
Conditur exculto sacratum nobile busto.
Pixide sceptrigeros queis deservivit in armis
Henricum natumq; Duces, splendentia regna,
Lilia Francorum generoso corde secutus,
Quorum corda sacris bustis auroq; sepulta
Exsuperans, tumulata suis amplectitur ulnis
Cælestina domus, turritam pignore Memphim.
Ergó sit invictus Gallus si transeat hospes,
Regibus æterno cor junctum fœdere Francis.
Longævique Ducis resoluto corpore mentem
Æthereos adiisse lares, nomenq; perenne
Oceanum Boreamq; suis mandasse triumphis.

IN PACE REQUIES.

In pede columnæ.

Conjuncta amborum longum testantur amorem
Ante homines, junctus spiritus ante Deum.

Ludovici Ducis Aurelianensis.

Quis sim, quæ mea sit, si quæris, nosse propago?
Clarior est, quám quód dicier hic sit opus.
Regis ego proles & Regis origine frater,
Regis ego patruus, deniq; Regis avus.
Si rex non fuerim, mirari desine; Regnum
Ante diem veniens mors inopina tulit.

PHILIPPI CHABOTII.

D. O. M. S.

An viventi Heroï assidua virtute invidiam; mortuo verò continua sospitis VIRT. MEM. mortem propemodum ipsam superare, altiús, hospes, ac perēnius decus siet. Sed quid hoc hîc est, inquis? Utrumq; tibi fortissimi herois Philippi Chabocii Galliarum thalassiarchæ testatum esse, breviús forsan quám fas fuerit, voluerunt manes. Cúm enim ille patrem habens Chabotianâ, matrem Luxemburgicâ stirpe editam; feliciter natus, educatus, excultusq; feliciús, facundia præditus incredibili, Francisco I. Galliarum Regi augustissimo, Domino sua supra modum dilectus, triplici torquatorum equitū torque insignitus, Dux quoq; Gallicorum centū gravioris armaturæ Equitum utriq; in Francia mari occiduo ac Eoo præfectus, in Burgundia, cujus etiam pater dictus est, ac in Transalpina aliquandiu Gallia, quám regalibus copiis solus imperans Regio pæné totam Imperio addixit, Prorex, præliis fortiter depugnatis compositisq; magnanimitate, fœderibus, tot rebus denique terra mariq; domi ac foris bene gestis claruerit, huic potissima fuit tum gloria, tum redivivæ gloriæ celebritas, tantus ipsius virtutisq; Comitis de invidiâ triumphus, ut sacræ instar anchoræ, vel more potius Herculeo, contra fluctus fortunam sisteret, & ex livore laudem ampliaret. Hoc vivus ille. Quod reliquū esse potest, patris reliquiis ut præstaret Filius pientiss. Leonorus Chabotius, magnus Franciæ Archippocomus; indelebile forsitan monumentum P. Satísne? Satis superq; ais. Benè ergó precatus abi, ac virtutem amplexans, invidiam disce, atq; etiam mortem posse despicere. VALE.

Ili-

IBIDEM TIMOLEONTIS COSSÆI
Brisavi Comitis epitaphium tale est.

D. O. M.

Viveret equidem, hospes, si nos boni amarent cœlites, Gallicus, non abs re, nec certo absq; omine, Timoleon. qui quantum genere, nobilitate, meritis ac gloria Corinthium illum alterum Timoleonem superarit; docet Costhium illum alterum Timoleonem superarit; docet Costhiorum cognomen atq; familia. fortissimus glorioſissimusq; tanti herois progenitor heros, Gallorum militum tribunus, ac Transalpinæ Galliæ Prorex, cui nullo modo sese Timodemus cōferat: quin ipsi quoq; adolescenti tam bene merito, cū aurata regii ordinis torque, in quinquaginta gravioris armaturæ equitum turmam, nec non in omnes feré Gallicas veteranorum peditum cohortes datum imperium erat; & simul validissimus decurio, simul & legionum dux animosissimus foret, ipsa etiam, cui sese veluti devoverat, in Deum, regem, religionem ac patriam pietas, rerum demum aliarum quæ singulis rebus sunt comparandæ singulæ, justa, perenniq; memoriæ consecranda commendatio, satis manifestavit. Cúm autem hujus longé dissimilem Timoleonta alterū reddiderit morum austeritas, egregii facinoris quo fratrem tyrannū interemerat, iniqua pœnitētia, longum, cum á bello publicisq; negotiis abstineret, otium, amicorū tamen pro Reipub. salute cōtemtus, virorumq; odium novum affectantium, vel veterem exercentium tyrannidem, ac rerum in Sicilia gnaviter, acriter, paucisq; etiam copiis gestarū celebritas, hunc ducem facilé nostro assimulaverit. quem adhuc adolescentem, tot audacibus ac felicibus gestis incredibilem consecutum gloriam; ac non modó Timoleonta, sed & antiquos alios duces, si vivere licuisset, superaturum, ad Mussidanum tandem glande plumbea peremptum, postquam piissima mater, veluti carum rarumque florem sibi ante diem nefarié averruncatum, propemodum exsternata defleviſſet; ac suum, etiam totiusq; familiæ dolorem publico sæpius luctu recrudescentem diutissimé pertulisset; non jam assiduo mœrore, sed æterno pietatis testimonio, Timoleontis sui memoriam colendam

esse rata, non stelam aliquam brevem, sed hoc ingens illi sempiternumq́; argumentum gratè pienterq́; pos.

Liberalis Deus, seculum funestum, immortalis palma.

GENEROSISSIMI CORDIS, CHRISTIANISSIMI Regis Francisci II. Galliæ Scotiæq́; Regis.

Marmore Mygdonio saxum pilare superbum
Flammiferumq́; ferens nobile stemma Ducis,
Exprimit Heroïs Francisci triste secundi
Cor lethi raptum faucibus ante diem.
Flammea cui meritó servire columna ferendo
Noscitur, igne etenim strinxerat ossa fides.
Hic velut Eoö rutilans carbunculus orbe
Pisteos intacta firma columna fuit.
Sospite quo semper sub tuto umbone quiescès
Galle, trophæa tui principis ampla gerens.
Grandibus ast rabies Stygiis agitata colubris
Infaustâ cœptis obviat illa nece.
Nam Rex accelerans fidei domitare rebellem,
Occidit, extincto corpore celsa petens.
O lugubris hymen, si nunc ô liliger Heros
Deseris orba pio Francica sceptra duce.
Corpore linquis humum, tumulo sociatur amorum
Corde hîc concomitans corda paterna tuo.

In craterem aureum Franc. II.

Aurea secla orbi fato cedente daturus
Inter ego eclipses splendidus exorior.

In vico S. Antonii fons est, cum inscriptione, Anno 1577.

Hanc deduxit aquam duplicem Biragus in usum,
Serviat ut domino, serviat ut populo.
Publica sed quanto privatis commoda, tanto
Præstat amore domus publicus urbis amor.

RENATUS BIRAGUS FRANC. Cancell. publicæ commoditati.

IN

IN CATHARINÆ.

D. O. M. S.

Valentiæ Balbianæ matronæ clariſſ. atque ornatiſſ. cujus anima ſalute & quiete fruitur ſempiterna, corpus Renatus Biragus Franc. Cancell. conjunx. pientiſſ. uxoris benemeritæ memor, hîc condi curavit.

Ob. anno Chriſti 1572. Cal. Jan. Vix annos 34. menſes 6. dies 20.

IN ÆDE MATURINI.

CUJACI,

Balduinus hîc jacet, hoc tecum reputa, & vale. Mortuis vobis, Jurisprudentiam gravis corripiet ſopor.

FRANC. Bald. Jurisc. ob. anno æt. LIII. XI. Novemb. á partu virginis 1573. Papirius Maſſonus Balduini auditor P.

IN TEMPLO S. ANDREÆ.

Uxor cara ſui condit dum mœſta ſepulcrum
Conjugis, & cineri perſolvit juſſa recenti,
Bis ſenos complexa gemens in funere natos:
Noſtri, ait, ô conjunx, qui nunc dulciſſima amoris
Pignora diſceſſu linquis, ſi cura jugalis
Te tenet ulla tori, lacrymis luctuq; tuorum
Flecteris; hanc tecum, ô tecum rape. namq; perempto
Te vitam moror inviſam, & nunc ipſa perenni
Exſternata malo placidâ jam morte quieſcam.

IN COEMITERIO S. SEVERINI.

Anno 1557. die 9. Januarii, nobilitate, pietate ac virtute præſtans vir Georgius á Schönberg Germanus, ex hac mortali vita placidé & quieté diceſſit, anno æt. ſuę XXIX.

Qui modó præluſtri viguit Schönbergius ortu,
Ore decente, piis moribus, ingenio,
Heu jacet indigné viridi ſublatus in ævo,
Dum reditum ad patrios mors negat atra lares.

Quam tamen invicto toleravit robore mentis,
Ad superas certa spe comitante domos.

AD VIATORES.

Eteostichon.

Núnene leves postquam liquit Schönbergius auras,
Cernis, ut extingui gloria nostra solet?

APUD TEMPLARIOS IN *interiori choro.*

Habet interior Gallia longé antiquissimam familiam de Villiers Lisleadam, multis magnisq; rebus gestis clariss. regum amicitiis celeberr. undè suis totiq; Reip. Christianæ prodiit tantis dignus natalibus Philippus, cujus modó viator monumentum cernis, honoris virtutisque ergo positum. hunc eó sua per gradus evexerunt merita, ut concordibus omnium votis in universum suum ordinem obtinens imperiũ, ejus militiæ magister fuerit, quæ Deo Opt. Max. est & Joanni Zachariæ sacra. cellam hanc vivens, ineffabili tetragrammati יהוה nomini, extra quod nulli salus, vir pius ac religiosus dicatam voluit.

PSAL. LXXXIX.

SUPERVENIT MANSUETUDO, ET RAPIEMUR.

ALIUD.

FRATER Philippus Kerleau Trecorensis, ex Salioctanorum promontoriis, in illa spectata Celticæ Galliæ peninsula claris ortus majoribus, ordinum ductore patre, patruo nec dum Diablinthrensi episcopo, Britannorũ quondam ducum magnis de rebus apud exteros principes oratore, ex primariis hospitalis Hierosolymitani militibus unus, nullis non laborum jactatus, quandiu vixit, æstibus, dum molestiarum tandem superatis undique fluctibus, in portu victor frui quiete cœperat temporaria, vocatus est ad æternam. Sic homines casso labore, fortuna caduca, querula vita, terras incolimus.

PSAL.

PSAL. XVII. HABAC. III.

Ponet pedes meos ut cervorum.

Vixit integer ævi annos septuaginta, militavit hospitali duo de quinquaginta octo, præfuit his ædibus ubi obdormivit in Christo decimoquarto Julii, anno redemptionis millesimo, quingentesimo, quadragesimo sexto.

ALIUD.

Frater Robertus Daube, vulgo Rupe Martia cognominatus, in nobili ad Rhodanum oppido Arelate insigni familia natus, per omnes hospitalis militiæ gradus inter suos multa cum laude evectus, ad magnam tandem sancti Ægidii præfecturam devenit in provincia Narbonensi. demum per universam Galliam promagister creatus (honos á magno militum magistro secundus) ad regem publico nomine legatus, rem sæpe tentatam, peneq; desperatam, sua prudentia perfecit. ordini suo scilicet á priscis quondam regibus irrogatorum privilegiorum specialem modó confirmationem, novorumque concessionem ab Henrico nunc rege consecutus. quum veró multis & gravibus exantlatis laboribus ad quietem se temporariam pararet, vocatus est ad æternam. Vixit ann. LXX. militavit ann. XL. præfuit ann. IV. Obiit in legatione Lutetiæ in ædibus templi, die sabbati V. Octobris, anno Christi M. D. XLIX. Commilitones & amici fratres defuncto posuerũt.

Aliud alibi.

Ci gist le seigneur de Manas,
Le quel de sa propre alumelle
Se tua, prenant ses esbats
Sur le corps d' une damoiselle.
Je ne scay apres son trespas
Lá oú son esprit s' en alla.
Ma je scay bien, qu' on ne va pas
En paradis par ce trou lá.

S. DIONYSIACA.

IMperio Carolus Calvus, regnoq; potitus
Gallorum, jacet hac sub brevitate situs.
Plurima cum villis, cum clavo, cumq; corona
Ecclesiæ vivus huic dedit ille bona.
Multis ablatis nobis fuit hic reparator
Sequanii fluvii, Ruolliiq; dator.

Fut Roy de France en l'an. 841. jusqu'á 879.

ALIUD.

Hic octave jaces Francorum Carole Regum,
Cui victa est forti Brittonis ora manu.
Parthenope illustrem tribuit captiva triumphum,
Claraq; Bortronio pugna peracta solo.
Cepit & Henricus, regno depulsus avito,
Bellata auspiciis sceptra Britanna tuis.
O plures longinqua dies si fata dedissent,
Te nullus toto major in orbe foret!

Vix. an. 28. Ob. an. 1498. mensis Apr. d. 7. Opus Laganini Mutinensis.

IN DIVAM LODOICAM REGIS MATREM.

Altera progenie felix Berecynthia mater
Hoc Mausoleo Diva LOYSSA jacet.
Franciscum Regem peperit, sceptroq; dicavit,
Fortuna semper celsior ipsa sua.
Fortiter ille acie pugnans cum sorte maligna,
Seu fati invidia captus ab hoste foret:
Regnum hac tantisper sine turba & murmure rexit,
Armis, consilio, justitia atq; fide.
Dum postliminio regem, natosq; recepit,
Et patrio plaudens restituit solio.
Tandem inter Reges, sedando bella per orbem,
Percussit pacis fœdera perpetuæ.
Ferrea mox domito cesserunt secula Marte,
Atq; atas Francis aurea sic rediit.

Cedite

Cedite quondam Asiæ Reginæ heroides. una hæc
Terrarum imperio digna LOYSSA *fuit.*
At Franciſce doles, quaſi nil de matre ſuperſit?
Deſine. nam extingui gloria tanta nequit.
Officio in matrem ſi quis præcelluit olim,
Primas (vel Momo judice) ſolus habes.
Jamq; pia umbra vale; inferias & juſta ſepulcro
Solvimus: at mente vota precesq; damus.
Mens quippe ætherea Chriſto conregnat in arce
Felix, & ſuperûm veſcitur ambroſia. 1531.

CARLOTÆ VALESIÆ, FRANCISCI FRANcorum Regis natæ maximæ ſepulchrum.

Carlota octavi metas properabat ad anni,
Cúm pro ſe lacrymas liquit & hunc tumulum.
Qua nihil hæc ætas præſtantius indole vidit,
Aut quo penderet certius auxilio.
Tantum quippe inerat ſpecimen virtutis amorq;,
Ut feſſa ingenti ſecla levaſſet ope.
Ecce Deo viſum ſecus eſt: qui limine in ipſo
Irrita, cúm libuit, vota ſpemq; facit.

IBIDEM.

Hoc oriens, illo virtus provecta ſepulchro
Clauditur: hoc nata, matris at illud habet
Oſſa. brevi tantam jacturam fecimus. eheu
Condidimus natam matris in exequiis!
Illa decus, ſpes hæc orbis, duo ſidera quæ nunc
Ante Dei meritis ſedibus ora micant.
Nos noſtro interea premimur, Franciſce, dolore
Atq; tuo. heu nullis rebus habenda fides!

MEMORIÆ ÆTERNÆ

Optimi & mitiſſimi Principis CAROLI NONI, Regis Chriſtianiſſimi: bonarum artium ingeniorumq; fautoris liberaliſſimi, & fidei ac Religionis Catholicæ propugnatoris acerrimi.

Carolus exſpectat loculo Rex nonus in iſto
Supremi clangat dum tuba judicii.

Quem quicunq; bonus novit, bene luxit acerbé
Extinctum, vivum deperiit teneré.
Leni adeó fuit ingenio, leni bonitatẽ,
Aſpectu leni, lenior alloquio.
Aſpera enim cúm ſævirent circúm omnia in illum,
Confluxit lenis quidquid ubiq; fuit.
Nam puer ad ſceptrum venit regale decennis,
Annos quod tredecim dimidiumq; tulit:
Continuis in proditionibus atq; periclis
Belli intoſtini, & jugibus inſidiis,
Majorum dum ſacra pius fortisq; tuetur,
Nec peſſum cultus ire pius patitur.
Hæreticos reprimens cæca ambitione rebelles,
Numinis oblitos, Principis, & patriæ,
Donec præcipiti fato tum deſiit eſſe,
Heu quando potius debuit incipere!
At tu pro tanto veræ pietatis amore,
Quæſo bone, & tanta pro bonitate, Deus,
Hunc facias numerum in cælis augere bonorum,
Et ſedem manes inter habere pios.

ALIUD.

Bis ſeptem totos bellum tibi juge per annos,
Quos Rex vixiſti Carole, pené fuit,
In deſertores patriæ, teloq; rebelles,
Dum pro aris pugnas fortiter, hæreticos.
Sacrilegis quorum é manibus regnum aſſeruiſti,
Ter varia raptum proditione tibi.
Verúm hoc dum retegis ſcelus radicibus imis,
Suppliciisq; reos afficis emeritos;
Ecce nefas, primæ moriens in flore juventæ,
Mané velut cúm ſol deficit exoriens.
Proh dolor, heu ſpes fruſtratas, & vota piorum,
Ante diem curſu deficis in medio.
Juſtitia & pietate tuam fulcire coronam,
Nempe hoc, & duplex illa corona fuit.
Quæ pro mortali ſemper durabile cingit
In cælis capiti nunc diadema tuo.

Vixit

Vixit annos XXIII. menses XI. & dies III. Regnavit annos XIII. menses V. dies XXIIII. Obiit in arce Vicennatum 3. Cal. Junii, anno 1570.

IBIDEM SUB EFFIGIE REGIS Dagoberti.

Fingitur hac specie bonitatis odore refertus
Istius Ecclesiæ fundator Rex Dagobertus,
Justitiæ cultor, cunctis largus dator æris,
Affuit & sceleris ferus ac promptissimus ultor.
Armipotens bellator erat, velutiq; procella
Hostes confregit, populosq; per arma subegit.

CAROLI MARTELLI.

Ille Brabantinus Dux, primus in orbe triumphans,
Malleus in mundo specialis Christicolarum:
Dux dominusq; ducum, regum quoq; Rex fore sperans,
Non vult regnare, sed regibus imperat ipse.

LUGDUNI.

IN ÆDIBUS TYPOGRAPHI CUJUSDAM.

Nolueris tibi quæ fieri fac talia nulli,
Mutua ne referant quæ modò præstiteris.

ALIBI SUB TABULA PICTA.

Miraris dorso cancri consistere mundum?
Desine, sic hodie vertitur orbis iter.

FONTIS IN CASTELLO *Orievieti.*

Quod natura huic munimento inviderat, hoc felix industria adjecit.

ANDEGAVENSIA.

IN MAURICII.

JOAN. OLIVARII EPISCOPI ANDEGAVENSIS.

JAnus Olivarius jaceo hîc ſub marmore duro,
Iſtius ædis eram præſul & immeritus.
Peccavi fateor (quis enim offendiſſe negabit?)
Aſt venia in Chriſto ſpes mihi firma fuit.
Qui noſtrum gratis abſtergit mor:e reatum,
Et nos non noſtris juſtificat meritis.
Hanc ſpem vos fratres precibus votisq; juvate,
Manibus ut noſtris pax ſit & alta quies.
Ac mortis memores bene vivite, & uſq; valete,
Sitq; eadem vobis poſt obitum requies.

IDEM.

Mortuus ecce licet jaceam, vivo tamen, & te
Hoſpes nil ſuper hac morte timere velim.
Ipſe abii, haud obii, nec mors hæc vera putanda eſt;
Parte ego cùm vivam nunc meliore mei.
Mors oculos tantùm premit, & ſopor occupat artus,
Puriùs ac meliùs mens animusq; vigent.
Membra operit tellus, ea donec Chriſtus ab alto
Excitet: hæc ſpes eſt, quæ pia corda fovet.
Hanc precor hoſpes habe: hac diſcas cõtemnere lethum,
Et meliùs vitæ noxia quæq; feres.

ALIUD QUOD IPSE EPISCOP. DE SEIPSO pauló ante mortem ſcripſit.

Inquiris hoſpes qui ſim? non ſum amplius.
Quid agam? putreſco, & vermium greges alo.
Qui fuerim? ineptus Janus Olivarius,
Peccator unus omnium præmaximus.
Unde? urbe natus nobili in Lutetia.
Quo functus olim munere in republica?
Primùm Archiabbas Andium: póſt Pontifex.

Qui

Quæ otia? sacratas paginas evolvere.
Quid hæc in urna superat? ossa & cinis.
At quó animus? hospes contine, scire hoc nefas,
Arcana divûm non decet scrutarier,
Neu quid negotî sit Jovi cum manibus;
Satis superq; nosse erit fidelium
Post fata mentes non mori: at quiescere,
Donec resurgant in priore corpore,
Augustiore quám antea, felicius
Victuræ in ævum cum beatis omnibus.
Jam nosti abundè qui fuerim. at altissimis
Quando in tenebris nequeo te agnoscere;
Saltem hospes unum hoc tete ut agnosas, rogo:
Optesq; veram mortuis pacem omnibus.

ALIUD EJUSDEM.

Pedem viator siste, spectа paululum.
Hæc alta moles, quam vides, non tollitur
Surgítve in auras mortui hujus gratia.
Cujus cadaver jam solutum in pulverem,
Penitusq; adesum vermibus, non indiget
Tot arte sculptis lapidum acervis obrui,
Cui deesse tellus neutiquam poterat levis.
Sed nec sopore in tam profundo sensuum
Pictis Chimæris aut notis inanibus
Afficitur, ut vos vitam adhuc qui vivitis.
Et quantum ad umbras luce cassas attinet,
Tumuli levis jactura; & urna qui caret,
Cælo Joveq; melius tegitur, ut dictitant.
Hic totus ergo tragicus ornatus tibi,
Viator, positus est, & ob causam tuam,
Oculos videlicet huc ut obvertas tuos,
Et has Sophorum perlegas sententias.
Queis subeat animo, temet esse obnoxium
Fato, atq; vitæ tædeat miserrimæ:
Quæ nec horulam quidem obtineat unquam satis
Tutam ac quietam mortis ab insultibus.
Quacunq; spectas scilicet, eó maximé
Spectant, ut hæc memoria mortis te instruat.

Omnia caduca & fluxa, quæ ceu maxima
Stupidi, leves, & inscii tam maximè
Mirantur homines; more magnanimi Herculis,
Ut monstra torva perdomare, ac fortiter
Calcare, flocci, nauci, nihili pendere,
Vitamq; puram heroicamq; ducere,
Et quæ ad supremam illam & perennem gloriam
Jugiter anhelet, quam Deus sperantibus
In se paravit, ut optimus sic maximus:
Collige viator, si hæc sapis, quid didiceris,
Oculisq; quantum debeas hodie tuis.
I jam, precare manibus pacem, & vale.

HUIC PULCHERRIMO SEPULCRO, QUÆ *sequuntur sententiæ imaginibus heroum illorum subscriptæ, adjunctæ leguntur:*

MOYSES.

Pulvis es, & in pulverem reverteris.

PRIAMUS.

Fuimus Troës: fuit Ilium.

ARISTOTELES.

Vita malis plena est, post mortem vera voluptas.

ORATOR.

Qui mortem metuit, Philosophus non est: quippe aliam nescit vitam.

HORATIUS.

Debemur morti nos nostraq;.

OVIDIUS.

Morte carent animæ.

CICERO.

Nemo lugendam censet mortem, quam immortalitas sequitur.

PAULUS.

Bonam vitam mors bona commendat.

DIO-

DIOGENES.

Omnium rerum viciſſitudo.

ÆSCHINES.

Pejus eſt morte, te mori, ſpe mortis.

CATO.

Spem retine: ſpes una hominem nec morte relinquit.

JUDAS MACAB.

Sancta & ſalutaris eſt cogitatio, pro defunctis exorare.

SENECA.

Nemo tam divos habuit faventes, craſtinum ut poſſet ſibi polliceri.

SOLON.

Ante obitum nemo felix.

PLATO.

Tota vita ſapientis, mortis eſt meditatio.

HIOB.

Homo quaſi flos egreditur & conteritur.

PERSIUS.

Vive memor lethi: fugit hora.

JUVENALIS.

Mors ſola fatetur, quanta hominum ſint corpuſcula.

VIRGILIUS.

Ubiq; luctus, ubiq; pavor, & plurima mortis imago.

MUSÆUS.

Mortuus in portu eſt; at nos jactamur in undis.

EURIPIDES.

O quám miſerum eſt neſcire mori!

TRISMEGISTUS.

Boni mortem, ut bonorum omnium maximũ, optant.

DAVID.

Quis eſt homo & non videbit mortem?

PTOLEMÆUS.

Nemo mortem hilaris excipit, nisi qui se ad eam diu composuerit.

ORPHEUS.

Conciliat divos Pietas, & tartara vincit.

BOETIUS.

Mors hominum felix.

HOMERUS.

Mors optanda viris: requies ea certa laborum.

PINDARUS.

Quid est ullus? quid nullus? umbræ somnium homo.

HESIODUS.

Corpus humum, cælos mens, spiritus appetit auras.

PAULUS.

Mihi vivere Christus est: & mori lucrum.

IDEM.

Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

GENEVENSIA.

IN ADITU CURIÆ.

QUum anno 1535. profligata Romani Antichristi tyrannide, abrogatisq; ejus superstitionibus, sacrosancta Christi Religio hîc in suam puritatem, Ecclesia in meliorem ordinem, singulari Dei beneficio, reposita; & simul pulsis fugatisque hostibus urbs ipsa in suam libertatem non sine insigni miraculo restituta fuerit: Senatus Populusq; Genevensis monumentum hoc perpetuæ memoriæ causa fieri, atque hoc loco erigi curavit: Quo suam erga Deum gratitudinem ad posteros testatam faceret.

IN

IN PETRI.

Reverendus in Christo Dn. Amblardus Goyetus, J.U. Doctor, & Theologus insignis, Ap. Protonot. Abb. Filliaci, Geben. Canon. pietate in Deum, & religione devotus, apud principes, nobiles & plebeios, consilio, gratia & liberalitate conspicuus, impio fato concessit, anno á cunis Christi 1517. 7. Martii.

Parce precor lacrymis, fatum germane quid urges?
Omnibus hac solido est scripta adamante dies.
Pulvis & umbra sumus, tantúm post funera virtus
Nomen inextinctum sola superstes habet.
Nil aurum, nil pompa juvat, nil sanguis avorum.
Excipe virtutem, cætera mortis erunt.
Hanc cole, & ante oculos imitanda exempla parentum
Pone, sed interdum sit tibi cura mei.

II.

Reverendus pater Petrus Grinetus Apostolicus Proton. Geben. Canonicus, & generalis Vicarius meritissimus, Jurium Doctor celeberr. virtute, gratia & consilio potēs, isto exanimis capulo tegitur, die sui obitus XXIII. m. IX. Anno 1531. Orate pro eo.

Qui nostra fuerat custos gratissimus urbis,
Virtutum decus & religionis honos,
Præsule sub quinto sceptri donatus habenis,
Nunc diro mortis subditur imperio.
Marmore concluſus jacet & resupinus in antre,
Astra tenet virtus, cætera pulvis habet.
Disce tuum quisquis simili pede claudere passum,
Et tergant oculos hæc monumenta tuos.

IBIDEM.

C. Plinio M. F. C. Fausto Ædili III. viro eq. Flam. C. Plinius Faustus, viro S.

T. Jul. T. F. Corn. Valeriano patrono Col. II. vir ær. III. vir locor. persequend. trib. milit. leg. VI. victr. præfect. fabr. Flam. Aug. Pontifici, Julia T. F. patri opt.

VIENNÆ IN DELPHINATU.

VIrtute fortissimo, & pietate clementiss. D. N. Flavio Constantino invictiss. max. pp. invicto. aug. M. Alfius Apronianus, ut P. P. Flam. Viennæ devoto numini majestatiqúe eorum.

S. D. D. Flaminica Viennę tegulas æneas, auratas, cum carpusculis & vestituris basium, & signa Castoris & Pollucis cum equis, & signa Herculis & Mercurii, D. S. P.

LOTHARINGICA.

NANCEÆ IN LOTHARINGIA.

IN ÆDE D. GREGORII, IN TABULIS ARÆ ADFIXIS.

CArolus hoc busto Burgundæ gloria gentis
Conditur, Europæ qui fuit ante timor.
Ganda rebellatrix hoc plebs domitore, cremata
Post patriæ leges, perpete pressa jugo est.
Non minús hunc sensit tellus Leodina cruentum,
Cúm ferro & flammis urbs populata fuit.
Monte sub Heritio Francas cum rege cohortes,
In pavidam valido truserat ense fugam.
Hostibus expulsis Eduardum in regna locavit
Anglica, primævo restituens solio.
Bella ducum, regumq́, & Cæsaris omnia spernens,
Totus in effuso sanguine lætus erat.
Deniq́, dum solitis fidit temerarius armis,
Atq́ Lotharingo cum Duce bella movet:
Sanguineam vomuit media inter prælia vitam,
Aureaq́ hostili vellera liquit humo.

Ergo

Ergo triumphator long&va in ſecla Renatus,
Palmam de tanto Principe victor habet.
O tibi, qui terras qu&ſiſti Carole, cœlum
Det Deus, & ſpretas antea pacis opes.
Nunc dic Nanceios cernens ex æthere muros,
A clemente ferox hoſte recondor ibi.
Diſcite terrenis quid ſit confidere rebus.
Hic totiens victor deniq; victus adeſt.

ALIUD IBIDEM.

Dux jacet hîc Carolus, Belgarum illa ignea virtus,
Cui Mavors dederat bella gerenda pater.
Quem timuit ſubitis animoſus Gallus in armis,
Cuiq; Alemannorum terga dedere duces.
Quiq; animam Heſperias bellis agitabat in urbes,
Sed ſubitó invertit ſors truculenta viam.
Nam cúm Ranerium bello ſibi provocat hoſtem;
Occubuit fuſo milite ſtratus humi.
Qua ne tanta viri laus inteſtata jaceret,
Hoc victor victi condidit oſſa loco.

JOVILLÆ.

CLaudio á Lotharingia, Renati regis Siciliæ filio, Guyſæ & Aumaliæ Duci primo, Marchioni Mennæ, Jovillæ Baroni, Campaniæ Seneſcalco: & in eo Comitatu primúm, mox in Burgundiæ etiam Ducatu Proregi: magno Franciæ Chambellano: Gallor. Helvetior. ac Germanor. peditum Duci: turmæ centum cataphractor. equitum præfecto: optimo Principi, patris patriæ nomen adepto: parta inſigni victoria de hæreticis ad Savernam Alſatiæ oppidum: & Burgundis ac Belgis civibus conſervatis: immatura morte, magno omnium dolore & luctu, exſtincto: Antonia uxor Borbonia, marito incomparabili; & VI. filii pari pietate parenti optimé merito mœſtiſſimi P. P. Vixit annos 54. m. 5. d. 26. an. p. Chriſtum natum 1550. pr. Idus Aprilis.

INSCRIPTIO ARCIS REGIÆ BLESIS.

Hic ubi natus erat dextro Ludovicus Olympo,
Sumsit honorata regia sceptra manu.
Felix qua tanti fulsit lux nuncia Regis,
Gallia non alio principe digna fuit.

Faustus 1498.

AVINIONENSIA.

IN AVINIONEM JUL. CÆS. SCALIGER.

Vivendi ratio cum libertate recepta,
Efficiunt ut sis altera Roma tibi.
Templa, forum, celso subducta palatia cœlo,
Magna hæc. te, plus est, dicere posse tuam.

IN PALATIO PAPÆ.

Clemens V. Pontif. absens electus anno 1305. Romanam curiam Lugdunum transtulit.

Joannes XXII. Lugduni creatus, Avinionem primus se contulit, Benedictus Avinione creatus consedit ac moritur, palatii hujus prima ac majori parte constructa.

Clemens in sua obedientia VI. Avinione consedit, quo tempore Urbanus VI. Romæ Apost. sedi præerat, magno tunc orto schismate.

Benedictus in sua obedientia XIII. primó Petrus de Luna nuncupatus, in locum demortui Clement. VI. Avione eligitur. Unde póst in Hispaniam aufugit, ac in Constantiensi Concilio cũ Gregorio XII. & Joan. XXIII. deponitur.

Marcellus II. Pontif. Opt. Max. qui Pius, Secretarius Alexandri Farnesii R. E. C. Vicecancellarii ac legati Avionen.

nionen. fuerat, moritur in urbe xx. die sui Pontificatus ann. M. D. LV.

IN FRANCISCI.

D. O. M. & memoriæ æternæ D. Lauræ cúm pudicitia tum forma fœm. incomparabilis, quæ tamdiu vixit, ut ejus memoria nunquam extingui possit: R. R. veterum monumentorum peregrini indagatores, D. Christophorus de Allegre Eques Lusitanus, & D. Antonius di Prat. prætor Parisiensis, & Gabriel Simonius Florentinus Ἀδοκίας χάειν, IV. Idus April. 1558.

Sola manet virtus, cætera mortis erunt.

IN OPPIDULO GALLIÆ COLLEURE APUD BITURIGES, SEPULTUS EST FRIDERICUS RANZOVIUS, TALI EPITAPHIO LUTETIÆ PARISIORUM FACTO.

FRIDERICUS RANZOVIUS Holsatus, patre natus nobilissimo & amplissimo viro, HENRICO RANZOVIO, sereniſſimi Daniæ Regis Consiliario, & in Holsatia Legato, domino hæreditario in Bredenberg & Drakenburg, &c.

Patris nempe fortissimi genuinâ virtute filius,
Familiæ columen, patriæ lumen,
Equitum sub Comite Bassonpierro Magister,
Dum secunda Christianissimo Regi Galliarum stipendia meret, & fugatis hostibus, rariori comitatu, castris longiús abscedit,
Naturæ debitum latronum sceleri persolvit,
Et mortalis corporis mortales exuvias cum stola cœlesti commutavit;
Eas per magistratum horum locorum honorificé collectas,
Et postea á nobilissimo viro Andrea Plessio cognato cognitas,
Mœrentes amici huic tumulo mandavêre.

Patriâ procul, patre procul,
Procul sepulchris paternis.
An hoc ille infelicior?
Non est, non est, viator.
Cur?
Fortibus & piis omne solum,
Ut patria est, ita sepulchrum.
Et hoc si didicisti
Viator; abi.

IN AGRO NEMAUSENSI.

D. M.

S. Sylvius paternus uxori rariss. exempli, cum qua vixit annos XXXII. sine ulla animi læsura E. S. V. P.

ANGL

ANGLICA.

LONDINUM.

IN LONDINUM JUL. CÆS. SCALIGER.

Vrbs animis, numeróq; potens, & roboregentis,
Vel cunctos præ se despicit una deos.
Torva peregrinis, sed non & inhospita, merces
Vicinis patrias aggerit, atq; petit.
Contemnis, cui das, tanquam ipso munere major,
Odisti unde petis, ne videare minor.
Dicat, quid bello valeas, Aquitania. quid non:
Et Nortman, & cum Saxone Roma vetus.

ALIQUOT REGUM ANGLIÆ EPITAPHIA LONDINI IN VVESTMONASTERIO DESCRIPTA.

ETELREDI.

In isto tumulo jacet Etelredus, quondam Rex Angliæ, de genere Saxonico filius regis Edgari, dicti pacifici, & pater sancti Eduardi regis & confessoris. qui quidem Eduardus in senectute sua bona, virgo perennis, migravit ab hoc seculo, cujus corpus incorruptum jacet in Westmonasterio.

Fuit etiam pater Edmundi regis. postquam autem regnaverat annos 38. in magna tribulatione Danorum, obiit XXIII. die mensis Aprilis, Anno Domini M. XVI. anno ætatis suæ 48. & hîc sepulturam promeruit, cujus animæ propitietur Deus.

ALIUD S. EDUARDI.

Omnibus insignis virtutum laudibus heros
Sanctus Eduardus, confessor, rex venerandus,
Quinto die Jani moriens supra æthera scandit,
Sursum corda.

HENRICUS II.

Tertius Henricus est templi conditor hujus.
Dulce bellum inexpertis. Anno 1273.

EDUARDUS PRIMUS.

Edvardus primus, Scotorum malleus hic est.
Anno 1308. Pactum serva.

REGINA ALEONORA.

Consors Edvardi primi fuit Aleonora.
Anno 1298. Disce mori.

EDUARDUS TERTIUS.

Tertius Edvardus fama super æthera notus.
Pugna pro patria. Anno 1377.

Hic decus Anglorum, flos regum præteritorum,
Fama futurorum, rex clemens, pax populorum,
Tertius Edvvardus regum complens Jubilæum.

REGINA PHILIPPA.

Conjunx Edvvardi jacet hic regina Philippa.
Disce vivere. Anno 1369.

RICHARDUS II.

Hic jacet immiti consumtus morte Richardus.
Fuisse felicem, miserrimum.

Prudens & mundus, Richardus jure secundus,
Per fatum victus jacet hoc sub marmore pictus.
Corpore procerus, animo prudens ut Homerus,

Eccleſia

Ecclesia favit, elatos suppeditavit.
Quemvis prostravit, regalia qui violavit.

HENRICUS V.

Gallorum mastyx jacet hac Henricus in urna.
Domat omnia virtus.
Pulchra virumq; suum tandem sociat Catharina.
Anno 1437. Ocium fuge.

ALIUD.

Margaritæ Richemundiæ, septimi Henrici matri, octavi aviæ, quæ stipendia constituit, tribuit hoc cœnobium Monachis, & doctoribus Grammatices apud Wernbrun, perque Angliam totam divini verbi præconibus; duobus item interpretibus litterarum sacrarum, alteri Oxoniis, alteri Cantabrigiæ, ubi & Collegia duo Christo & Johanni discipulo ejus struxit. Moritur anno Domini 1460. tertio Cal. Julii.

HENRICUS SEPTIMUS.

Hîc jacet Henricus, hujus nominis VII. Angliæ quondam rex, Edmundi Richemundiæ Comitis filius, qui die 22. Aug. Rex creatus, statim póst apud Westmonasterium 30. Octob. coronatur, anno Domini 1485. moritur deinde XXI. April. anno ætatis LIII. Regnavit annos XXII. mens. VIII. minús uno die.

EIDEM.

Septimus Henricus tumulo requiescit in isto,
Qui regum splendor, lumen & orbis erat.
Rex vigil & sapiens, comis, virtutis amator,
Egregius forma, strenuus atq; potens.
Qui peperit pacem regno, qui bella peregit
Plurima, qui victo semper ab hoste redit.
Qui natas binas conjunxit regibus ambas,
Regibus & cunctis fœdere junctus erat.
Qui sacer hoc struxit templum, statuitq; sepulchrum
Pro se, proq; sua conjuge, prole, domo.
Lustra decem tres & vivus compleverat annos,
Jam tribus octonis regia sceptra tulit.

Quindenus Domini centenus fluxerat annus,
Currebat nonus, cùm venit atra dies.
Septima ter menſis lux tunc fulgebat Aprilis,
Cùm claudit ſummum tanta corona diem.

ALIUD IBIDEM.

Septimus hîc ſitus eſt Henricus gloria regum,
Cunctorum illius qui tempeſtate fuerunt,
Ingenio atq; opibus, geſtarum nomine rerum,
Acceſſere quibus natura dona benigna,
Frontis honos, facies auguſta, heroica forma,
Junctaq; ei ſuavis conjunx, perpulcra, pudica,
Et fœcunda fuit, felices prole parentes,
Henricum quibus octavum terra Anglia debes.

REGINA ELISABETHA.

Hîc jacet regina Eliſabeth, Eduardi IIII. quondam regis filia: Eduardi V. quondam regis nominata ſoror: Henrici ſeptimi olim conjunx; & quæ Henrici octavi regis mater inclyta. Obiit autem diem ſuum in turri Londoniarum die XI. Febr. anno Dom. 1502. 37. annorum ætate defuncta.

In horto arci adjuncto, ad horologium.

Dic mihi quid prodeſt horas numerare fugaces?
Cùm ceſſans perdas quod numerare libet.

Londini in domo mercatorum Germanorum, vocata Stilard.

Hæc domus eſt lata, ſemper bonitate repleta,
Hîc pax, hîc requies, hîc gaudia ſemper honeſta.

Item.

Aurum blanditiæ pater eſt, natusq; doloris.
Qui caret hoc, mœret; qui tenet, hic metuit.

Item:

Qui bonis parere recuſat, quaſi vitato fumo in flammam incidit.

MONU-

MONUMENTUM THOMÆ LINACRI
Londini in templo D. Pauli.

Thomas Linacrus, regis Henrici VIII. medicus, vir & Græcé & Latiné, atque in re medica longé eruditissimus, multos ætate sua languentes, & qui jam animam desponderant; vitæ restituit: multa Galeni opera in latinam linguam, mira & singulari facundia, vertit. Egregium opus de emendata structura latini sermonis, amicorum rogatu, paulò ante mortem edidit. Medicinæ studiosis Oxoniæ publicas lectiones duas, Cantabrigiæ unam, in perpetuum stabilivit. In hac urbe collegium medicorum fieri sua industria curavit, cujus & Præsidens primus electus est. Fraudes dolosque miré perosus, fidus amicis, omnibus ordinibus juxtá carus: aliquot annis antequam obiret, sacerdos factus, plenus annis ex hac vita migravit, multúm desideratus. Anno 1524. 20. Octob. cujus animæ sit Deus propitius.

Aliquanto altius tumba cum phœnice & inscriptione, VIVIT POST FUNERA VIRTUS.

Thomæ Linacro, clarissimo medico Joan. Cajus posuit M. D. LVII. m. Aug.

DEO TRINO ET UNI OPT.
MAX. SACRUM, AC

Æviternæ memoriæ nobilissimi honoratissimi omniqué virtutum & eruditionis genere præstantissimi viri Domini ADOLPHI á MEETKERKE Brugensis, equestris ordinis, summi Flandriæ Concilii præsidis dignissimi & justissimi, in creandis per Flandriam urbium civitatumqué magistratibus legati perpetui. Qui difficillimis Belgarum temporibus illustrem locum consiliarii status, in supremo trium ordinum Belgicarum Provinciarum senatu, multis principibus junctus collega, plus quám decennium sustinuit, Legationes quoque eorundem ordinum nomine apud varios Germaniæ superioris & inferioris Principes, Regem Galliæ, ejusque fratrem Principem Alenconium, tum etiam apud sereniſſimam hanc Angliæ &c. Reginam principi Haurço factus collega, summis de rebus, maxima

fide, ſummaq́; cum laude, obiit. Eximię cognitionis, cúm Jurisprudentiæ, tum hiſtorię fama celeberrimus. Nec minus á bonarum artium, humanarumq́; diſciplinarum & linguarum, præſertim Latinæ & Græcæ (quarum poſteriorioris fuit reſtaurator) eruditione commendatiſſimus. Quodque primum omnium eſt, pietatis in Deum & homines, veritatis Evangelicæ & Juſtitiæ cultor ſtudioſiſſimus, cujus cauſa omnibus ſupradictis honoribus relictis, exilium, etiamſi ipſi in ſua ſenectute durum, tamen libens Chriſti cauſa ſuſcepit, nullo Hiſpani auro, vel ingentibus pollicitationibus (quibus á recto inſtituto dimovere eum conabantur) expugnabilis.

Is natus annos LXIII. menſ. VI. prid. non. Octobr. Anno poſt natum Meſſiam Salvatorem noſtrum CIↃ IↃ XCI. ex hac peritura ad perennem vitam emigravit, cúm ex duabus nobiliſſimis ſelectiſſimisq́; uxoribus, tam virtute quám genere clariſſimis, Dn. Jacoba Cervina, & Dn. Margareta á Lichtervelde, plurimos ſuſcepiſſet utriusque ſexus liberos. Ex quibus moriens ſex, ex qualibet uxore videlicet tres, reliquit ſuperſtites.

Ex priore Balduinum; qui cæſo nuper in expugnatione Daventriæ fratre ſuo primogenito Domino Nicolao militum Duce fortiſſimo, militibus dicti fratris ſui á ſereniſſima Angliæ Regina eſt præfectus. Adolphum patri cognominem, á fratre in ordine militari ſecundum; & filiam Annam, uxorem clariſſimi viri Domini Pauli Knibbii Jurisc. & ſereniſſ. Daniæ Regis Conſiliarii.

Ex poſteriore filium anniculum Eduardum, & duas filias Elizabetham & Salomen, tres liberaliſſimæ indolis & formæ infantes.

Cui placidé in Chriſto humanę gentis ſoſpitatore obdormienti, hoc meritis ipſius debitum mortale monumentum, immortalis amoris & reverentiæ, Petrus ab Heila, dictus Varheila Brugenſ. Jurisc. popularis, civis, & amicus ejus mœſtiſſ. poſ.

In ſymbolũ nobiliſſimi, honoratiſſimi, omniq́; virtutum & ſcientiarũ genere cumulatiſſimi viri Dn. ADOLPHI á MEETKERKE Brugẽſis, equeſtris ordinis, ſummi Flandriæ præſidis digniſſimi & æquiſſimi.

Sump

Sunt autem duæ dextræ inter se junctæ, quarum una armata est, altera inermis, quibus tertia é nube superveniens duas priores complectitur, additis his verbis ad nomen Adolphi alludentibus:

ΦΙΛΟΙΣ ΕΧΘΡΟΙΣΤ' ΑΔΕΛΦΟΣ.

ET AMICO FRATER ET HOSTI.

Quid manus armata est? hostis. Quidnam altera? amicus. Tertia? MEETKERKUS, *qui manum utramq; capit. Quid Græcæ voces?* ET AMICO FRATER ET HOSTI. *Vocum harum interpres vita Mekerke tua est.*

Petrus ab Heila, dictus Verheila, Brugensis, Jurisconsultus.

CANTABRIGIÆ.

IN TEMPLO CATHEDRALI.

NIcolaus Wotonus Roberti Wotoni Equitis aurati ex Anna Belknappa filius, utriusq; Juris Doctor, Ecclesiæ hujus primus, itemq; metropolitanæ Ecclesiæ Divi Petri Eboracensis Decanus: Henrico VIII. Eduardo VI. Mariæ & Elisabethæ Angliæ Regibus á secretis cõsiliis, ad Carolum V. Cæsarem bis, ad Philippũ Hispaniæ regem semel, ad Franciscum primum Francorum Regem, ad HENRICUM secundum ejus filium ter, ad Mariam Hungariæ Reginam Belgarum præsidem semel, ad Guilhelmum Clivensium Ducem bis legatione functus. Renovatæ pacis inter Anglos, Francos & Scotos, inter Guinas & Arderam anno 1546. similiter & ad Castrum Cameracense, anno 1559. Deniq; Edimburgi Scotiæ anno 1560. Oratorũ munus. Hìc tandem ferè septuagenarius requiescit. Hæc ille ante mortem & ante morbum, quasi fatalem diem præsentiens, & cygneam cantionem propheticé canens sua manu in museo scripta reliquit. Qui apud tales Principes divina providentia gubernante, laudabiliter & in tot ac tantis causis, quarum magnitudo gravissima, utilitas publica fuit, feliciter bonam vitæ suæ partem cõsumsit, eum vivum, sapientem & experientissimum ipsa invidia judicare debet. Quám semper ab omni contentione hono-

rum fuerit alienus, illud declarat, quód ad hanc ecclesiasticam dignitatem non ambitione ulla sua inflammatus, nec amicorũ opera usus aspiravit, sed eam utramq; Henricus VIII. hominis merito & virtute provocatus, ultró detulit. Cumque idem rex illustrissimus morbum lethalem ingravescere persentiret, & Eduardi Principis sané excellentissimi, adhuc tamen pueri & Reip. administrandæ imparis, imbecillam ætatem senili prudentia secretioris consilii sui regendam existimaret; illis ex sedecim, quos supremæ voluntatis suæ testes & vindices testamento instituit, hunc Nicolaum absentem tum in Francia legatum unum esse voluit. Eduardo regi jam medio regni curriculo propé confecto, unus ex primariis secretariis fuit; quem locum diutius tenere potuisset, nisi & suis & assiduis amicorum precibus abdicanti veniam impetrasset. Corpus illi erat gracile quidem & parvum, sed erectũ, habitudo sana, vultus liberalis, victus exquisitus, quem semel tantúm in die capere consueverat. valetudo adeó firma, ut raró morbum aliquem senserit. animus verò totus libris ac literis dicatus, artium, Medicinæ, Jurisprudẽtiæ, & Theologiæ studio intentus, linguarum Romanæ, Italicæ, Gallicæ, & Germanicæ inferioris cognitione pulchré exornatus. Ita vir iste genere clarus, legatione clarior, domi ac foris clarissimus, honore florens, labore fractus, ætate confectus, postquam Decanus huic Ecclesiæ annos 25. dies 293. præfuisset; Londini Januarii 26. anno nostræ salutis 1560. pié & suaviter in Domino obdormivit, Thoma Wottone nepote hærede relicto, qui ei hoc monumentum non honoris ergó, quo abundavit vivus, & floresset mortuus; sed amoris causa, quem memoria colet, ut debet, sempiterna, consecravit.

OXONIÆ.

SUPRA AUDITORIA ARTIUM LIBERALIUM DISTINCTA.

GRammatica. *Literas disce.*
Dialectica. *Impostoras fuge.*

Rhete-

Rhetorica.	*Persuadent mores.*
Arithmetica.	*Numeris omnia constant.*
Musica.	*Ne tibi dissideas.*
Geometria.	*Cura quæ domi sunt.*
Astrologia.	*Altiora te ne quæsieris.*

SEQUUNTUR VIRTUTES.

Patientia.	*Patientia vincit ferendo.*
Humilitas.	*Modestia amabilis.*
Fortitudo.	*Fortis est qui omnem fortunam devincit.*
Spes.	*Spe vincim⁹ omnes. Sed omnis fiducia sine Deo vana est.*
Cautio.	*Cautus vincit omnia.*

LECTORI S.

SUb tabulis geographicis sequentes inscriptiones leguntur; quas non tam propter latinitatis, quæ non magna est, elegantiam; quám propter res ipsas cognitione non indignas hîc subjicere voluimus.

I. DE ARCHITHALASSO.

Archithalassus Dominus Christophorus Colon, natione Ligur, aperturum se Occidentales Indorum insulas & continentem, regibus Catholicis, felicis memorię, pollicitus est; si ad hanc provinciam capessendam necessaria sibi abundé impenderent. Quippe qui trium navium regio apparatu & copiis omnibus suffultum emiserunt, anno ab orbe redemto 1492. Post eũ plurimi succedentes has provincias nobis clausas aperuerunt, prout in præsenti descriptione patet.

II. DE HISPANIA INSULA, DEQUE *divi Johannis & Cuba.*

Hispania hæc Insula innumeri prædives pecoris & armentorum est, plurimo inde extracto abundat auro, saccaro & Cassia fistula; permultæ naviũ stationes ac portus insunt: præcipuus autem omnium est sancti Dominici,

quæ civitas insignis esse perhibetur, multiq; commercii. Reliquæ siquidem coloniæ ductæ ab Hispanis & conditæ sunt in Cubæ ac Divi Johannis, cæterisq; omnib. insulis, nec non continenti aurifodinæ innumeræ passim effodiuntur. Hæc loca omnia frequentibus incolis habitantur. Celebri divi Dominici urbe regium forũ præest Imperatoris edicto. In aliis veró oppidis, villis & insulis, ejus gubernatores populos regunt ratione & legum sinceritate potius, quám animi affectibus. Incognitæ seu ignotæ nobis Indorum regiones indies aperiuntur expugnanturq;, quo fides Catholica felix ac faustum capit incrementum. Hispania veró congestis undiq; opibus ditior evadit.

III. De nova Hispania.

Hanc continentem Hispani á suo nomine novam Hispaniam denominarunt, quam illustris Dn. Fernandus Cortesius Vallis & Gnaxacæ Marchio expugnavit. Ejus plurimæ insunt provinciæ, urbesq; innumeræ habitãtur, quarum insignior Mexicum nuncupatur, Indorum nomine; hæc siquidem numero quingenta incolarum millia excedit, eamque lacus quidam salsus circuit, quadraginta parasangis. inde extracta maxima auri & argenti copia, ac precioſis lapillis, cúm reliquæ hujus provinciæ urbes tum ipsa Mexicum prẹcipué abundat plurimis. Hic bombyx & gossipium, alumen, crocum, glastum, aliique ad conficiendum colores producuntur: præsertim saccharum, seu arundineus succus adeó passim prodit, ut omnes Hispanorum naves annuatim ad Bæticam Hispalim onerentur, indeque ad omnes provincias. Hujus incolæ ad commutandas omnimodas merces callidissimi sunt: pro nummis enucleatis mediis amygdalis utuntur, quod nummorum genus Cacao seu Cacagnate barbaro Indorum nomine appellant. Tritico, hordeo, aliisq; seminibus, uvis & cæteris fructibus plurimúm abundat: innumera terrestrium animalium genera, præcipué cervorum, aprorum, leonum, pardorũ, tigridum passim vagantur, aviumq; volatiliũ inexhausta propemodum multitudo: quẹ quidem loca omnia venationis plena. Ea gens doctissima & apprimé studiosa est, tam ad formãdas qualescunque

cunq; res sculpendi arte, quám ad effingendas quasvis exacté figuras graphiis. Eorũ mulieres gemmis, unionibus & precioſis lapillis ornantur. Papyri quodam genere Indi utuntur, in quo figuris quibusdam delineant quæcunq; voluerint pro litteris. Nunquam mutuó pacem inierunt concordi fœdere, quin imó ſe invicem inſequebantur bellis aſſiduis ac deteſtandis. Qui veró ex utraq; acie victi capiebantur, hi ceu victima diis patriis pro victoria litabantur; quorum cadavera, pro publicis dapibus, exercitui apparabantur. Ea gens idolorum cultrix erat, carnis hominum avidiſſima, adorabatq; omnia, quibus animus ejus quotidie afficiebatur; etſi tempeſtate noſtra ferinis illis antiquis moribus exuta, & Chriſtum Dominum noſtrũ induens, fido corde profiteatur, veneretur & colat, Evangelicæ fidei, Chriſtianorumq; religioni firmiter credens; ſacroſanctæq; Catholicæ orthodoxorum Eccleſiæ ſinceris monitis, divinisq; præceptis obtemperans.

IV. De Freto omnium sanctorum.

Fretum hoc omnium ſanctorum Fernandus Magallianus aperuit; quem claſſis regia Hiſpanorum ad aperiendum expugnandumq; Malucarum Inſulas S.C.C. majeſtatis Caroli Imperatoris invictiſſimi regis hujus nominis Quinti ducem præfecerat. Qui ad hoc fretum degunt gigantes potius terrigenæ, quám homines eſſe traduntur. horum regio ampliſſima, vaſta ſolitudine, ac raro habitatore, colitur. hi homines ſolis animalium pellibus induuntur.

V. De Malucarum Insulis.

Has Malucarum Inſulas Fernandus Magallianus diu noſtratibus clauſas aperuit, nec non Johannes Sebaſtianus Delcano ejus ſucceſſor, quem inquam Fernandum ad opulentiſſimas has Indorum Inſulas aperiendas S. C. C. majeſtas Caroli Imperatoris hujus nominis Quinti, ſuæ regiæ Hiſpanorum claſſi ducem & gubernatorem præfecerat: quæ quidem claſſis é portu Hiſpalis inſignis civitatis Bæticæ provinciæ nauticum ſolvit. Is itaq; primó fre-

tum omnium ſanctorum aperuit, quod ab æquinoctiali ad antarcticum vergens 52. gradibus cum dimidio diſtat. cumq; ſupradictas Inſulas petens, haud ſine maximo ſuo periculo, ſuorumq; labore intolerabili ulterius navigare pergeret; tandem longo póſt tempore quibusdam appulit Inſulis, é quibus á polo Arctico magis ad meridiem ſpectat 12. ab æquatore gradibus ſemota eſt, cujus homines agilitate apprimé callidi ſunt, quorũ latrociniis, quia cymbula quædam claſſis é conſpectu nautarũ Hiſpanorum evanuit, ea loca latronum inſulas denominarunt. Hinc deinceps ulteriori navigatione aperuit quandam Inſulam, cui Laguoada nomen indidit, quoniam eodem aquatum ire illi contigit. Aperuit & alias, Gungam ſcilicet, Aceilam & Acubu: in quarum ultima dictus Fernandus Magallianus congreſſu quodam Indorum hoſtium vita functus eſt. Cui Johannes Sebaſtianus Delcano totius claſſis ſuffragiis votisq; omnium electus feliciter ſucceſſit, qui poſtea ſequentes Inſulas Bendenao, Apoloam, Brunai, Bilolo, Atidori, Terrenati, Modill, aliasq; quamplurimas inſulas aperuit, quibus maxima auri copia exoritur, gariophyllorũ, cinnami, nucis myriſticæ & omnium aromatum & mercium, adeó, ut ipſe claſſiarius Johannes Sebaſtianus Delcano duas naves ex quinque, quas é naufragio receperat incolumes Atidori inſula, gariophyllis oneravit. In illa ſiquidẽ ac Terrenati tantúm, in aliis verò inſulis nuſquam, produci ajunt. Abundé itidem cinnamum ac nuces myriſticæ Bendenao leguntur, quarũ etiam maximam copiam inde abſtulit. Dumq; is ad Hiſpaniam per mare Indicum rediret, ac Bonæ Spei promontorium inſinuare properaret; altera navium ſentinã exantlare haud facilé valens, ne fluctibus obrueretur, Atidori inſulam iterum petere coacta fuit, unde mare metiri cœperat. Johannes verò Sebaſtianus Delcano Bonæ Spei promontorium pertransiens navi, quâ vehebatur, cui nomen diva victrix Maria, Hiſpalim civitatẽ Bæticæ regionis tutó adire potuit, unde primúm navigare inchoaverat, anno á nativitate Redemptoris 1522. Ex quo ſatis conſtat Johannem Sebaſtianum Delcano totum orbem circulariter navigaſſe, utpote qui adeó occidentalem plagam uſque

permeavit,

permeavit, ut eodem transiens, ad Occidentem iterum rediret, unde primùm iter cœperat.

VI. De Peru.

Has provincias nobis aperuerunt expugnaveruntque magnanimi equites Franciscus Picarro & Almagro, qui inquam Franciscus Picarro has dum vixerat gubernavit. Copioso inde extracto, abundant argento aurifodinisq; & pretiosis smaragdis. Panis eorum quo vescuntur & vinum quod bibunt, ex quadam spica prægrandi fit, quæ Indorum idiomate Maiz appellatur. Ea gens belligera est, acri ingenio, idolorumq; cultrix, utiturq; in bellis fundis, arcu & jaculis: armaturæ earum aureæ sunt & argenteæ. Genus quoddam ovium illic nascitur, parvorum camelorum simile, quorum lana mollis ac subtilissima est. Ad viginti parasangas & ampliùs tota littoralis ora nunquam pluviâ madescit. Christicolæ plurimas illuc ducunt colonias, indiesq; eas augere student.

VII. De argenteo flumine, quod *vulgo Rio de Plata nuncupatur.*

Vastum flumen hoc Indorum lingua Utnai, Hispano verò idiomate Rio de la Plata nuncupatur: cui affluit & alius fluvius Parana nomine. Hoc autem Johannes Dias Solis, invictissimorum Catholicorumq; regum Fernandi & Elisabethæ Archigubernius primus aperuit insulæ tenus, quam á nomine cujusdam nautæ suæ classis ibi sepulti insulam Martini Gartiæ denominavit, quæ memoratũ intra flumen ab ejus ostiis 40. parasangis distat. hanc siquidem per varios casus, per tot discrimina rerum dum clausam suis aperit expugnatque; ab Indis oppressus occisusq; devoratur. Elapsis autem postea multis annis Sebastianus Cabotus navigandi arte astrorumq; peritissimus Dux & Archigubernius Caroli Imperatoris hujus nominis Quinti, regisque potentissimi, denuó nobis aperuit classe regia, cui ipse Imperator ducem præfecerat ad aperiendum insulas Tarcis, Ophyr, Crapange, & Coicatai, qui inquam Archigubernius obiter flumen hoc intravit.

In causa fuit, quia navium ejus ductrix naufragium fecerat, procellosis obruta fluctibus, quo cursum sibi destinatum cum sociis continuare minimé potuit, cumque his nautis, qui mari recepti aderant, flumen aperire aggressus est, haud sine maximo suo periculo, suorum labore intolerabili, fame ac rerum omnium penuria. A nonnullis Indorum antea certior factus, regionē istam auro & argento omnium opulentissimam esse, quo solertissimus Dux & Archigubernius motus, ducere colonias cœpit prope flumen, nonnullas arces ac propugnacula cōdere diligenter curavit, quîs Hispani incolæ facilé tueātur, & vim hostium Indorum inde propellerent. Hoc flumen majus est omnibus nobis cognitis, cujus ostia mare adfluentia latitudine 25. parasang. protenduntur, reliquum hujus supra 300. ab ostiis latitudinem duabus parasangis dimetitur, cujus vasta profunditas causatur ex multorum confluxu ingentium fluviorū. Multis abundat & optimis piscibus omnium quos mare nutrit. Gens nostra cúm primùm his appulit oris, an culta tellus illa fertilis esset, periculū fecit, collectis quinquaginta duobus tritici granis, quæ in tota earum classe invenerant, mense Septembri terræ mandavit. Decembri veró duo millia supra quinquaginta messuit: aliorum seminum ac leguminū eadem est fertilitas. Hujus regionis incolæ non procul inde celsos quosdam montes esse ajunt, é quibus ingentem auri copiam extrahere solent. Nec multo longiori intervallo alios asserunt innumero abundare argento, & alia cúm visu tum dictu innumerabilia enarrantur, quæ pro eorum prolixitate, ne fastidiant animi, silentio traduntur. Hi hominum proni sunt ad laborem, & terræ cultus studiosissimi, unde multum vini & panis conficiunt, ex ea spica quam Indi Maiz appellant. Quoddam genus oviū hîc magno corpore adest, parvorum camelorum instar, quarū vellera pro molli & tenuissima lana ceu bombyce exornantur, suntque alia quamplurima diversorum animalium genera. Hujus regionis homines formâ & colore inter se longé differunt. siquidem qui in montibus degunt, albi colore & nobis similes sunt; qui veró fluminis ripas incolunt, hi fusco & tetro colore nigrent: nonnulli eorum caninā faciem habere

bere perhibentur. Quidam verò pedes & tibias ad ſtruthiocamelorum ſimilitudinem habent.

VIII. De Terra nova, quam *vulgus Baccalios appellat.*

Terram hanc olim nobis clauſam aperuit Johannes Cabotus Venetus, nec nō Sebaſtianus Cabotus ejus filius, anno ab orbe redemto 1594. die verò 24. Junii, hora 5. ſub diluculo. quam terram primùm viſam, & inſulam quandam magnam ei appoſitā, inſulam D. Johannis nominarunt, quippe quæ ſolemni die feſto Divi Johannis aperta fuit. Hujus terræ incolę pellibus animalium induuntur. Arcu in bello, ſagittis, ſpiculis, clavis ligneis & fundis utuntur. ſterilis incultaq; tellus eſt. Leonibus, urſis albis, procerisq; cervis, piſcibus innumeris, lupis & ſalmonibus, & ingentibus ſoleis unius ulnę longitudine, aliisq; piſcium diverſis abundat generibus. Horum autē maxima copia eſt, quos vulgus Baccalios appellat. Adhæc inſunt accipitres nigri, corvorum ſimiles, aquilæ, perdicesque fuſco colore, aliæq; diverſæ volucres.

IX. De Islandia Insula.

Hæc inſula innumera piſcium multitudine abundat, quos ejus incolæ hyeme capiunt, & Boreali horriferoque frigore deſiccant, utpote in qua ſub Arcti ſita circulo penetrabile frigus adurit. Ineunte autē vere Angli, Germani, aliarumq; diverſarum regionum incolæ huc adnavigant, piſces hos frigore deſiccatos farinæ & cereviſię commutatione emturi. Eſtq; hoc piſcium genus adeò durum, ut malleis ferreis ſuper lapidē pertundere neceſſe ſit: poſtea verò aqua biduo mollire, quò tandem butyro cōdientes comedant. Non ſolùm hæc inſula ingentem piſcium copiam alit, ſed etiam totum mare Scythicum, quorum nōnulli adeò vaſto corpore emergunt, ut monſtra potius marina, quàm piſces videantur. Fertur á quibusdam hoc mare navigantibus adeò hîc ingentes murænas proſpici ſerpentibus ſimiles, ut naves ipſas invadere audeant, quò nautas vel vectores arripientes devorent. Inſulæ hujus in-

colæ ſubterranea domicilia ſibi conſtruunt, quorum parietes piſcium oſſibus erigunt. Lignorum autem penuria laborant, perexiguæ ſiquidem arbuſculæ raræq; hîc pullulant. Sed ſummus ille rerum gubernator his neceſſaria annuatim ſatis copioſé largitur. Ex ſeptentrionali nempe plaga quamplurimæ variæq; ac proceræ arbores turbine ventorum eradicatæ, immaniq; agitatæ procella his littoribus, naufragii inſtar, appelluntur, quibus incolæ abundé utuntur. Ajunt præterea, perſæpe audiri hîc ſpiritus ſe mutuó alloquentes, propriisq; nominibus ſe invicem appellantes, & vivis hominibus nonnunquam apparentes, quibus ſe ac ſua nomina, qui ſint, indicare perhibentur. Et in quibusdam ejus Inſulæ locis, ignis viſu horribilis per ſe excutitur, procul jactatur, rotaturque. Compluraq; alia tum viſu tum auditu mirabilia hujus incolæ ineſſe aſſerunt, quæ brevitatis causâ omittuntur.

X. De his qui cervis vehuntur.

Hujus regionis incolæ ferinis moribus imbuti, ſolitudinem incolunt, ſylveſtresq; omnino ſunt; pane & vino penitus carent, cervos cicures ac mites reddentes, horum dorſis invehuntur. Cumq; hominibus magis ad Septentrionem vergentibus bella ſemper ineunt, Nocturnis nomine appellatis, quia ſuas ipſorũ res tam publicas quàm privatas noctu, quemadmodum apud nos die noſtrates peragunt, eisq; hoc evenit, quia á 14. Septemb. die uſque ad 16. Martii, adeó breviter dies eorum ſemper avolat, ut vix unius horæ ſpatium contineat. Ea gens peſſima eſt, graſſatrixq; & omnimodis latrociniis deditiſſima, adeo ut nullus viator ea loca adeat, quin ab iisdẽ Nocturnis occidatur ſpolieturq;. Pauló autem ulteriús á Nocturnis Africam verſus, monſtra quædam ineſſe ajunt, quæ quidem toto corpore hominibus, capite veró porcis ſimilia ſunt; grunnientes porcorum inſtar ſe mutuó intelligunt.

XI. De his qui solem venerantur.

Eorum qui in hac regione degunt, quidam Solem adorant

rant, alii veró exsurgentes lecto quicquid primum viderunt. Alii item frustum panni rubri hastæ affigentes venerantur numinis instar.

XII. De his monstris, quæ præ-grandes habent aures.

Sunt hîc monstra hominibus similia, quæ adeó demissas prægrandesq; habent aures, ut his totum corpus operiant. Ulteriusq; Orientem versus quosdam homines inesse perhibent, quorum genua & pedes junctura carent, deguntq; sub ditione magni Canis, in illa insula, quæ Balorem eorum nomine dicitur. Hæc quinquaginta dierum iter continet. hi homines sylvestres omnino sunt, montium nemorumq; cultores.

XIII. De Preste Joanne.

Hic potentissimus ille regum degit Aziimbe, Auxanceq; civitatibus imperans, quem vulgus Preste Johannem appellant, cujus ministerio astricti sexaginta reges versantur, quorum jus potentissimorum regum felicissimam sortem divitiis suis explens, quippe qui nunquam bello aut ullis prælîis victus, sed sæpe á Troglodytis nudo nigroq; corpore populis Meridiei, maxima cum victoria triumphans rediit, qui cum promontorio Bonæ Spei conterminat. Inter quos genus quoddam horum hominum non loquitur, sed sibilis tantúm se invicem percipere solent. Hunc itaque haud Preste Johannem illum esse facilé constat, cúm is Eois ac Meridionalibus Indis imperaret, donec Thenis primus Tartarorum rex crudelis belli congressu quodam eum superans feliciter prostravit, ejusque imperium armata manu usurpavit, Christicolisq; quoscunque ibi invenerat, impuné religione sua uti clemens concessit: ipsis regem statuit ejusdem fidei, qui mitissimé eos regeret, ac benigné tractans gubernaret, Georgium nomine; cujus deinceps successores idem sibi nomen vendicabant, quemadmodum Marcus Pollus copiosiús refert.

XIV. De uxoribus, quæ cum maritis mortuis viva se ultro pyra comburebant.

Hujus provinciæ regniq; Bengolæ potentissimus rex est, qui pluribus ingētibus ac insignibus & maximi commercii civitatibus dominatur, estq; incredibili propemodum conjunctus necessitudine, cum invictissimo Lusitaniæ rege, quo-cum perpetuo fœdere pacem inivit, unde ingens ei copia provenit cinnami, gariophylorum, zinziberis, piperisq; & sandalorum, bombycis. Eorum moris fuisse ajunt, cadavera cremare, & si uxoratus aliquis é vivis decessisset, cum eo vivam ejus conjugem in rogo mariti comburere, credentes illam ad alium orbem migrantem, eo ipso usque frui, cum quo hic vitam egerat, cujus res hujusmodi erat. Conjuge mortuo, uxor ejus convivium vivis solenne parabat, defunctoque parentalia, induebaturq; auro & peplo pretiosissimo, omnibusque jocalibus quæ possidebat, & ad lautas epulas illas omnes cōfestim tam sui quám mariti affines & amici properantes convivabantur, quibus postquam exemta fames epulis mensæq; remotæ; tunc illa convivis omnibus & funerali pompa stipata, ad pyram accedebat, exultansq; canebat & tripudiabat. Quó ubi pervenerant, mariti cadaveris igne dejecto ipsa deinceps in rogum desiliebat, extremū vale omnibus dicens; & quo hilariori vultu in flammas se projiciebat, eó majori se suosq; omnes honore afficiebat. Enimveró vanus ille ritus & detestanda religio evanuit, ex quo gens Lusitana eorum commercio utitur. quippe quæ diu eos admonēs, pessimum facinus illud dedocuit, quæ omnia Deo displicere facilé nunc persuadentur.

XV. De Tartarorum Principe, quem vulgus magnum Canem appellat.

Princeps ille Tartarorum, quem vulgó magnum Canem nominant, locupletissimus potētissimusq; esse perhibetur: jubetq; superbissima nomenclatura se regem regum ac potentissimum omnium principem nominari. Huic morem esse ajunt, iis viris omnibus, qui in ejus aula suo ministerio astricti versantur, tredecim diebus festis, quos

quos summo honore quotannis peculiari ritu celebrat, recētes pretiosasq; vestes pro cujusq; meritis dare; donatque his omnibus festis etiam singulis zonas, tibialia, caligas, galeros vel umbellas, auro, margaritis, ac pretiosis gemmis circumseptas, ut cujusvis merita sunt. Vestium autem numerus, quas singulis annis largitur, sex millium supra centum quinquaginta proditur, quæ omnia & sua festa colendi ac extollendi, & proprii nominis celebrandi gratiâ diligentissimé fieri curat; qui mortuus in montem, cui ALCAI nomen inditum, tumulandus effertur. Porró efferentes, quotquot inter eundum obvios habent, pro victimis occidunt. Ajunt siquidem par esse eos suũ principem comitari, cui alio orbe debita servitutis officia sint præstanda. Mactant etiã equos, omnes camelos ac mulos, quibus vivens utebatur; persuasum habentes, ea omnia suo principi post mortem servitura mortuo. Horum Tartarorum Principi, quem magnum Canem appellari diximus, trecenta hominum millia in itinere, cùm in montem, ut diximus, deferretur, ab efferentibus reperta cæsa sunt, autore Marco Pollo lib. 2. cap. 24. Asserit hoc idem Florentinus Pogius, qui á secretis fuit Eugenii Papę quarti lib. 2. de fortunæ mutatione, qui non dubia esse, quæ á Pollo scripta sunt, apertissimé demonstrat.

XVI. DE TAPROBANA INSULA.

Taprobana quænam sit, & ubi terrarum sita, varié authores sentiunt; ex quo ab incolis Bæticæ regionis, nec non Lusitaniæ, mare Indicum navigari cœptum est, utq; á Ptolemæo secundùm latitudinem graduum ac longitudinem ejus describitur; neminem latere censeo. Nonnulli veró neotericorum, qui incognita loca nobis nota tradidere, Ceilam insulam Taprobanam esse, ore uno asserunt: alii eam Camatram esse contendunt. Plinius lib. 6. cap. 22. hujus meminit, dicens; Taprobanam alterum orbem terrarum esse diu existimatum, Antichthonum appellatione. Alexandrum autem tradunt primum extitisse, qui eam Insulam esse non orbem indicaverit. Utq; Onesicritus classis ejus Archithalassus refert, hęc insula majores pugnacioresq; habet elephantos omnibus quos to-

ta insula enutrit; cujus insulę Megasthenes longitudinem septem millibus stadiorum, quinque veró millibus latitudinem ejus metitur. Nulla civitas mœnibus vallatur, septingentæ tamen ejus provinciæ villæ numerãtur. Adhuc sub ditione Claudii circa primam sui imperii gubernationem hujus Insulæ Oratores Romam petiere, hac de causa & ratione. Libertus Danius Plocamius á Romanis vectigalia & proventum maris rubri redemit; dumq; Arabiam obnavigat, septentrionalis vẽtus eum ab ea procul disjecerat, ut quindecim elapsis diebus cuidam hujus insulæ portui appulerit, cui nomen Hippurus. á cujus rege benigné hospitio susceptus est, postque sex menses, cum ejus idioma satis apprimé addidicisset, ac longo sermone regem alloqueretur, maximam Romanorum justitiam, summamq; eorum Imperatoris rectitudinem enarrabat. Cumque rex diversum genus monetæ Romanorum diu circumspiceret, quod Libertus secum attulerat, varia Imperatorum imagine impressos nummos: pondus veró æqué omnium idem animadvertens, maximé admiratus est. Unde confestim ad Romanorum Imperatores oratores legavit, qui perpetuum cum eo pacis fœdus inirent, cui cum sociis Rachias oratorum ejus celeberrimus Claudium conciliavit, ex quibus Imperator quingentas huic Insulæ civitates inesse facilé percepit, inque sua cæli plaga septentrionalem Arctum, & Vergiliarum ortum minimé videri; quibus conspectis admirabantur. siquidem hæc sidera suæ regioni incognita esse, & nunquam apparere asserebant. Præterea Lunam ab octavo ad quintum decimum usq; diem tantúm prospici ajebant. Illud omnium maximé eos admiratione afficiebat, quód umbræ dextrorsum ad nostrum polum vergerent, cúm sua ipsorum regione sinistras ire semper intuerentur, solemq; dextera exoriri, læva veró occidere. quibus de causis & rationibus constat, Arctum in hac insula, cui Libertus appulit, nunquam videri. quodq; Libertus insulam S. Laurentii, non autem Taprobanam adiit. Siquidem ex Liberti cursu & navigatione, enarrationeq; oratorum ad Tiberium (ut dictum est) insula cui ipse libertus Danius Plocamius appulit, haud Taprobana fuit, sed potius insula D. Laurentii. Huic

tii. Huic insulæ moris est: ajunt, regem é senioribus eligere communibus omnium suffragiis, qui clementia, comitate, ac ingenui animi benignitate longé omnes superet, quiq; sine liberis ac prole sit. Hic itaq; sceptro jam potitus, si interim liberos adeptus fuerit, confestim regia potestate privari solet. Tempore autem quo is deligitur, triginta consiliarii, qui regi assistant, decernuntur. hic autem neminem morti adjudicare potestatem habet, ni priús major eorum numerus ipsi suffragetur. Adhæc jure reo permittitur, qui á rege & ejus consiliariis morti adjudicatus est, populum in sui defensionem provocare. Hic protinus septuaginta legum peritissimos ac justissimos judices deligit, qui ejus causam diligenter examinant. Hi, si reum mortis iniqué condemnatum communi omniũ consensu compererint; eum ilicó vinculis solvunt, ac pristinæ libertati restituunt. Consiliarios veró qui reũ moriturum censuerunt, injustissimé regio privant munere, ac perpetua eos ignominia afficiunt.

XVII. Inscriptio seu Titulus *Auctoris*.

Sebastianus Cabotus Dux & Archigubernius sacræ Cæsareæ Catholicæ majestatis, divi Caroli Imperatoris, hujus nominis quinti, & regis Hispaniæ, summam mihi manum imposuit, & ad formam hanc protrahens, plana figura me delineavit, anno ab orbe redempto, nativitate Domini nostri Jesu Christi 1549. qui me juxta graduum latitudinem ac longitudinem, ventorum situm, tam docté, tam fideliter, navigatoriæ chartæ instar, descripsit, Geographi Ptolemæi authoritatem, peritiorumque Lusitanorum fidem secutus, nec non ex usu atque industria longæ navigationis, integerrimi viri Joannis Caboti, natione Veneti, atque Sebastiani astrorum peritia, navigandiq; arte omnium doctissimi ejus filii, auctorisque mei, qui aliquotam orbis partem diu nostratibus clausam aperuerunt. Quapropter me fida doctissimaq; magistra, seu hydrographica charta utens, quocunq; est animus, mare metiri poteris, acus nauticæ variatione observans, qua ad Arctum vertitur, cujus rei argumentum est; si ex sacro

promontorio nauticũ ſolveris; Celticum promontorium petiturus, navim licet protinus ad Arctũ dirigere jubeas, hydrographica acu, quo curſu recto tramite finis terrę appuleris promontorio: iter tamen quod vere navis tua peregerat, non rectá ad Arctum, ſed Arctum verſus ad quartam Cæciæ fuit navigatoria. Siquidẽ acus, etſi recta linea é ſacro promontorio ad oram finis terræ curſum demonſtret; ad Arctum nihilominus tamen quarta parte ab Arcto ad Cæciam diſtare certũ eſt. Quapropter cúm navim acu nautica ad Arctum regere jusſeris, erit navigatio tua per quartam ſeptentrionis, Cæciam verſus. Eandemque navigationis conſiderationem obſervabis, cúm é Salmedina brevi ſcopuloſoque mari, in exitu portus S. Lucæ ad Nagæ oram Tenerifiæ inſulæ navigare decreveris, tunc ſiquidem ad Libem ſeu Africũ navim regere ſtudeas, hydrographicæ chartæ obſervatione; rectus tamen itineris curſus nauticæ acus probabiliore fide per Africum quarta & eó ampliús Auſtrum verſus procul dubio erit. Salmedinæ nempe ad Nagã navigatio quarta longé minús quám hydrographica charta indicat, nautica acus demonſtrat. Unde pro comperto habebis, cúm é ſacro promontorio jãm ſolveris, ſeptentriones petiturus, quod iter tuum erit per quartam Arcti Cæciam verſus. Eodem modo ſi é Salmedina ad Nagam Tenerifiæ inſulæ adnavigaveris ad Africum; navis tuæ curſus erit per quartam Auſtri. Eadem ratione ſigillatim uti poteris, in quavis hujus deſcriptionis parte, acus magnete fricatæ variationem obſervans, quam cum Arcti ſidere varié operatur, quippe quæ non aſſidué, neque ex omnibus locis ſeptentrionem ſpectat, (uti plebs indocta cenſet) cúm Magnes lapis ille (ut patet) nullam habeat vim dirigendi navigatoriam acum, ex omni parte ad Arctum. Quin potius (ut experientiâ conſtat) chalybem volubilem immotum reddere rectâ linea, non autem circulari, ad quemvis ventorum Arcto proximum. & hac de cauſa acus nautica uſque variatur. Nam ſi eadem acus aſſidué & ex omnibus locis verteretur ad Arctum, nulla fieret ejus variatio, utpotè quæ per circularem lineam ſemper viam demonſtraret. Ex quo ſequeretur; eundem æquidiſtantem ſeu parallelum frequẽtare, quod nullo

nullo modo continget rectâ lineâ circularem formam adeunti. Porró unum hoc adnotabis, candide lector, quo magis ad solis ortum vel occasum á linea meridionali secedes; ubi acus nauticæ depictum lilium directé arcum ostendit; eó magis ab Arcto te distare pro comperto habebis. Unde satis liquet, acum nauticam rectâ lineâ, non autem circulari, viam demonstrare. Adnotandum igitur est, quód linea meridionalis quâ acus nauticæ lilium rectissimé septentriones ostendit, distat á Florum insula 30 parasangis, quæ quidem ultima Accipitrum insula est occidentem versus, juxta peritissimorum omnium navium gubernatorum consensum opinionemq́; nec non ex eorum solerti experientia, quam diutina assiduaq́; navigatione suo jure profitentur. siquidem Atlanticum mare & Indicum indies remetiri assueverunt. At hæc Sebastianus Cabotus, meus autor, occidentalem Oceanum adnavigans, ad æquor quoddam devenit, & plagam, ubi quarta parte Septentrionum juxta Ceciam ventum acus navigatoriæ lilium illi rectissimé Arctum ostenderet. Quibus de causis & rationibus & tutissima navigandi experientia apertissimé constat, defectus & variationes acus nauticæ crebró fieri cum Arcti observatione.

XVIII. De Ciapangu.

Ciapangu magna Insula est, vasto sita mari, milleq́; & quingentis milliariis distans á continenti, quam Tartarorum princeps tenet, ad eam regionē vergens. Incolæ idola colunt, moribus ac forma honesti, rege libero, nulliq́ue principi obnoxio gubernantur, qui nimia auri copia inde extracta ditissimus est; quod quia ipsa á commercio hominum longé semota est, nullisq́; mercatorum navibus accessus patet, extra insulam nunquā exportatur. amplissimam rex in ea basilicam habet, aureis laminis duorum argenteorum crassitudine ubiq; contectam. Ejus fenestræ ac columnæ aureæ omnino sunt, & quod mirabile visu est, margaritis & gemmis non paucis exornatæ: cujus insulę opes cúm magno Cani fama differētē pernotæ essent, eó ipsam expugnaturam profectus est. Quo cúm magnæ ejus copiæ perveniſſent, expugnare nequierunt. Auctor est Marcus Pollus cap. 106.

XIX. De Mari Scythico.

Plinius 67.cap.2.lib. his feré verbis ſcribit: A Gadibus columnisq; Herculis Hiſpaniæ & Galliarum circuitu totus navigabatur occidens tempore Auguſti Imperatoris. Septentrionalis veró Oceanus majori ex parte navigatus eſt auſpiciis ejusdem Divi Auguſti, Germania claſſe circumvecta, ad Cimbrorum promontorium, & inde immenſo mari proſpecto aut fama cognito, ad Scythiã plagam, & humore nimis rigentia, propter quod minimé veriſimile eſt, illic maria deficere, ubi vis humoris ſuperet. Juxta veró ab ortu ſub Indico mari, ſub eodem ſidere pars tota vergens in Caſpium mare, pernavigata eſt Macedonum armis, Seleuco atque Antiocho regnantibus, qui & Seleucida & Antiochida ab ipſorum nominibus appellare voluere. Circa Caſpium quoq; multa Oceani littora explorata, parvoque breviús, quám totus hinc aut illinc Septentrio eremigatus. Præterea Cornelius Nepos tradit de Septentrionali circuitu; Quinto Metello celeri, Caji Afranii in conſulatu collegæ, ſed tum Galliæ Proconſuli, Indos á rege Suecorum dono datos, qui ex India commercii cauſa navigantes, tempeſtatibus fuiſſent in Germaniam abrepti.

In Rosimundam Henrici secundi Anglorum regis amicam in cœnobio Godſtovejo.

Hoc jacet in tumulo Roſa mundi, non roſa munda;
Non redolet, ſed olet, quæ redolere ſolet.

POLO-

POLONICA.

CRACOVIAE.

IN CRACOVIAM JUL. CÆS. SCALIGER.

Martia Sarmaticis tentata Croatia nimbis
Arcigeri pugnax ſpicula fregit equi.
Hinc belli fortunam armis, finemq; ſequuta
Germana Herciniis expulit arma jugis.
Quaq; patet ſolis fugiens Lituania campis
Victrici impoſuit Martia ſigna manu.
Moſcoviisq; docet, Turcisq; auguſta trophæis,
Vicinis quantum ſit bene tuta quies.
Teſſera certa manu ſtat belli, & pacis: utramvis
Si des, accipiam: vel cape, namq; dabo.

INSCRIPTIONES.

Sig. Auguſto, Sig. F. Caſim. N Jagellonio, Poloniarum regi, & magno Lituaniæ ac reliquæ Sarmatiæ Duci ac Domino, qui acciſis R. R. vectigalibus recuperandis, & Lituanis ac Pruſſis ad regni corpus aggregandis, vindex dici meruit legum pubb. Regi ipſi, & regum filio, nepoti, pronep. abnep. qui nulla ſuſcepta ex tribus uxoribus ſobole, eundem, heu, vitæ ſuæ, & ſtirpis ac Imperii Jagellonidar. qui bis centum prope annos in Polonia, hoc amplius etiam in Lituania, imperitarunt, terminum habuit. Princeps conſilio quám facto promptior: utroq; etiam ſupra fortunam mitior: totus induſtrius, patiens, lentus, benignus. moritur Cniſſini Non. Jul. Anno orb. red. M. D. LXXII. regni ſui XLIII. ætatis ſuæ LII.

Anna soror infans Poloniar. Frat. & Reſſ. principi opt. orbæ ac lugentes poſſ.

In arcis Cracoviensis porta.

Ama oſurus. * Odi amaturus.
Ne quid nimis.
Cunctis eſto benignus. Nemini blandus.
Paucis familiaris. Omnib. æquus.
In adverſis fortis. In proſperis cautus.
Memorare noviſſima, & non peccabis.

In regii conclavis janua.

Digito compeſce labellum.
Occaſionem noſce.
Noſce teipſum.
Tecum habita.

In Sacello, a Sigismundo I. Pol. Rege exſtructo.

Non mirere hoſpes decus hoc ſublime ſacelli,
Saxaq; Phidiaco ſculpta magiſterio.
Hoc ſtatuit Sigiſmundus opus, qui ſtruxit & arcem.
Clarior hic recta ſed ratione labor.
Illum ne credas, dum momentanea condit
Atria, perpetuam poſtpoſuiſſe domum.

Bonus, bonis & malis.
Manſuetioribus Camœnis.
Injuriam odio proſequere.
Fata viam aperient.
Vir prudens ſervit tempori.
Virtus labore niteſcit.
Pro patria mori ne timeas.
Injuriarum remedium optimum oblivio.

Mors bona initium vitæ.
Inimici hominis domeſtici ejus.
Nonne duodecim horæ dici?

Summum

Summum lucrum justum precium.
Nemo sapiens, nisi patiens.
Idonea tempora nosce.
Prudens consilium cum ratione rege.
Invidiam oblivione ulciscere.
Nulla bestia nocentior adulatore.
Intestina discordia pestis Reip.
Supra vires tentandum nihil.
Patienter ferenda quæ mutari non possunt.
Operosum placere cunctis.
Fraude perit virtus.
Quod facis, expecta.
Leges in plebem vim habent: In potentiorem obmutescunt.
Citó violatur auro justitia.
Nescias quod scis, si sapis.

In ædibus Lithuaniæ Ducis *D. Alberti Razevvil.*

Minús in parvis fortuna furit.
Rebus in parvis alta lætitia.

Sola sub occiduo virtus manet orbe perennis,
Omnia mortali cætera sorte cadunt.

Aliud.

Johanni á Mielecz, Stanislai F. gente Griffo, Palatino Podoliæ, summo regni Poloniæ Marscalko, Samborienſi & Grodecenſi Capitaneo, viro clarissimo, qui ab ineunte ætate maximis iisque continuis bellis, vel hostibus cæsis, vel ipse vulneribus exceptis, & fortissimi militis, & strenui ducis laudem persæpe meruit. Summis demum non raró periculis liberatus, digna ob egregiam fidem & præstantem virtutem suam, collatis maximis honoribus, præmia obtinuit. Postea ad bellum Livonicum, summo cum imperio, magno omnium cum consensu proficturus feliciter, nec dum armis expeditis, pacem á Rege Livonibus petere coactis, incolumem exercitum suis restituit. cujus constans in D. O. M. pietas, in gubernanda

R.P. ſpectata fides, in magiſtratu ſine acerbitate gravitas, erga ſuos par comitati benevolentia, in omnes æquitas, chara inprimis Deo, grata hominibus, immortalem nomini ipſius laudem apud omnes pararunt. Mortuus anno 1561. ætatis ſuæ 60. Anna á DalcioW, ex vetuſta Colorum gente, marito, & Nicolaus filius unicus patri deſideratiſſimo, ad monumentum ejus poſuerunt.

ALIUD.

Illuſtris & magnifici viri, animi celſitate, virtute atque integritate ſenatoris clariſſimi, Martini ZboroWii de RithWiani é gente ſtemmatibuſque Gaſtrembeciorum, patre Andrea ZboroWio, & matre Eliſabetha Sſidlovecia progeniti, Caſtellani Cracovienſis, & præfecti Stobnicenſis digniſſimi.

Aſſertor patriæ qui libertatis in omni
Vita, cum magna virtutis & integritatis
Laude fuit, tumulo ſitus eſt Martinus in iſto
Zborovius. ſimiles natos in honoribus amplis
Poſtquam vidiſſet, generis nataſq; pudicas
Eximiis de gente ſua Lithavaq; locaſſet
Patritiis; quorum eſſe aliquos nunc membra videmus
Conſilii auguſti. ſic ævo rité peracto
Mortali, atq; opibus magnis juſté ille paratis,
Extinctus placidé, caliq; receptus in arce eſt.
Caſtellanus erat tum Cracovienſis, & Anna
Sancta tori conſors hoc poſteritaſq; locarunt
Sarcophago corpus, ſumma quod luce reſurget.

ALIUD.

Annæ illuſtris & magnifici viri Martini á ZboroW Caſtellani Cracovienſis conſorti cariſſimæ, Staniſlao Conario ex Sophia Lanckorunska progenitæ, matronæ quæ per omne mortalis hujus ævi tempus ſancté & inculpaté vivens, priſcis illis Heroidum Chriſtiani nominis matronis æquari poterat, poſteaquam octo filiis & totidem fœmellis in lucem editis domum Zboroviam præclara auxit ſobole, & ſeptuageſimum ſextum ætatis annum attigit;

git; placidé anno salutis M. D. LXXV. prid. Calend. Decembris extincta, ad cœleste beatorum migravit consortium. Filii filiæq; superstites ad perpetuam posteritatis memoriam hoc monumentum mœrentes posuerunt.

Fœminei exemplar jacet hîc pragrande pudoris
Anna Stanislai filia Conarii.
Quæ genitricem habuit Sophiam virtute nitentem,
Lanckorunseo sanguine progenitam.
Cúm teneri tria lustra forent ævi illius, uxor
Martino fausté est tradita Zborovio.
Bis quatuor siquidem pueris totidemq; puellis
Hunc fecit fato prosperiore patrem.
Vidit & auctum opibus magnis, & honoribus amplis:
Nam Castellanus Cracovienſis erat.
Unâ vixerunt ita quinquaginta per annos,
Sed rapit é vivis mors priús atra virum.
Illa quoq; undecimo póst letho extinguitur anno,
Andreæ festo sole cadente die.
Mille & quingentis & quinq; ubi junxeris annis,
Septenas decades mortis hic annus erit.
Hæc ita dum vixit, natos in honoribus amplis
Egregios vidit, qualibet arte viros.
Vidit & his similes é prole utraq; nepotes
Indole. num dici jure beata nequit?

ALIUD.

Stanislaus Bojanowski ex majori Polonia patriis bonis contentus esse nolens, aulam & ejus promissa secutus, anno 1565. octava Junii Cracoviæ moritur, antequam vivere didicisset. ætatis suæ anno 48.

ALIUD.

Bernardo Joapowski J. U. Doctori, Cantori Cracoviensi, Cubiculario Apostolico, & Regio Secretario, viro erudito, carmine & prosa excellenti, patruus posuit. Scripsit historiam Polonorum, ex qua quantum ingenio valuerit, posteris judicandum reliquit. Obiit XXI. Novemb. anno 1535.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ALIUD.

Illustri ac magnifico Domino Johanni Comiti in Tarnow, Castellano Cracovienſi, exercituum regni Poloniæ ſupremo Duci, ac Sendomirienſi, Strienſi, Lubaczovienſiq; Capitaneo; viro in conſultando prudentiſſimo, & bellando fortiſſimo. Qui cúm regiones longinquas peragrando ſepulcrum Domini adiiſſet; & Regis Luſitaniæ copias contra Mauros cum maxima laude duxiſſet; domiq́ue & in pace, prudentia, gravitate, doctrina, integritate, jurisperitia, juſtitia, liberalitate, urbanitate, facundia, ſumma in omnes humanitate, & in bello, præſertim Moſchico & Valachico, mira facilitate, fortitudine, ſcientia rei militaris, vigilantia, experientia, & duro labore, aliisq́ue ampliſſimis virtutibus & rebus geſtis cumulatiſſimus claruiſſet; vitam hanc fragilem, exactis 73. vitæ ſuę annis, in ſancta catholica fide in curia ſua Viecojonēſi, anno Domini 1561. die 16. Maji, non ſine lacrymis multorum, morte complevit. Conſtantinus Dux Oſtrorogiæ Palatinus Kiovienſis, ſocero ſuo obſervantiæ ſuæ multis nominibus debitæ ſignum, monumentum hoc, in quo ſitus eſt, erigi curavit.

PORTÆ GRATULATORIÆ in nuptiis Polonicis, Anno 1592.

O divam haud hominem referens, lectiſſima virgo,
Sis felix, fauſto hæc limina tange pede.
Progredere Auſtriacas inter pulcherrima nymphas,
Delicia ſponſo virgo futura tuo.
Expectata venis, regali ſede toroq́;
Digna hominum pridem judicióque deûm.

CALLIMACHI ITALI.

Exuvias præter pellemq́; atq; oſſa Latini
Nil hîc Callimachi terra Polona tegit.
Illa Boryſthenides rapuêre, tenentq́; Camœnæ,
Quarum primus amor, gloria prima fuit.

Hæc

Hoc perfecturus, si copula longa fuisset,
Venissetq; suo justa propago toro,
Sarmatide é nympha: ne barbara terra videri
Posset, Romanæ vel minús apta togæ.
Sed mors invidit, qua nil odiosius, atqui
Qua feritas tacito non caret opprobrio.
Æneus est tumulus, mors ænea, & æneus ille,
Qui legit hæc siccis tristia verba oculis.

Stephanus Magnus Rex Poloniæ Magnusq;
Dux Lithuaniæ,
Princeps Transylvaniæ,
Victor, triumphator, pater patriæ,
Stephano Palatino, Catharinaque
Telegdia,
Natus anni 1533. 5. Calend. Octobris.
Excessit 1586. Idid. Decemb.
Regnavit annos decem, menses VII. dies
XII. judicia constituit;
Livoniam, Polotiamque provincias recepit:
Fines Lithuaniæ latissimo Velisiensi
agro adjecto, protulit:
Perterritis Mechmete primúm, ac deinde Aschlan, Chereis,
Tattarorum Chamis,
Podoliam pacatiorem cultioremque reddidit,
Amuratem, Turcarum Imperatorem,
Ut Tattaro pacem legatione
missâ peteret,
Et Benederia á Kosacis deleta, nil
moveret,
Novaque castella finibus imponi
pateretur,
Opinione virtutis permovit, continuitque:
Stipendium majus, Transylvaniæ Imperium ineunti Sigismundo, fratris
filio, impuberi:

Imponere molientem deterruit:
Janiculam, Valachiæ Regulum, ob injurias,
quas vicinæ nobilitati
Intulerat, dejicere adegit;
Thesaurosque, qui cum ipso Valacho
in potestatem suam venerant,
repetentem sprevit:
Omnium regum, Principum, ac populorum, nationumq; cum ora in
se convertissent:
Majora pro re hac publica & Christiana animo agitans:
Ac inprimis Moschoviam Poloniæ Lithuaniæq; aggregare studens, sexta die
subitó extinctus est.
O mors invida
Non extinxisti virtutem Bathoream,
Immortalis est.

Stephano Poloniæ Regi, Victori, Triumphatori, pio, patri patriæ &c. Joannes de Zamoiscio Cancellarius & summus dux exercituum Regni &c. vitâ, quam saluti gloriæque ejus omnibus bellis periculisque devoverat, Deo, non se ita volente, superstes, has lachrymas, cum Griselide Bathorea, uxore sua, regi, patrono, affiniique suo fundit:

Viveres, Stephane Maxime, viveres,
Nec Polonia, Ungariaque, ac
Nomen Christianum lugeret.
Nec improbi barbari gauderent.
Sed vivit Deus, haud solido exultabunt gaudio.

In foro Cracoviensi.

Non bene si domus hæc cuiquam fabricata videtur,
Sic sinat hanc nobis, corrigat ipse suam.

Ibidem.

Ni Deus ædificet, frustra domus ulla paratur.
Felices cives dat q; facit q; Deus.

Infeli-

Infelicitas nemini objicienda.
Bona opinio, dulcis pecunia.
Adsit quisquis amicus.
Mors deridet curas.
Est Juppiter omnibus idem.
Nescia torporis virtus.
Desperata ne tentes.
Perficienda aggredere.
Ubi opes, ibi amici.
Vana mundi curiositas.
Necessitas probat amicitias veras, detegit fictas.
Wenn der Neid brente wie fewer/
So wer das holtz lang nicht so tewer. quod ita Latinum fecimus.
Instar si flammæ arderent corda invida; sané
Non tanto in precio ligna cremanda forent.

IBIDEM

Vetus hic & usitatus hypocritarum mos est, quód impietatis, cui ipsi maximé omniũ obnoxii sunt, alios, eosq; innocenter, accusent, ac eo quoq; nomine trucident.

IBIDEM.

Curiosum genus hominum ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam.

IN ARCIS POSNANIENSIS PORTA.

Quantó major est fortuna; tantó minús est secura.

IN ANTIQUIS PALATINI POSNANIENSIS ædibus.

Sumtus censum ne superet.
Generosis decora sunt omnia.
Difficile est tacere.
Parta labore juvant.
Responde in tempore.

Mala sunt vicina bonis.
Anxié vivere non est vivere.
Ne bos in lingua.
Lædenti parcere virtus.
Moribus probatus esto.

In novis.

Neminem contemne.

In curia Posnan.

Tyrannus facit quod placet;
Rex quod honestum est.

Ubi est temperata potestas, ibi regnum est diuturnum.

In Foro.

Non cuivis manum porrigas.
In via ligna ne feces.
Aëris alieni comes miseria.
Tempora tempore tempera.
Carere debet omni vitio, qui in alium paratus dicere est.
Præcipitis consilii comes est pœnitentia,
Ne lingua mente celerior.
Antidotum vitæ patientia.
Naturâ quis pauper? opinione dives.
Fortuna cúm blanditur, vel maximé fugienda.
Sat habet fautorum, semper qui vixit bene.
Quod satis est cui contingit, nihil ampliús optet.

Veraci creditur, & mentienti:
Mendaci non creditur & jurato.

Si ad naturam vives, nunquam eris pauper.
Si ad opinionem, nunquam eris dives.
Natura enim exiguum desiderat:
Opinio autem immensum.

Non be-

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Quod commodavit fortuna, tollet:
Quod mutuavit fortuna, repetet.

Quod paraverit virtus, retinebis.
Invidiam virtute supera.

Demosthenes Græcorum disertissimus leges animam civitatis esse inquit. Ut enim corpus animâ vivit: sic civitas legibus conservatur. Proinde naturæ & suiipsius obliviscitur, qui sacratissimas constitutiones, patriasque leges aversatur.

D. Hieron.

Illam senex retinebo fidem, in qua puer sum natus.
Semper spero meliora futura.

Wer hie auf erden gute tag wil han/
Der nem sich Christi nicht vil an/
Denn wer hie Christum recht bekent/
Muß das Creutz tragen biß ans end.

Suavissimus post laborem fructus.
Mors & tempus vorant omnia.
Vita sine literis mors est, & vivi hominis sepulcrum.
Omnia sunt mundi quasi bulla caduca rotundi.
In pratis ut flos, sic cadit omnis honos.

Sapientia vitæ custos.
Ornatus vitæ temperantia.
Fundamentum famæ justitia.
In parvis quies.
Amicos facit benevolentia.
Velis quod possis.
Vive, ut póst vivas.

Fortunæ aculeus virtute contunditur.

Pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas.
In secundis meditare quo pacto adversa feras.

Senectus laudabilis duobus quasi scipionibus nititur: recordatione vitæ honestæ anteactæ, & spe vitæ melioris.

Non sapias plus quám necesse est.

Bonorum laborum fructus glorioſus.

Διὶς πρὸς ἀυτὸν αἰσχρὸν εἰσπρέειν λίθον.

Primus error veniam meretur, repetitæ culpæ non venia, sed reprehensio debetur.

Pax iniquissima bello justissimo præferenda.

VILNÆ IN LITUANIA.

EPITAPHIUM EQUI STEPHANI REGIS POLONIÆ, QUI EODEM DIE, quo regis frater dominus Transylvaniæ extinctus est, exanimis concidit.

Regis equus Stephani forma gressuq́; superbus
Et cursu velox prope Vilnæ conditur arcem,
Qui moriens Regis fratrem præsagiit esse
Sublatum é vivis: docuit quod fama secuta.
Huic statua erecta est monumentum testis equini.

HIEROSOLYMÆ.

AD S. SEPULCRUM QUOD VOCANT Hierusalem, Bethleem & Nazareth.

JUL. CÆS. SCALIGER.

Hic genua, hic animum, hic lacrymas, hic carmina pone:
Mensq́; mea ad patrium subvolat aucta polum.
O promissa novo, populo promissa vetusto:
Quæ libertatis jura beata dabas:

Cur vi-

Cur vidua, orba, jaces? ſancti quæ vulnera vultus?
Quis fuit, atherius qui ſcidit, ille, genas?
Quam te terra canam? cœlum quæ facta ſerenum es;
Nos facti é cœlo ſordida terra ſumus.
Tu nec laudis eges: nec noſtro augebere cantu:
At me abs te dici, gloria utrinq; tua eſt.

INSCRIPTIO S. SEPULCRI.

Hac ſub clauſura recubat Chriſti caro pura,
Sub cujus cura ſemper ſtat noſtra figura.
Eſt Deus hic tantus natus de virgine quantus,
Militiæ caput hic, mundi medicina jacet hîc.

ALIUD IBIDEM.

Sum Deus, ex quo carnem ſumſi, ſed ſine nævo.
Plebs mea me ligno fixit pendente maligno,
Aſpice plaſma tuum, qui transis ante ſepulcrum.
Qui triduo jacui, cum pro te paſſus obivi.
Quid pro me pateris, aut quæ mihi grata rependis?
Sum Deus & pulvis, ſed regnes ſi modó ſerves.
Pro te paſſus, ita tu pro me proſpera vita.
Pro te plagatus, pro me tu pelle reatus.

EPITAPHIUM SABBÆ CASTILIONÆI *Equitis Hieroſolymitani, quod vivens ſibi ipſe fecit.*

D. O. M.

Putredini & corruptioni reſurrecturis: utinam in melius Sabbas Mediolan. ex gente Caſtil. Fr. & Mil. Hieroſolym. Et parvo contentus vixi. Parvo contentus & ſolitarius hîc jaceo anguſtè. Qualis fuerim, nec ego ſcivi, nec tu quæras. Quisquis es, ſi pius es, deprecare Deum pro me. Hoſpes ſoſpes abi. Vale & vive memor lethi. Vivens morituro mihi poſui. Mortalium vita ortus, labor & mors. Obiit ann. Dom. Sal. M. D. LIII. die Martii.

Reliquum mortale & corruptibile fratris Sabbæ.

TUMULUS OVIDII POETÆ IN FINIBUS GRÆCIÆ & WALACHIÆ, teste Laurentio Möllero in historia Polonica & Moscovitica.

Fatum necessitatis lex.

Hîc situs est vates, quem divi Cæsaris ira
Augusti Latia cedere jussit humo.
Sæpe miser voluit patriis occumbere terris,
Sed frustra; hunc illi fata dedere locum.

IN LUSITANIA, PROPE VISEUM.

SEmicapri quicunq; subis sacraria Fauni,
Hæc lege Romana verba notata manu:
Euphorbus jaceo hîc: mecum Mercala quievit,
Quæ soror, & genitrix, quæ mihi sponsa fuit.
Ficta putas, frontemq; trahens ænigmata Sphingis
Credis? sunt Pythio vera magis tripode.
Me pater è nata genuit, mihi jungitur illa.
Sic soror, & conjunx, sic fuit illa parens.

ARRAGONIÆ.

QUó vadam, nescio. Invitus morior. Valete posthumi.

M. Posthumius eques.

IN ANTIQUISSIMIS AREVACIS HISPANIÆ COLUMNIS.

DIocletian. Jovius Maximian. Herculeus Cæss. Augg. amplificato per Orientem & Occidentem imperio Rom. & nomine Christianorum deleto, quia Rempub. evertebat.

Diocle-

Diocletiano Cæsari Aug. Galerio in Oriente adopt. superstitione Christi ubique deletâ & cultu deorum propagato.

APUD GADES, AD EXTREMUM ORBIS.

D. M. S.

SI LUBET LEGITO.

HEliodorus Insanus Carthaginensis, ad extremum orbis Sarcophago testamento me hîc jussi condier, ut viderem, si quisquam me unquam insanior, ad me visendum ad hæc usq; loca penetraret.

FINIS.

DE SEQUENTIBUS EORUMQUE SIMILIBUS,

JOACHIMI CAMERARII CAUTIO.

NON existimet hæc legens aliquis, quasi convicii aut maledicti aut cõtumeliæ caussa, hoc modo nos recensuisse sequentia: nõ enim placet mihi genus illud cavillatorium, quod ladit aliorum famam nobilem (quemadmodum poëticé posset aliquis dicere) quodq; bonam existimationem arrodit, & conatur probrum aspergere. Veruntamen quoniam scitum esse putatur, sua vitia quibus aliquis laborat non ignorare, & nulla gens aut civilis congregatio, neq; omnino genus mortale, reperitur inculpatũ penitus aut incontaminatum, non indignum docto ac bono esse duximus, exemplum hoc proponere inquisitionis, quæ utiliter in unamquamq; nationem fieri possit, ut perspiciens aliquis ignominiam aliquam gentis suæ, aut latetur sentiens se ea carere, aut conetur illam deformitatem, tanquam ánatura sibi attributam exercitationis quasi comtu occultare, & futilitatem contentione virtutis detergere. Ac veteres quidem veluti domestica probra annotaverunt trium præcipuarum gentium, Thracum barbariæ, Phrygum insipientiæ, Græcorum superstitionis: nihilominus tamen & Thraces ut fortes, & tanquam intelligentes Phryges, & sapientes Græci in admiratione fuerunt. Socratem aut Zopyrus, ex facie de ipsius natura judicium faciens, & multa atrocia ad præsentes de illo dicens, non commovit, sed veræ indicationis testem esse illi haud piguit, inquientem, ea quæ dicta essent incommoda naturæ quodammodo suæ esse implicita: seipsum veró exercitatione honesti, illa emendavisse. In humana igitur natura, ut dictum est, quod omnino inculpatum sit, non inest: divinum enim hoc erat, & hæc vita aliis noxam ante alios fert. Omniumq; quæ extiterunt, sine crimine & reprehensione nihil est. Is veró optimus, qui bonitate consilii, celeriter vincit adoriens se quasi germen agnatum mali,

ne

ne omnino pravitatis ditioni oppressus subjiciatur. Hæc ita præfatus, nunc liberé proprietates nationum exponam, hoc modo:

REGIONUM QUARUNDAM ET NATIONUM PROPRIETATES.

1. Germani bellatores, simplices, benefici.
   Ex his autem Francica natio, simplicior, & magis rustica, ac vehemens.
   Bavarica, sumtuosa, convivis operam dans, procax.
   Suevica, levis, loquax, glorioſa.
   Misnensis, magnifica, locuples, speciosa.
   Turingica, diffidens, attenta ad parva quoque, contentiosa.
   — Saxones, dissimulatores, versuti, contumaces.
   — Accolæ superiores Rheni, frugi, aperti, hospitales.
   Helvetica, conjurata, aspera, armentaria.
   Belgica, equestris, delicata, tenera.
2. Itali superbi, cupidi vindictæ, ingenioſi.
3. Hispani, despectores, consulti, rapaces.
4. Galli præditi elegantibus corporibus, intemperantes, temerarii.
5. Cimbri, magni, seditioſi, horribiles.
6. Britanni, turbulenti, negociatores, laborioſi.
7. Sarmatæ, edaces, superbi, furaces.
8. Boëmi, inhumani, novarum rerum studioſi, ad agendas prædas idonei.
9. Illyrici sive Vandali, mobiles, maligni, tumultuatores.
10. Pannones, asperi victus, cum solo aureo, superstitioſi.
11. Græca natio, qualis nunc est, misera, ut semel dicam.

MORES

	Hispanus	Gallus
Inceſſu	*Feſtinus.*	*Moderatus.*
Geſtu	*Feſtivus.*	*Mollis.*
Vultu	*Elevatus.*	*Blandus.*
Voce	*Flebili.*	*Dulciſona.*
Sermone	*Elegans.*	*Facilis.*
Habitu	*Exquiſitus.*	*Laxus.*
Cantu	*Gemitu.*	*Modulatur.*
Conſiliis	*Aſtutus.*	*Inconſideratus.*
Oratione	*Cultus, ſed jactabundus.*	*Promtus, ſed ſuperſtitioſus.*
Victu	*Delicatus.*	*Copioſus.*
Comeſſationibus	*Lautus.*	*Manſuetus.*
Erga exteros	*Placidus.*	*Mitis.*
In amoribus	*Impatiens.*	*Levis.*
In negotiis	*Vigil.*	*Solicitus.*
In bello	*Callidus, ſed rapax.*	*Magnanimus, ſed præceps.*
In odiis	*Pertinax.*	*Minax.*
Inſignis	*Navigatione.*	*Civilitate.*
Ingenio	*Malignus.*	*Levis.*
Moribus	*Arrogans.*	*Oſtentator.*

GENTIUM.

Italus	Germanus
Tardiusculus.	*Gallinarius.*
Gravis.	*Gladiatorius.*
Inconstans.	*Effrenis.*
Remissa.	*Bubula.*
Captiosus.	*Austerus.*
Compositus.	*Dissolutus & dilaniatus.*
Balat.	*Ululat.*
Providus.	*Utilis.*
Gravis, sed versutus.	*Durus, sed simplex.*
Mundus.	*Inconditus.*
Prudens.	*Imperiosus & intolerabilis.*
Officiosus.	*Agrestis & inhospitalis.*
Zelotypus.	*Ambitiosus.*
Circumspectus.	*Laboriosus.*
Strenuus, sed crudelis.	*Trux, sed venalis.*
Occultus.	*Ultor.*
Literatura.	*Religione & pluribus artib.*
Acutus.	*Stabilis.*
Sibi placens.	*Apertus.*

ALIA PROVERBIALIA.

Pons Polonicus	Monachus Boëmicus
Miles Australis	Suevica monialis
Italica devotio	Prutenorum religio
Teutonum jejunia	Gallorum constantia

NIHIL VALENT OMNIA.

DE MORIBUS ITALORUM.

IN VICTU

Florentini parci.	Neapolitani splendidi.
Lucenses elegantes.	Genuenses modici.

Mantuani viles.
Anconitani sordidi.
Senenses magnifici.
Mediolanenses copiosi.
Novocomenses luxuriosi.
Vicentini abundantes.
Cremonenses exquisiti.
Patavini mediocres.
Aretini tenues.
Veneti obsonantes parvo.
Papienses agrestes.
Bononienses lauti.
Astenses opipari.
Perusini delicati.

DELECTANTUR

Florentini caseolis.
Lucenses pyris.
Mantuani phaseolo.
Ariminenses anseribus.
Tarvisani ranis.
Cremonenses farcimine.
Neapolitani caulibus.
Genuenses lactucis.
Patavini piscibus.
Pisani porcis.
Perusini piscibus.
Papienses cepis & allio.

IN VESTITU

Mediolanenses splendidi.
Genuenses elegantes.
Mantuani pueriles.
Neapolitani sumptuosi.
Veneti magnifici.
Florentini ridiculi.

IN PERSEQUENDIS INJURIIS

Lucenses mites.
Neapolitani strenui.
Cremonenses aperti.
Perusini dissimulantes.
Fulginates accensi.
Senenses magnanimi.
Mediolanenses faciles.
Ferrarienses pertinaces.
Mutinenses placabiles.
Veneti subdoli.
Pisani maligni.
Romani iniqui.

IN ORATIONE

Florentini inepti.
Veneti putidi.
Senenses suaves.
Bergomates agrestes.
Perusini faceti.
Spoletani celeres.
Novocomenses balbi.
Romani elati.
Mediolanenses rudes.
Genuenses ridiculi.
Ferrarienses inexhausti.
Brixienses duri.
Bononienses jucundi.
Fulginates versuti.
Capuani graves.
Pistorienses festivi.

Cosentini

Cosentini dicaces.
Narnienses promti.
Umbri leves.
Novarienses rustici.
Neapolitani jactabundi.
Piceni varii.
Appuli barbari.
Ligures leves.

IN CONSILIIS

Mediolanenses præstantes.
Veneti prudentes.
Lucani temerarii.
Pisani inconstantes.
Placentini providi.
Florentini lenti.
Veronenses fideles.
Ferrarienses cauti.
Genuenses ignari.
Lucenses utiles.
Volsci maligni.
Brutii stupidi.
Mutinenses acuti.
Perusini celeres.
Senenses tardi.
Patavini ambigui.

ERGA HOSPITES

Calabri inofficiosi.
Lucenses infideles.
Senenses amabiles.
Veneti blandi.
Patavini duri.
Mediolanenses incauti.
Ferrarienses asperi.
Mantuani deglubatores.
Placentini severi.
Piceni infensi.
Neapolitani benigni.
Florentini profusi.
Astenses benevoli.
Spoletani agrestes.
Veronenses studiosi.
Papienses prudentiores.
Genuenses inhospitales.
Parmenses inconstantes.
Mutinenses prolixi.
Novocomenses inhumani.

IN LITERIS AMANT

Mediolanenses Jurisprudentiam.
Florentini Phil. naturalem.
Calabri linguam Græcam.
Neapolitani Hetruscam.
Mantuani Hebræam.
Lucenses sacras literas.
Senenses Dialecticam.
Veronenses literas humaniores.
Vicentini Phil. moralem.
Bononienses Mathematicam.
Veneti Musicam.
Patavini Medicinam.
Papienses Sophisticam.
Perusini Jus Pontificium.

IN MERCATURA SUNT

Florentini callidi.
Genuenſes tolerantes.
Mediolanenſes aperti.
Lucenſes fideles.
Veneti ſplendidi.

IN RE BELLICA

Peruſini ſtrenui.
Calabri præcipites.
Spoletani callidi.
Senenſes felices.
Bononienſes efferi.
Neapolitani animoſi.
Faventini hoſti inſtantes.
Pratenſes ſacrilegi.
Collenſes libidinoſi.
Piceni rapaces.
Æmiliani inconſulti.
Placentini crudeles.
Romani truces.
Mediolanenſes intrepidi.
Vicentini vindictæ cupidi.
Piſtorienſes ſanguinarii.
Papienſes firmi.

AD REM BELLICAM CONFERUNT

Veneti pecunias.
Mediolanenſes galeas.
Placentini carros.
Cremonenſes tentoria.
Papienſes lanceas.
Piſtorienſes pugiones.
Bononienſes arundines.
Neapolitani induſtriam.
Ferrarienſes tormenta.
Neapolitani equos.
Parmenſes clypeos.
Tarviſani enſes.
Viterbienſes calcaria.
Laudenſes comeatum.
Mediolanenſes tolerātiam.
Romani perſeverantiam.
Genuenſes perfidiam.

PRÆSTANT

Mantuani equitatu.
Genuenſes claſſe.
Cremonenſes ſtruendis ordinibus.
Piſtorienſes excipiendo ictus clypeis.
Patavini moderādis equis.
Veneti apparanda claſſe.
Brixienſes exſtruendis vallis.
Bergomates locandis inſidiis.
Lucenſes obſidendis urbibus.

DE

DE MULIERIBUS.

Senenſes pulchræ.
Florentinæ delicatæ.
Peruſinæ elegantes.
Cajetanæ formoſæ.
Coſentinæ obſtinatæ.
Beneventanæ ruſticæ.
Bononienſes arrogãtiuſculæ.
Mutinenſes benignæ.
Ceſenates rapaces.
Genuenſes ſalaces.
Cremenſes fallaces.
Placentinæ difficiles.
Mediolanenſes urbanæ.
Pedemontanæ procaces.
Venetæ petulantes.
Veronenſes gratioſæ.
Brixianæ diligentes.
Formianæ ſpecioſæ.
Lucenſes caſtæ.
Piſtorienſes faciles.
Romanæ graves.
Capuanæ ſuperbæ.
Neapolitanæ ſolicitæ.
Brunduſinæ inertes.
Ferrarienſes avidæ.
Ravenates humanæ.
Urbinates affabiles.
Vicentinæ conſtantes.
Parmenſes avaræ.
Papienſes lucri cupidæ.
Laudenſes ſuperſtitioſæ.
Cremonenſes ſumptuoſæ.
Terviſanæ zelotypæ.
Bergomates aſtutæ.
Aretinæ tenaces.
Puteolanæ bellæ.

TYPOGRAPHUS LECTORI S.

CUm hucusq; currente prelo perventũ esset, Lausdunenses duæ inscriptiones, altera Latina, altera Hollandica, attestãtes narrationi Ludovici Vivus, aliorumq;, suprá pagina 548. positæ, ab Illustri Comite Nassovio Cattimelibocensi, Domino Johanne juniore, Domino nostro clementissimo, ex inferiore Germania allatæ sunt; atq; ab aliis aliæ transmissæ, quas pro appendice addere me oportuit. Suo quanq; loco non esse positam, benevolus lector ignoscet.

En tibi monstrosum nimis, & memorabile factum,
Quale nec á mundi conditione datum.
Hæc lege, mox animo stupefactus Lector abibis.

MArgareta Hermanni Comitis Hennenbergiæ uxor, quarti Florentii Comitis Hollandiæ & Zelandiæ filia, Guilhelmi Regis Romanorum, ac postea Cæsaris seu Gubernatoris Imperii, atq; Alitheiæ Comitis Hannoniæ soror, cujus patruus Episcopus Trajectensis, avunculi autem filius Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ. Hæc autem Illustrissima Comitissa annos quadraginta duos circiter nata, ipso die Parasceues nonam circiter horam, anno millesimo, ducentesimo, septuagesimo sexto, trecentos sexaginta quinq; enixa est pueros, qui priús á Guidone suffraganeo Trajectensi omnes in duobus ex ære pelvibus baptisati sunt; quorũ masculi quotquot erant Joannes, puellæ autem omnes Elisabethæ vocatæ sunt, qui simul omnes cum matre uno eodemq; die fatis concesserunt, atque in hoc Lausdunensi templo sepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis gestabat pueros, quam rem ipsa Comitissa admirata, dicebat, Id per unum virum fieri non posse, ipsamq; contumeliosé rejecit. Unde hæc paupercula animo perturbata, ac perculsa,

mox

mox tantum prolium numerum ac multitudinē ex uno partu ipsi imprecabatur, quot vel totius anni dies numerarentur; quod quidem præter naturæ cursum obstupenda quadam ratione ita factum est; sicuti hîc in perpetuam hujus rei memoriam ex vetustis, tam manuscriptis, quám typis excusis chronicis breviter positum & enarratum est. Deus ille ter maximus hac de re suspiciendus, honorandus, ac laudibus extollendus in sempiterna secula, Amen.

MArgreta Herman Grave van Henneberchs huisvrouwe/dochter des vierden Floris Grave van Holland en Zeeland/süster van Willem den Coninck van Romen/en daer naer Keyser des Ryex/en van Aleydt Gravinne van Henegou/wyens oom was Bischop van Vtrecht/haer ooms son/van haers moeders wegen was Hertoech van Brabant en Grave van Duringhen. Dese Hoochgeboeren Gravinne oudt zynde ontrent twee en veertich jaer/heft ter werlet voortgebracht op den goeden vrydach ontrent negen vren/int jaer dusent/tweehonderd tseuentich ses/dry hondert vyf en tsestich kinderen/die al tesamen eerst gedoept syn in twee bekens van Guide den Wybischop van Vtrecht/van den welcken knechtkens alle Joannes/die maechdekens alle Elisabeth genaemt zyn. Die al te samen met de moeder op enen dach gestoruen/en hier te Lausduynen in de kercke begrauen zyn. Dwelck ghebeurt is doer eine arme vrouwe/die twee kinderen van eender dracht/op haeren armen droech/waer van die Gravinne verwondert zynde: sprack/dat sulex by enen man nit mochte geschyen/en heeft se mit schoffierlycken woerden verstoeten/waer door dese arme vrouwe verstoert zynde/haer wenschede so veel kinderen tot eener dracht te vercryghen/alsser daghen in een jaer mochten wesen/twelck ock miraculoeselyck also geschiet is. Gelyck hier tot een memorie vt den ouden/soe wel geschruen/als gedrückte Chronicken in cortste gestelt/en verhaelt is. Gott sy hier van gevreest/geeheret/ende gepresen in der ewycheydt/Amen.

FRANCISCUS PETRARCHA
lib. 4. de rebus memorandis, tract. 6.
cap. 21.

De puero bicorpore nato in agro Florentino, de quo inferiús carmina ponuntur.

In agro Florentino puerum bicorpori effigie, geminis capitibus, quaternis manibus circa genitales partes connexum, sic ut non ampliús quám in geminos pedes desineret, viderunt illic omnes, &c.

ET IN FINE EJUS TRACTATUS.

De monstro quod natum est in Comitatu Florentinorum: cujus effigies sculpta est in hospitali ad scalas.

Hac Petrus Paulusq; uno sub corpore bini
Fabrica naturæ mira jacemus humo.
Cuiq; suum fuit & manuum, fuit oris opusq;
Vesicæ, ast unum neutris opusq; fuit.
Junxêre extremæ partes nos corporis ambos,
Quas neuter simul & dicat uterq; suas.
Neutra ex parte pedes, capita ex utràq; fuerunt
Bina, sed é medio corpore planta fuit.
Bina fuit medio quæ corpore planta, deorsum
Pendebat; sursum quinta erat una manus.
Non verò nobis unus somnusq; cibusq;,
Nec risus nobis fletus & unus erat.
Somno membra dabat unus, ridebat at alter,
Surgebatq; unus, flens quoq; & alter erat.
In Florentina natos nos flumine Arni
Valle dedit patriæ nos pia cura patris.
Inde alti, & sacro pariter de fonte levati,
Viximus ambo decem bis totidemq; dies.
Quid nunc Neptunum? quid nunc Janumq; bifrontem
Miraris? Stygii terna quid ora canis?
Et quid Geryonis tria corpora? Scilicet unum
Nos corpus, binas nos animasq; lege.

CUJUS-

CUJUSDAM REGIS GALLIÆ epitaphium.

Risi, ploro: fui, non sum: studui, requiesco;
Lusi, non ludo: cecini, nunc mutio: pavi
Corpus, alo vermes: vigilavi, dormio: dixi
Salve, dico vale: rapui, rapior: superavi,
Vincor: certavi, pace utor: jure ego vixi,
Jure igitur morior: non obsto, obstare nequirem:
Terra fui quondam, rursum sum terra: nihil sum.
Terra caduca vale, vermes salvete: recumbo.

HASSICA.

MARPURGI.

IN TEMPLO DIVÆ ELISABETHÆ.

ANno Domini M. CCCC. XLV. den montag nach Valentini starb der mächtige vnd Hochgeborne Fürst vnd Herr / Herr WILHELM Landgraf zu Hessen / Graf zu Catzenelnbogen / zu Ziegenhain / zu Dietz / vnd zu Nidda.

EPITAPHIUM ANNÆ LANDGRAVIÆ.

Ossa sub hoc tumulo sunt condita Principis ANNÆ,
MECKELBURGENSI *quæ fuit orta Duce:*
Hæc thalamo fuerat geniali juncta GUIELMO,
HASSIA *tum cujus paruit imperio.*
At pia dum varios de relligione tumultus,
Atq; animo volvit rustica bella suo:
Mœstitiâ hinc terrore simul confecta supremum
In Domino clausit post pia vota diem.

Von Gottes gnaden Fraw ELISABETH geborne Landgräfin zu Hessen / weiland Hertzog HANSEN zu Sachsen verlassene wittibe / ist in Gott verschieden den 6. Decembris / im jar 1558. Der seelen Gott gnedig sey.

IN

IN OBITUM NOBILIS CASTISSIMÆQUE matronæ Ursulæ á Remchingen, nobilis & excellentis viri Hermanni á Rehen conjugis, quæ obiit Calend. Jan. an. 1572.

Aspicito vitæ quàm sit vaga meta, viator,
Exemploq; meo disce subinde mori.
In medio cecidi, dolor, ævi flore, duplexq;
Mors in me peperit duplice morte malum.
Nam vix quinq; meæ superâram lustra juventæ,
Bisq; decem fueram mensibus apta toro:
Cúm fœtu mecum morior moriente marito
Rapta meo, sed non Christe benigne tibi.
In te jam vivo, proles tibi vivit, & unâ
Spectamus superæ gaudia vera domus.
Ergo vale conjunx, valeant ludibria mundi,
Vobiscum dolor est, nos fovet alma quies.

Petrus Paganus Poëta L.F.

Vita mihi Christus, mors mihi dulce lucrum.

Anno 1590. den 15. Martij starb der Edle vnd Ehrnveste LVDWIG-CASIMIR von CHRAM/ dem Gott gnade: seines alters sibenzehen jar vnd sechs monat.

Ut nunc triste mori est, sic dulce resurgere quondam,
Vita mihi Christus, mors mihi dulce lucrum.
In terris labor est, requies sed dulcis in urna,
Dum veniant summo gaudia summa die.

IN SUMMO URBIS TEMPLO.

D. O. M. S.

LUDOVICUS DEI GRATIA LANDGRAVIUS Hassiæ, Com. in Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhain, Nidda, &c. sibi & conjugi suæ hoc monumentum fieri fecit.

Symbolum L.L.
Vita mihi Christus,
Phil. 1.

Symbolum L.
Mors mihi lucrum,
Phil. 1.

Illustrissima Princeps ac Domina, Domina HEDVVI-

GIS, Dei gratiâ Landgravia Hassiæ, Comitissa in Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhain & Nidda: Illustrissimorum Wirtembergensium & Teccensium Ducum & Mompelicardicorum Comitum genere nata, cúm anno ætatis suæ 43. Christi veró 1590. quarto Martii post horam secundam matutinam, Marpurgi ex hac vita in cælestem, magno apud omnes post se desiderio relicto, migrasset, corpus ejus usq; ad beatorum resurrectionem isthic conditum est.

Christus post mortem abolevit eum qui mortis habebat imperium.

DEO OPTIMO MAXIMO SACRUM.

Epitaphium Domini NICOLAI MAGNI SUECI J. U. D. qui obiit an. M. D. XLIII. die XXIIII. Novembris.

Hic est NICOLEUS *positus sub marmore* MAGNUS,
Maxima qui Juris laus utriusq; fuit.
Multorum mores populorum vidit, & illa,
Dum vixit, nulli laude secundus erat.
Innocuæ coluit, quam, toto tempore vitæ,
Fassa fuit veram vox in agone fidem.
Et nisi rupissent fatales stamina Parcæ,
In patria voluit jussa docere Dei.
Funde pias lacrymas addicta ô Suecia Christo,
Hunc monstraturus qui fuit, orba duces.

Joannes Draconites,
Wolfgangus Laurentii
posuerunt.
Joannes Richius F.

Non media de plebe vir est, quem contegit iste
Hîc nuper positus, lector amice, lapis.
Hîc Legum Doctor sanctarum JUSTUS HAMMUS
Exutus putrido corpore rité cubat.
Virtutum magnus cultor, pietatis amator,
Doctorum fautor, justitiæq; tenax;

Æquarium

Æquarum callens ſpatioſa volumina Legum,
Juſtaq; pro trepidis dicere jura reis.
Oppreſſis qui ferret opem, miſerosq; levaret
Arte ſua, haud longé notior alter erat.
Nulli inquam nocuit, multos adjuvit, & omnes
Officiis ſtuduit demeruiſſe bonos.
Ergo ſenatorum numero tandem additur hujus
Urbis, quos inter lucida ſtella fuit.
Hinc ibi Haſſiacis jam nobile nomen in oris,
Idq; animi meruit dotibus eximiis.
Sed mens ad ſuperas ſedes conceſſit, ubi nunc
Æterna fruitur lata quiete poli.

D. NICOLAUS RODINGIUS F.

Obiit Marpurgi 20. die Januarii, An. M. D. LI.

EPITAPHIUM GERHARDI Noviomagi.

Hic NOVIOMAGI *requieſcunt mẽbra* GERHARDI,
Juxta hunc ANDREAS *conditur* HYPERIUS.
Ut pia doctrina concordia junxerat ambos,
Sic idem amborum contegit oſſa locus.
Quos ſociat tumulus, ſociabunt cælica regna,
Ut capiant fidei præmia juſta ſuæ.

HENRICUS VIETOR FRIDBERGENSIS ſacroſanctæ Theologiæ Doctor & Profeſſor in ſchola primarius, & Eccleſiæ hujus miniſter fidelis, in Chriſto obdormivit anno 1576. die 7. Januarii.

Hic cubat Henricus Vietor, placideq; quieſcit,
Scripturæ ſanctæ Doctor pius atq; modeſtus,
Divini verbi conſtans & præco fidelis;
Terra fovet corpus, fama inclyta non morietur;
Spiritus in cælo fruitur, ſed ſede beata
Percipiens veræ jam gaudia plena ſalutis.

EPITAPHIUM IN OBITUM UXORIS DANIELIS Lünckeri junioris, matronæ nobilis ac perhoneſtæ, quæ in Chriſto pié obdormivit 30. Aprilis, an. 1576.

Quæ ſummo agnovit Danielem jure ⏑ maritum
LUNCKERUM, *buſto hoc en* KATHARINA *jacet,*
Ex patre Gunthero SCHENCK *nobilitate refulſit,*
Atq; piæ prolis mater honeſta fuit ⏑.
GREGORIUS *primævus erat,* MARGRETA *ſecunda,*
Tertia poſt illos ELISABETHA *venit ⏑.*
ANNA *ſoror quarta eſt, póſt bini nomine* JANI,
Ex quibus hoc nomen DANIEL *alter habet ⏑;*
URSULA *poſtrema eſt, quæ primum quærit in undis*
Submerſum fratrem, vindice morte ⏑ mali.
Utq; piæ matri, ſic gnatis hisce duobus
Summa quies parta eſt; te pie Chriſte duce ⏑.

IN COEMETERIO AD ſanctum Michaëlem.

JUSTO VULTEJO WETTERANO RECTORI Pædagogii gravi & præclaro, ſanctæ linguæ Profeſſori, candido marito dulciſſima Katharina Fettia hoc monumentum F.F.

Symbolum Juſti Vulteji in Chriſto pié defuncti, ult. Martii, an. 1575.

Quid ſum? quis? qualis? quantus? quotus? unde? quibúsve
Ortus avis? quorſum tendo? quibúsve viis?
Vermis: homo: malus: exiguus: poſtremus: abimo:
Talibus & cretus: nitor ad aſtra: fide ⏑.

IN COLLEGIO AD LANUM, ante majus Pædagogium.

EPITAPHIUM M. JUSTI SCHRODERI præceptoris Pædagogii, & ſenatoris Marpurgenſis.

JUSTUS *ut é vivis ſuperam* SCHRODERUS *in aulam*
Conceſſit, tota luctus in urbe fuit ⏑;

Primus

Primus erat pulla quem flens ACADEMIA *veste*
Prodidit, alterius curia signa dedit;
Publicus hic fuerat, sed erat quoq; publicus ille,
Publicus & cives quo gemuêre, fuit.
Omnia luxerunt, hunc publica luximus ipsi
Collegam, quo non dulcior alter erat.
Casta quid enumerem lacrymas quas fuderit uxor,
Præcoce tam chari territa morte viri.
Cum Cicerone Maronis opes & fortis Horati
Explicuit nostris voce sonante scholis;
Urbi consilium solitus præstare senator,
Et populo merces, more Solonis, erat.
Commodus interpres scriptorum, stella senatus,
Mercator justus, luxq; serena schola.
Ille suos juvenis morboq; animisq; parentes
Invalidos aluit, sumptibus ipse suis.
Pro qua tam sancta cælo pietate probatus
Invectus superis gaudet honore choris.

Obiit 29. Aprilis an. 1569.

Justus Vultejus dulcissimo collegæ suo F.

Ibidem.

EPICEDION FRIDERICI PEUCKERI.

Philippi Peuckeri, prætoris Kirchainensis filii, mortui Marpurgi in Pædagogio.

Siccine te Friderice meum decus ergo remitto,
Pro vivo absenti funus inane patri?
Quám fueras meritus Tithonia vivere secla,
Tam nimis ah raptus præcoce morte jaces!
Aurea si virtus contra fera fata valeret,
Non tua vis Stygiis fracta fuisset aquis.
Cúm tua pacificis impleres nomina factis,
Pacificam cæli es jussus inire domum.
Hîc te tranquilla sortitum tempora vita
Nos teneris miseri prosequimur lacrymis.
Hanc tamen, hanc tecum laudem vel mortuus aufer,
Quam tibi præceptor concinit ille tuus;

Quem venerabaris, quem charum semper habebas,
Cujus pendebat vultus ab ore tuo.
Reddidit ille tuis lacrymas quoq; manibus, ipso
Orbatus nato, non secus atq; suo.
Siccine te FRIDERICE *meum decus ergo remitto,*
Pro valido absenti nomen inane patri?

Anno Domini 1569. 15. Novemb.

IN COEMETERIO ANTE
portam Franciscanam.
REGI CUI OMNIA PARENT.
Quando hæc fiat emigratio, quid interest?

GEORGIO STEUCHIS HEIDELBERGENSI, Christianæ pietatis, bonarum literarum & veræ virtutis studioso, magnæ spei adolescenti, in medio studiorum cursu, florentibus annis, XVI. Novembris, anno Christi M. D. LXXXIII. immatura morte abrepto, filio ut unico, ita dilectissimo, GEORGIUS STEUCHIS, Cameræ Electoratus Palat. præfectus, pater mœstissimus heu lacrymabile hoc amoris paterni monumentum amaro superstes animo, quod nollet, id fecit.

Vixit annos 14. menses 10. dies 5.

ECHARDUS WEIGEL VOLQUINO WEIGEL Archiatro aulæ Cassellanæ natus, Illustriss. Principi Lādgravio Guilielmo propter ingenii dotes charus, dū sponsus nuptias parat, fatali morte corripitur, & Marpurgi anno Domini M. D. LXXXI. die Julii XI. annum agens XXX. moritur, cujus anima beatorum consortio nunc fruitur.

Symbolum defuncti.

Pasce tuo verbo vita, mala pelle, salutis
Æterna confer gaudia, Christe, mihi.

Phil. 1. Ich habe lust abzuscheiden/ vnd bey Christo zu seyn.

EPITA-

EPITAPHIUM JOANNIS HARTMANNI ILLUSTRISSIMI Principis Hassiæ LUDOVICI quondam Secretarii, pié in Christo 20. die Decemb. ann. 1578. defuncti.

Hic tegit Hartmanni tumulus pia membra Joannis,
Munera solliciti post pia gesta fori.
Cujus mille quidem morbis fuit ante peremtum
Corpus, at in viridi nunc requiescit humo.
Spiritus Elysio felix spatiatur in agro,
Donec & instauret vis rediviva rogum.

Umbra defuncti loquitur.

Posteritas quæ forte meæ cognoscere vitæ
Fata velis, isthæc carmina pauca lege.
Si meminisse potes, sit quando Philippus in auram
Editus, Hassiacæ stella leoq; plagæ: Ann. 1504.
Ille mihi vitæ primordia contulit annus,
Et dedit ætatis tempora prima meæ.
Cumq; ter octavum mihi vita fuisset in annum
Continuata, bono sidere sponsus eram. Ann. æt. 24.
At cúm natalis superasset lustra bis octo,
Atq; duos annos vita resecta mihi est: Ann. æt. 82.
Quinquaginta annos septemq; superstes in illo
Conjugio, stabili pace maritus eram. Anno 57.
Ex una thalami socia bis pignora quinq;
Eduxi, tremulus póst modó factus avus.
Martis quinq; fui per lustra senator in urbe,
Sed tamen his lustris unicus annus abest. Ann. 24.
Annos ante obitum septem celebrare placebat
Jubila, sponsorum more modoq; senum. Ann. 1580.
Dulcis posteritas, imitatrix esse tuorum
Majorum studeas sedula, jamq; vale.

Fiat voluntas Domini. W. H. E.

Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium. H. B.
Dan. 12.

DEO OPTIMO MAXIMO SACRUM.

Cave lector, discе, naturæ hic cursus, hæc fati lex est, orta ut intereant. Hujus te memorē defuncti, hæc quoties aspicis, volumus. Fuit nostra apud homines excellentia venustasq; cum labore secularis, nunc verò lumina in cœli gloria, vita cum Deo æterno sempiterna. Quám felix, quám fausta mutatio! quid igitur relicta luges uxor? cur parētes, fratres doletis mœsti? gaudete, in cœlis namque læti spectabimus lætos. Et quó nostra in terris etiam extaret memoria defunctis, THEOBALDO OLDENDORPIO, VALENTINO ET JOANNI, CHRISTINÆ, suavib. THEOBALDI liberis, privignis suis, SUSANNÆ filiolæ suæ dulcissimæ Johannes Wolfius D. & Professor Medicus hoc posuit monumentum: An. Christi M.D.LXXXII. Julii XI.

ELISABETH,

HOC EST:

Mein Gott hat geschworen/ mich * ersettiget/ vnd zu rechter ruhe gebracht.**

Nihil tam amarum, quod Christo vita ligno rerepto, non fiat dulcissimum.

ELISABETHA MANTELIN primúm Jacobi Wolfii, póst Justi Schroderi, artium Magistri & prudentissimi senatoris castissima conjunx; matrona dotibus ornata singularibus, & benigna pauperum fautrix, cursu & certamine peracto, dedit spiritum Christo suo charissimo, & nunc in gloria venturum expectans judicem, suo hîc quiescit corpore, at spiritu cum angelis Christi gaudet consortio, cœlesti induta pallio triumphat felicissima: Vale mater dulcissima, vale, jam felicissima lætare æternis gaudiis cum Christo & sanctis angelis.

Matri charissimæ Non. Novemb. an. 1583. pié in Christo defunctæ posuerunt liberi.

JOHAN-

JOHANNI PINCIERO WETTERANO, THEOLOGO INSIGNI, IN PATRIA primùm, póſt in cœnobio Heneienſi verbi divini Miniſtro fideli, modeſto, amabili, patri atque ſocero cariſſimo REBECCA filia, generque JACOBUS ALTSTETEN Chriſti miniſter REBECCÆ maritus, epitaphium hoc memoriæ ergó poſuerunt.

IN hoc theatrum flebilis mundi tulit
Mater mea me ſlentem ipſamet ſlens Haſſia
In oppido, quod vulgó dicunt Wetteram.
Ibi educatus á piis parentibus
Infantiam ultra, ad literas ſtatim trahor,
In queis parentes me ſatis feliciter
Ut progredi vidêre, ad urbem Martiam
Haud longulé mittunt ſitam, & pro re ſua
Alunt ſuo ſumtu, idq; liberaliter.
Hîc laureâ primâ decoratum honoribus
Lovanium jubent adire; pareo.
Profectus hinc ſum doctior Lutetiam,
Et inde abiens Tigurina vidi mœnia.
Ibi ſubſtiti nonnil; deïn me confero
Ad oppidum, cui nomen argentum dedit:
Hîc me BUCERUM Q. *una continet domus,*
Ex cujus hauſi multa conſuetudine.
Iam cultus arte & cœlica ſcientia
Rerum ſacrarum, in patriam caram vocor,
Ut Chriſti ovile paſcerem; quod ſeduló
Feci abſq; fraude, & veritatem publicis
Scriptis tueri non dubitavi. ſi cupis
Ea noſſe: dicam. namq; non ferunt meum
Nomen; ſed Helias Palingenius ſibi
Nonnulla tribuit. Inter hæc Elenchus eſt,
Et quidem alius libellus. Hunc placuit mihi
Tragœdiam vocare dipnoſophiſticam.
Sed Antidotum primó editum in lucem, meum

Fert nomen, aſt ſecundó plané anonymum eſt.
Excudit illa á montibus dicta urbs meris:
Aſt hoc Geneva ſita ultimis in Alpibus.
Hæc ergo ſcripta pro meis poſthac habe.
Ovile Chriſti pabulo verbi ſacri
In patria per luſtra ſex & amplius
Pavi. volens deinde Henejam transferor.
Non otioſus ibi fui, ſed ſeduló
Monſtravi iter ſalutis ægræ & pauperi
Turbæ, gregi Chriſti haud minus quám divites,
Animoq; ſani pariter atq; corpore.
His pabulum dum porrigo cœlo datum,
Quo non aliud nos nutrit efficacius:
Vitalis ignis corpore in meo ſuum
Depaſcitur vorax pedetentim pabulum:
Quo deficiente & ipſe ſenſim deficit
Viresq; langueſcunt & ægré vox fluit.
Donatus ergo Principum clementiâ
Rude, ob vigorem perditum ævi injuriâ,
In conjugis commigro tecta, quæ vigens
In monte Francorum anté ei paraveram
Cariſſimam interim relinquens patriam,
Ubi paterna rura adhuc erant ſuper.
Póſt haud diu ſuperſtes aurâ perfruor:
Extinctus ignis namq; morti frigidæ
Cedens locum, corpus animamq; ſeparat.
Tu qui hæc legis vale: atque corpus credito
Sub terra ut eſt, in cœlo ita eſſe ſpiritum.

J. P. W.

Natus eſt Wetteræ anno 1521. Obiit Francobergæ anno 1591. 26. Januarii.

IN JO-

IN JOHAN. PINCIERUM THEOLOGUM.

Doctrinâ excellens, animus pius atq; modestus,
Te reddidere amabilem,
Dum vixti in terris: nunc cœlesti arce receptus
Ex parte dimidia tui;
Cum Christo vivens, exspectas dum tibi corpus
Reddatur auctum gloriâ.

Johannes Piscator SS. Theologiæ Professor in illustri Schola Herbornensi.

EPSTEINII.

JOHANNI PINCIERO J. U. D. ILLUSTRISSIMI HASSIÆ PRINCIPIS DOMINI LUDOVICI, &c. CONSILIARIO, Epsteinensi Præfecto, marito dilectissimo, uxor CATHARINA BREIDENSTEINIA amoris connubialis atq; fidei memor epitaphium hoc Epsteinii, ubi maritus vita pariter atq; officio defunctus est, & sepultus, posuit, defunctiq; personam sic loquentem introducit.

WETTERA me primùm vitalibus intulit auris.
Tradidit Argentina bonas mihi nobilis artes.
Juris Doctorem fecit me Gallia. Tellus
Itala me vidit peregrinum; vidit Ibera:
Vidit & Oceani dominatrix Anglia. Et inde
Gallia me reducem civilibus implicita armis
Ad Martem á Musis civilia traxit ad arma.
Cumq; etiam Belgas tristis vexaret Enyo,
Semper eram, Ludovice Comes, tibi fidus Achates.
Hassiaci accitus posthæc ad Principis aulam,
Marpurgi quinos moror annos. Arcis Eponis
Hinc præfecturam clementi á Principe nactus
Sedulus officium facio tria lustra duasq;
Messes; articulis æger, sed pectore sanus.
Omnibus his functum cúm me jam gratia CHRISTI
Exorata piis precibus dissolveret, adem
Corpus in hanc tetulere meum, telluris & antro
Clausere obscuro penitus: sed spiritus alti
Cum Christo victurus adIt fastigia cœli,
Pectora sana meis obtrectatoribus optans.

Obiit Epsteinii anno 1592.

FINIS.

Sortii Jeuv Paderb.

Die Eigenschaften der Körper überhaupt
S. 39. Anm. 2. Lehrb.

Andere Eigenschaften S. 33.

p. III Catechismus S. 265

Jacobsohn Petrus Lombardus 550.
Joh. Mandeville 547
Nicol. de Lyra 555.
Richardus 566
Augustinus 588
Petrus Johannes Olivi 607
" Andreas Cretensis "
Herm. Tulichius 349
Arnold Buchelius 394
Joh. Glandorpius 351



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN